
ANNA·MARIA·WALTHERIN GEBORNE HORNIGEN:

417.
Nowo-Tacin.

M. ANTONI MAIORAGI

ORATIONES XXV, ET PRÆFATIONES XIV.

Unà cum Dialogo

DE ELOQVENTIA

Priùs à Joanne Petro Ayroldo Marcellino Venetiis in lucem prolatæ

Jam verò recens correctæ, argumentis & dispositione Rhetoricâ marginali perpetuâ adornatæ

à

VALENTINO HARTUNGO, Medicinæ D. & Pathologices publico Professore, Lipsiæq; excusæ,

---

Cum Privilegio Sern. Elect. Saxon.

VVratislaviæ, Stettini

apud

CASPAREM KLOSMANNUM,

&

JEREMIAM MAMPHRASIUM.

Typis Hæredum Timohei Hönii,

ANNO M.DC.LI.

Magnifica Amplitudine, Autoritate, Dignitate, Eminentiâ, Legum Jurisq; Peritiâ ac Prudentiâ Conspicuis Trium-Viris:

Celeberrimæ Reipublicæ Lipsiensis CONSULIBUS,

Dn. THEODORO MOESTELIO, Philosophiæ & J. U. Doctori;

Illustrissimo ac Potentissimo Electori Saxoniæ &c.

ab Appellationum Consiliis.

Dn. ERNESTO MOSBACHIO, jam recens CONSULI & Regenti,

Dn. FRIDERICO MAYERO, Scabinatus ELECTORALIS Senioribus & junctim Assessoribus,

Nec Non

Reliqvis Ædilibus, Judicibus, Senatoribusq; longè Honoratiss. & Integerrimis,

Patriæ meæ Parentibus, Dominis, Fautoribus & Patronis mihi plurimum semper observatis ac observandis; recens hunc Rhetora recensens,

Offert

AUTOR

Salutem ac officia.

SCHOLARUM fundamenta esse Rerumpublicarum incrementa & firmamenta, utqve prisci loqvebantur, statumina, fulcra & columnas, Viri Amplissimi, Eminentissimi, Sapientissimi, Prudentissimi, Perspicacissimi, Reipublicæ Lipsiensis laudatiss. *Consules*, *Ædiles*, *Judices*, *Senatores*, Domini, Fautores, Patriæqve Parentes meritissimi, qvi dixit, â vero nec abfuit, nec ablusit. Et sanè id qvi negare ausit, seipsum is negat, & nescit. Cujus memor probeq; gnarus θεόπνευστος ϰ θεόπεμπτος Theologus p. m. *D. Lutherus* bene monuit ut germanicè; ita nervosè ad marginem Bibliaci hujus textus,

Lib.

Lib. Judicium c. 5. in Ἀπινικίοις, v. 14. Von Machir sind Regenten kommen/und von Sebulon sind Regierer worden durch die Schreibfeder nec erubesco nostrate idiomate ideô, qvàm Latino proponere. Idem mecum meditatus antehac in Poëta sacro Bartasio attentavi, qvem V. A. E. D. & P. tum volui bono de Consilio animoq; dedicatum, utq; reipsa & facto comperi, non adeò ingratum. Qvanqvam v. jam me movere poterat illud Tullii: *Bis ad eundem grave*; non tamen permovit, qvin magis commovit, ut denuò V. A. E. D. & P. nunc Oratorem enucleatum, vesteq; Rhetorica indutum submissè offerrem, non tàm ob beneficia, qvę longè majora sunt, qvàm ut à me vel commemorari, vel hoc levi ἀντιδώρῳ & munusculo recompensari qveant, dum me

Juvenem ſtipẽdio liberali lautoq́; ad ſtudia animâſtis ac juviſtis: ad honores porrò pergentem ſubſidio nõ contemnendo provexiſtis (Qvod niſi fuiſſet; ita me DEUS amet, juxta cum *Illuſtriſſimi ac Potentiſſimi Principis ac Electoris*, Domini mei Clementisſimi, magnificentisſimâ munificẽtiâ, qvæ nunqvam memoriâ meâ excidet, qvamdiu ſpiritus hos reget artus; jam eo loco non eſſem, ubi DEI nutu & Iſtius VII. VIRI, cui meritò primas ſubjectisſimè defero, favore conſtitutus ſedeo) qvàm, ob paternam illam providẽtiam, ſatagentiam & curam, qvâ Amplisſimus & Celeberrimus hujus inclytæ Reipublicæ SENATUS binas ſcholas prẹſtantiſſ. & diligentiſſ. præceptoribus discipulisqve

non

non paucis nobilitatas benignè ſuſtentat & alit. Cui provinciæ cùm & ipſe olim prefuerim, cumqve etiamnunc herbeſcēti indies & q. adoleſcenti jeventuti ob majores in artibus ac lingvis progreſſus profectusqve prodeſſe, qvantum DEI nutu & afflatu valeam, unicè velim, ecce priſtinâ affectione & benevolentià veſtrâ erga me licet immerentem fretꝰ, Viri Magnifici, Ampliſs. Eminentiſs. Prudentiſs. Conſultiſs. Honoratiſs. Integerrimi, Dn. & Patroni jure mihi colendi, non dubitavi, qvin intrepidè etiam hunc autorem à me correctum & ſchemate Rhethorico illuſtratum vobis libentisſimè dedicarem, omninò certus, Amplisſimum & Prudentisſimum Patriæ meæ Se-

natum nunqvam de cliente ſuo animi bonam ſpem ſemel & olim conceptam depoſiturum fore. Faxit DEUS TER OPTIMUS, TER-MAXIMUS, UNUS-TRINUS, ut veſtræ Reipublicæ laudatiſs. florentisſimus ſtatus indies magis magisqve creſcat, Eccleſiæ & Scholæ vireſcant, demumqve omnia ad DEI unius gloriam; Veſtri v. & omnium bonorum felicitatem, ac ſalutem optatisſimè ſuccedant.

V. M. A. E. & D. P. Pq.
Obſervantiſs.

Valentinus Hartung, Lipſienſis, Philoſophiæ & Med. D. Pathologicæ Publ. Profeſſor.

Bene-

Benevolo Lectori.

Cùm hanc editionē Majoragianam Bibliopola à me adornari contenderet, non potui, non ipsius voluntati si minùs satisfacere; tamen gratificari in juventutis studiosæ commodum & emolumentum, cui aliâs in lectione rudis & nudi exemplaris, prioris & vetustioris, aliqvantisper fuerat hærēdum. Qvapropter aliorum laudabilia exempla & vestigia imitatus, qvi tale qvid in Virgilio, Horatio, Ovidio, aliisqve autoribus haud sine fruge præstiterunt, ipse etiam in hoc Oratore idem non tàm perfeci, qvàm affeci. Qvod si scholarum incremento fore videro id frugiferum, satis pro meo labore hoc qvalecunqve inde me commodi reportâsse sperabo. Diu sani salviqve valete, & industriolam hanc boni consulite adolescentes: ac ad alia plura vestro favore & diligentia calcar addite imposterum à me emendatiùs edenda.

CUNRADUS RITTERSHUSIUS, Consiliarius Reipublicæ & Antecessor Academiæ Norimbergensis, suo

Valentino Hartungo S.

Anno cIↃ IↃc Ix. 5. Septembr.

M*agnam habeo gratiam Clarissimo Viro & cultissimo Poëtæ* Dn. Friderico Taubmanno, *qvi primus inter nos pararius & conciliator notitiæ literariæ extitit. Hujus enim instinctu, atqve impulsu factum est, ut tu,* Doctissime Dn. M. Hartunge, *nō solum honestissimam de me opinionē conciperes: verùm etiam eandem ultrò testatam faceres eruditis & perpolitis versibus tuis, qvibus cùm effigiem meam tùm nuptias secundas exornatum invisti. Nec minùs tibi; qvàm* Dn. Taubmanno *debeo. Uterqve me obstrictum habebitis vobis ad perpe-*

perpetuam grati animi memoriam, nihilq; mihi magis in votis est, qvàm ut mihi occasio detur illius declarandi, qvà Tibi, qvà Dn. Taubmanno. *Qvi non ita pridem novo etiam me beneficio cumulavit, donato mihi suo Plauto docto, Jupiter! & laborioso, atqve ut auguror, magis sic juventuti & scholarum magistris profuturo, ac studia lingvarum adjuturo. Verùm qvid ego Tibi nota prædico,* φρονέοντί περὶ αὐτῶ; *Non potui tamen apud Te qvoqve dissimulare mihi hoc munus gratissimum ab amico illo optimo accidisse. Inaudii autem te aliqvid scholiorum meditari in pium Poetam Bartasium Gallum, qvem ego semper magnifeci, non tàm sublimis, varii & ingeniosi, qvàm elegantis styli metriq; Poetam, dignum sanè tuâ indole Poetam, qvàm in eo exercere & excolere potes. Qvin & animatum esse in M. AntonI MajoragI orationes aliqvid commentari, ut eò melius juventuti de Inventione & Dispositione Rhetorica inter legendum constet, ad qvod, ut*

& id

& idgenus plura non adhortor modo: sed & amicè instigo. Siqvidem, ut catè Cato scripsit, Vita humana propè uti ferrum videtur. Qvod si exerceas, atteritur. Sin non rubigo interficit. Itidem homines cernimus exercendo atteri. Si nihil exerceas, inertia atqve torpedo plus detrimenti affert, atqve exercitatio. Qvod deniqs à me contendis exemplar unum atqve alterum carminum Nuptialium mihi secundò dicatorum, facio lubens meritoqve, ut qvædam ad te mittam. Sed plura apud me servantur adhuc ἀνέκδοτα, *qvæ in peculiarem libellum conjecta aliâs seorsim edere cogito. Inter illa tuum qvoqve ad scriptum habeo. Non potuerunt omnia ante nuptias imprimi. Qvædam etiam ab amicis magnis ultrò promissa expecto. Atqve hæc causa moræ, qvæ editioni affertur, qvam ut boni consulas, rogo. Utinam tibi, mi* Dn. Hartunge, *expeditum sit aliqvando ad Musas Palæcomitanas visere nostramqve in literatos hospites adqve adventores comitatem experi-*

peri-

periri! In qvo voto boni ominis causa desino, qvod qvidem tecum mihi commune esse credo & spero.

Vale Altorfii.

ΕΥΦΗΜΙΑ aliàs Patroni & Amici

Ad

Dn. VALENTINUM HARTUNGUM, Medicinæ in Academiâ Lipsicâ Professorem:

QVem multis celebrem bonis Apollo
Omnis planè apicem eruditionis
Exemplum statuit suis alumnis,
Et te qvod Medico elegante sumant,
Ac simul celeberrimo Poeta,
VALENTINE, domus jubar paternæ,
Et lumen Philyres ubiqve claræ:
Qvas unqvam tibi, qvas, precor, rependam
Dignas pro meritis (qvod opto) grates?
Nam majora meæ illa sortis arcto
Circlô, posse negant τὰ ἴσα reddi
Tantum in corde meo tua ecce facta
Dignè pondus habent! amore nostri
Qvòd ductus mihi natum in æde eadem,
Tecum vis habitare, ceu sodalem,
Vt possit fieri hoc modò eruditus
In te multa videndo & audiendo,
Qvæ multis ita non licet videre,
Aut audire: Utinam ille gratus istis
Sciret commoditatibus fruisci.

Sic

Sic qvo, qvæso, loco tui favoris
In me hoc, inqve meos suave signum,
In Natæ thalamo editum, reponam?
Nostros inter ut anseres strepentes
Cantares, olor optimum Poema.
Sic qvôd spontè etiam mihi patronum,
Te totum atqve meis benignus offers,
Verbis sat qvibus hocce prædicabo?
Facto reddere qvo tibi studebo?
Hoc totum fateor, meæ recusant,
Vires, & superest nihil volenti
Sese gratum animo tibi probare,
Præter vota pio profecta corde;
Qvod gratum esse tamen Tibi studebit,
VALENTINE, domus jubar paternæ;
Et lumen Philyres ubiqve claræ.
His salve atqve vale, Patrone magne,
Ac utriqve diu favere perge;
Et Dii fata tibi benigna reddent.

M. Martinus Faschius, Pastor & Decanus Schraplaviensis, in Diœcesi Mansfeldica.

HIE-

HIERONYMUS CARDANUS, Medicus Mediolanensis lib. II. de Sapientia.

AMicus noster Antonius Majoragius, non vulgarù eruditionis juvenis, cùm intermissam declamandi consuetudinem Mediolani revocâsset; brevissimo tempore non solùm in docendis pueris primis obtinuit partes: verùm ad publicè profitendum utramq; Linguam à Senatu, omnium studiosorum maximo fautore evectus est. Vixq; quinque annorum spatio, qui nihil erat, maximus & opinione & re evasit.

M. ANTONII MAIORAGII PANEGYRICUS,

Mediolani in templo maximo habitus, qvo die Joannes Angelus Arcimboldius Mediolani Archiepiscopus creatus est.

Cum

Orationum Majoragii XXV. argumentis seu periochis perbrevibus.

ORATIO I.

Pertinet ad genus Demonstrativum. Qvia laudat personam ad Archiepiscopatum evectam. Est bimembris. In prima enim parte vitam laudabiliter more majorum anteactam, resq; præclarè gestas perstringit. In alterâ rationes affert, cur is præ aliis huic muneri perfici debuerit, ob 3. sc. Cardinales virtutes: ad imitationem Orationis Ciceronianæ pro Lege Manilia.

Exord. à collatione.

SI QVID UNQVAM huic civitati nostræ, Patres amplissimi, Dei beneficio atq; munere datum fuit, qvo merito, atq; optimo jure gaudendum esse videretur: id profectò nobis accidit hodierno die: qvo virum omni laude, omniqve genere virtutis abundantissimum, Joan. Angelum Arcimboldium; jam non peregrinum, sed civem nostrum; non in hanc civitatem nuper ascitum, sed antiqvissimâ gente Mediolanensi, multisqve clarissimis majorum imaginibus florentissimâ natum; non mediocri rerum cognitione, sed incredibili sapientia præditum; tanto universi populi bonorumq; omnium consensu creatum hujus urbis Archiepiscopum videmus. Cùm enim ita sit à natura comparatum, ut in omnibus prosperis rebus, & ad voluntatem nostram fluentibus, omnes magnoperè gaudeamus: tùm in iis præcipuè, qvas ad religionem, & divinarum rerum cultum pertinere certum est, non tantùm sapientissimus qvisqve, sed etiam communiter omnis hominum multitudo majorum in modum lætari consvevit. Nam illud cunctis ferè gentibus persvasum est; Neminem unqvam magnum & præstantem virum sine afflatu divino fuisse; neqve casu aut fortuito, sed Dei ipsius voluntate atqve providentiâ, qvi religionis gubernacula teneant, eligi solere. Qvare non sine justissimâ causâ, cum excellenti virtute viris rerum sacrarum cura demandatur, confestim mentes omnium immensâ qvadam lætitiæ voluptate complentur. Vident enim ac sentiunt, talium virorum sapientiâ prudentiaqve tam placata & tranqvilla fore omnia; ut in terris & hac mortali conditione, qvoad fieri potest,

A facto.

Ratio à potiore.

A prærogativa.

A pietate.

potest, beatissimam illam cœlestium vitam non tantùm imitari, sed etiam repræsentare qvodammodo videantur. Qvæ cum ita ita sint, nemini mirum videri debet, si hac exoptatissima nostri hujus Archiepiscopi creatione tàm exhilarata est universa civitas; ut non tantùm homines ipsi, sed etiam expertes rationis animantes, & muri atqve parietes ipsius urbis, & deniqve res omnes etiam sensu carentes inusitatam qvandam atqve infinitam lætitiam præ se ferant. Tanta est enim hujus viri, qvem præsentem & novum Archiepiscopum veneramur, & cujus aspectu gravissimo jucundissimoqve recreamur, auctoritas, tanta virtus, tàm singularis sapientia: ut longè plura nobis de hoc bona polliceri possumus, qvàm de qvovis alio, post illum maximâ divinitate præstantem Ambrosium, civitas unqvam nostra reportârit. Itaqve debet unusqvisq; nostrûm ad agendas immortali Deo gratias, mentem, animum, linguam excitare. Qvod enim præstabilius, aut pulchrius nobis munus dare poterat, qvàm hunc & pium, & sanctum, & ipsi DEO similimum sacrorum Antistitem? Creatus est igitur is divino munere, qvem omnibus votis omnes exoptabant: qvem omnes uno consensu, atqve unâ voce deposcebant: qvem optimus qvisqve maximè cupiebat. Creatus is, qvi Christianam pietatem tueri, religionem amplificare, divina atq; humana rectissimè tractare novit. Creatus is, qvi labentem Ecclesiæ nostræ statum, & jam penè collapsum erigere atqve ad pristinam stabilitatem & nitorem reducere facilimè possit. Creatus deniqve is est, qvi totam hanc civitatem ac patriam suam semper propriâ vitâ chariorem habuit: qvi omni semper conatu nixus est, atqve etiam qvotidiè magis enititur, ut eam non modò salvam, sed etiam longè florentis-

Conclusio.

Apodosis.

A personæ laude.

Exaggeratio

A consensu.

A peritia.

A viribus.

A constantia

Ab amore in patriam.

ſimam videat: qvi labore ac vigilantia ſua, jam in plurimis & maximis rebus perſpecta & cognita, nihil earum rerum prætermiſſurus ſit, qvæ ad ſanctisſimum Antiſtitem, & optimum ſacrorum præſidem ſpectare videantur. Hoc autem tantum boni, tantum jucunditatis & gaudii, primum qvidem Deo Opt. Max. bonorum omnium auctori, ſed poſt Deum, Hippolyto, Ateſtio, Cardinali ferre acceptum merito ac jure debemus. Qvi cùm hunc Archiepiſcopatum Mediolanenſem à patruo ſuo puer adhuc accepiſſet, & annos jam unum & triginta poſſediſſet: decrevit tandem Arcimboldiam gentem jampridem optimè de religione meritam, qvaſi in veterem hujus Archiepiſcopatûs poſſeſſionem reſtituere. Nam non ita pridem ex hac eadem gente duo fuerunt Mediolanenſes Archiepiſcopi. Qvippe vir integerrimus, & æqviſſimus voluit hac in re civitate noſtræ, qvam id vehementiſſimè cupere, totoqve animo expetere intelligebat, benignè gratificari. Qvam rem non tantum Hippolytus ipſe, cujus erat in poteſtate, ſed etiam ſummus Pontifex, totumqve Cardinalium collegium maximâ cum aſſenſione, plauſuqve comprobavit: noſtræqve civitati novum hoc & incredile gaudium, qvod felix, fauſtumq; ſit, Deis atqve hominibus approbantibus, attulit. Sed ad te jam, Arcimboldi clarisſime, cujus jucundiſſimo conſpectu mirificè recreor, & ad dicendum majorem in modum excitor, pauliſper me converto, rogoqve atqve obteſtor, ut cum hac tam hilari multitudine, cum hoc tam læto populi concurſu, cum tanta nobiliſſimorum hominum & Principum freqventiâ, me dicente, tua tacitus bona patientiſſimis auribus recognoſcas. Ut cum nos, alii omnes iſta tua tam excellenti dignitate tantoperè lætemur; ſummoqve & communi gaudio

Oſtenſio per gradus ſucceſſionum.

Ab atavis.

Apoſtrophe.

gaudio perfruamur : tu etiam unà nobiſcum cogitatione rerum à te præclarisſimè geſtarum, & conſcientia rectæ voluntatis, & deniq; bonorum omnium tuorum recordatione gaudeas. Qvi natus in hac urbe omnium celeberrima & copioſiſſima, plurimisqve eruditiſſimis & fortiſſimis viris affluenti, & antiqviſſima nobiliſſimaqve familia per omnes dignitatis gradus, tum hîc in patria tua, tum apud exteras nationes ad iſtam ætatem tanta cum laude gloriaqve pervenisti: ut non modò majoribus tuis, qvi & honoribus, & rerum geſtarum gloria ſemper maximè floruerunt, ſimilis fueris; ſed etiam eorum memoriæ laudibusq; maximam lucem attuleris. Nunc autem hoc tantum munus ſumma cum omnium lætitia ſuſcepiſti; in qvo, tanqvam in theatro qvodam totius orbis terrarum ampliſſimo clariſſimoqve, omnium virtutum tuarum immortalium ſplendor elucebit: in qvo te præclariſſimos actus edentem & divinæ mentis tuæ vires in omnibus factis & dictis excitantem, omnes cives tui cæteræqve nationes infinita cum animi voluptate conſpicient: teqve non tantùm eis, qvi præſenti tempore vigent, Antiſtibus, ſed etiam antiqvis illis, omnium ſermone prædicationeqve celebrabis; & præcipuè majoribus tuis, qvi propè divinos honores conſecuti ſunt, anteponent. Qvàm enim grata, qvàm jucunda, qvàm exoptata contigit omnibus iſta dignitas tua! Qvibus te votis, qvo deſiderio, qvàm inaudita cupiditate cives tui te reqvirebant! Cum enim non ita pridem res de te perfecta eſſe diceretur; univerſa patria inter ſpem & metum de te uno non aliter cœpit eſſe ſolicita, qvàm de unico filio vidua mater, aut de novo ſponſo vehementiſſimo amore capta mulier. Et qvamvis jam eſſent omnia ſecura; qvamvis inter te & Hippolytum

Locus I. à patria & proſapia.

σύγκρισις. Ejusdem cum aliis.

Illuſtratio.

Hypophora.

Ateſtium eſſent jam latæ conditiones, & acceptæ; ſummusqve Pontifex & Cardinalium collegium eas approbâſſet: tamen ita amanter te patria exoptabat: tam tenerè molliterqve cupiebat, ut cum hujus diei celebritas prorogaretur, eò, qvòd nondum eſſent confecta diplomata, ne non timere qvidem ſine aliqvo timore poſſet. Verebatur enim, ne fortaſſe res non ſuccederet. Qvoniam in ejusmodi magnis negotiis, parvæ ſæpè inclinationes totam rem evertunt. Præclarè verò intelligebat, te Antiſtite ſibi tradito, qvantum eſſet bonorum cumulum habituram: qvantum contra jacturæ factura eſſet, qvantum detrimenti, ſi te jam deſignatum amiſiſſet. Itaq; qvoties ad amorem tuum, vel potius pietatem erga ſe civesqve omnes, mentis oculos referebat; ſtatim omnis timor ab ea recedebat: qvoties autem ad incertos variosqve caſus, qvib. etiam firma conſilia freqventer impediuntur, animum advertebat; iterum perhorreſcere incipiebat, & toto corpore contremiſcere. Qvin interdum illi veniebat in mentem ſubvereri, ne te Epiſcopatus ille Novarienſis, qvem annos jam qvatuor & viginti tenueras, fortaſſe nimium oblectaret, & ab eo divelli nullo modo poſſes. Audierat enim, qvàm opima, qvàm fertilis, qvàm fructuoſa ſit ea regio. Audierat, qvæ ſit amœnitas ejus oræ locorumqve omnium. Audierat Epiſcopum ibi non tantùm ſacrorum eſſe præſidem, ſed etiam in populos ſibi ſubditos habere vitæ necisqve poteſtatem. Et qvod caput eſt, audierat, in tota illa regione neminem eſſe, qvi non tui eſſet amantisſimus: qvi te non mirandum in modum coleret, obſervaret, veneraretur: qvi deniqve ad digiti crepitum tibi non obediret. Audierat præterea, te maximos in Epiſcopatu illo ſumptus feciſſe, multa magnifica palatia ſubſtruxiſſe

Anthypophora.

Patria cura de Antiſtite novo.

Peſſuli in ambitu, cum diſſuaſione.

1. à loco.

2. Jurisdictione.

3. à morigeratione.

3. ab impenſis.

xiſſe, reditusqve annuos ita diligenter procurâſſe, ut præter ſummam rerum omnium amœnitatem, etiam longè majores atqve uberiores fructus, qvàm antea præciperentur. Qvibus rebus ita commovebatur, ut jam timorem & dolorem ſuum diſſimulare nō poſſet: ut regioni illi, qvæ te diutius detineret, qvaſi rivali cuidam, non mediocriter iraſceretur, qvod ſibi deſignatum & traditū ſponſum præripere velle, qvodammodo videretur. Ergò non ſolùm in templis, ſed in curia, in foro, in privatis ædibus, vota non indies tantùm, ſed in horas ſingulas religiosè nuncupabantur, ſupplicationes ab omnibus fiebant: ut ad religionis noſtræ gubernacula tu qvamprimùm accederes. Ipſa verò patria cum diurna nocturnaqve ſollicitudine freqventer hujusmodi vocem & orationem effundere videbatur: Qvouſq; tandem me ſolicitam & anxiam habebis religioſiſſime, mihiqve propriâ vitâ multò carior Antiſtes? cur non qvamprimùm ad me parentem & procreatricem tuam, ſi genus reſpicis; ſi conditionē, ſponſam; ſi curam & munus, filiā accedis? Fierinè poteſt, ut te mei capiat oblivio, qvæ te genui, qvæ in lucem eduxi, qvæ tot ac tanta in te ornamenta contuli; Ubi eſt igitur patriæ pietas? ubi amor? ubi caritas? Qvod ſi te honeſtas movet: qvid honeſtius eſſe poteſt, qvàm de patria bene mereri? ſi utilitas: unde majorem fructum tibi tuisqve omnibus, qvàm ex me reportare potes? Si jucunditas: qvi locus eſſe poteſt domeſticâ ſede jucundior? Fateor eqvidē à te me plurima jampridem accepiſſe beneficia: ſed hactenus, ut à filio mater; ut ab eo, qvi mihi vitam debebat: ut ab eo, qvem à teneris annis gremio meo foveram. Nunc tota ratio eſt immutata. Nam divino qvodam conſilio ex parente ſponſa facta ſum, ex matre filia: non potes igitur abeſſe diutius. Cur enim me novam

Proſopopœja.

Patriæ amor.

1. ab honeſto.
2. ab utili.
3. à ſuavi.

Concessio. nuptam esse voluisti, si pateris, ut tui desiderio contabescam? Cur me vis habere loco filiæ si decori & honestati meæ non provides? Cur me tanto viro felicem existimem, si meo bono mihi frui non conceditur? Cur eo parente gaudeam, qvi à me securus abesse potest? Ah, me parum fortunatam, si te alia regio magis oblectarit, si me spes mea frustrata fuerit? Tunc ergo, vita, præsidium, delitiæ meæ, diutius aspectu me tuo privabis, atq; aliam potius regionem eo frui patieris? O me nimis credulam, qvæ te mihi semper in amore respondere judicavi! Certè hoc in tua potestate situm est, ut te mihi tanqvam charissimum filium reddas, qvia te procreavi: tanqvam optatiss. ad me sponsus venias, qvæ tibi cœlesti matrimonio copulata sum: tanqvam parens mei curam suscipias, qvæ tibi propter religionem filiæ loco esse debeo. Veni igitur fili, veni sponse, veni parens, ad hanc amantissimam tui patriam; cui sine te nihil potest esse jucundum, nihil dulce, nihil svave, nulla denique vita vitalis. Hæc atq; ejusmodi verba, maximo tui amore succensa videbatur qvotidiè Patria nostra fundere, donec tandem hic dies omnibus summis, infimis, mediocribus vehementer exoptatus advenit; in qvo vidimus, in hac civitate propè neminem esse, qvi non sua præsentia, suum erga te studium atqve animum testaretur. Vidimus hoc honestissimum ac pulcherrimum propter novam dignitatem tuam spectaculum apparatum. Vidimus Principem nostrum invictissimum Ferrandum Gonzagam, cum omni præsidio suo, cum Imperatoriis Ducibus, cum Demarchis, cum Baronibus, cum Tribunis militum, cum eqvitibus cataphractis, deniqve cum honestissimis hujus civitatis qvibusq; viris tibi obviam prodire. Vidimus te sub aureo caducco, sti-

Illustratio à simili.

Pathos.

Auxesis per apodosin.

Conclusio prosopopœjas.

Anaphora.

pan-

pantibus undiqve Principibus, & spectatissimis viris in urbem egredi, atqve ad hoc religiosissimum fanum templumqve maximum accedere. Videmus eos omnes, qvi ab exteris urbibus ac nationibus in hanc civitatem missi legatorum munere funguntur, freqventes honoris causâ tibi adesse. Vidimus totum ordinem senatorium, non tantum hujus civitatis lumen & ornamentum, sed etiam totius Italiæ, atqve orbis terrarum gravissimum consilium longè extra urbem profectum, obviam tibi venire, te venerari, te magno cum gaudio reducere. Vidimus prudentissimum Jurisconsultorum collegium, & Medicorum, & deniqve omnium, qvi sunt alicujus in hac civitate nominis, freqventiam, maximo studio, alacritate, sedulitate, tua vestigia subseqventem. Episcopos prætereà, Præsules, Antistites, Flamines, Sacerdotes cujusqve generis longo ordine procedentes. Effusam tui videndi cupiditate multitudinem, non tantùm vicos, & urbis regiones, sed etiam fenestras, meniana, podia, tecta deniqve ipsa replevisse. Postremo summam omnium hilaritatem vidimus, inusitatam lætitiam, profusam populi jubilationem; strependibus undiq; tubis, tympanis, tormentis, campanis, organis, fidibus, tibiis, musicis cantionibus, plaudentibus omnibus; acclamationibus & bonis ominibus proseqventibus, rosas, lilia, flores, coronas cujusqve generis ubiqve spargentibus; aromata, thura, svavissimos odores incendentibus, vicos & parietes omnes tapedibus, tentoriis, imaginalibus, tabulis pictis obtegentibus, nihil deniqve prætermittentibus eorum, qvibus infinitam lætitiam suam & gratissimum in te animum significare possent. Qvibus ego rebus omnibus existimo te vehementer qvidem gaudere; tantamqve in te civium tuorum charitatem &

Comitatus splendor.

Senatus.

JCti & Medici.

Plebs tota.

Publicus applausus.

Effectus Voti qvotidiani lætus.

pietatem majorem in modum amare. Verùm cùm hæc, pro tua singulari prudentia, cognoscas diuturna esse nullo modo posse; sed esse fugacia & caduca, paucisqve diebus interitura: longè tibi, sapientissimo homini gratiùs fore putavi, si qvis oratione suâ posset honestissimè studia tua, mores, intelligentiam, res præclarissimè gestas comprehendere, atqve effigiem istius animi tui verè divini literis & posteritati tradere. Multos enim magnanimos & fortes viros inveniemus, non tantùm magnoperè rerum à se præclarè gestarum gloriam desideràsse; verùm etiam vitam ipsam pro dignitate atqve laude profudisse: nihil deniqve intentatum reliqvisse, qvo famam suam in orbis terræ memoriam sempiternam disseminarent. Itaqve cùm etiam te, qvamvis sapientissimus sis, studio gloriæ, sicut optimi qviqve viri faciunt, duci non dubitem: qvam non tantum tibi ad æternitatem, sed etiam posteris tuis ad exemplum & imitationem plurimum esse profuturam intelligis: si qvis mihi Deus eam dicendi vim facultatem traderet, qvâ possem honestissimas qvasqve vivendi rationes, ab ineunte ætate à te susceptas, & ad hoc usqve tempus perductas, satis dignè commemorare: non est mihi dubium, qvin æternam & immortalem apud mortales omnes futuram summæ virtutis tuæ memoriam pro singulari in te observantia mea non mediocriter amplificaturus essem. Sed cum ingenii mei vires perexguæ sint: virtus autem tua incredibilis, ac propriè divina, qvæ per sese vigebit memoria seculorum omnium: certè non decus aut splendorem ab oratione mea capere potest: sed contra potius à virtute tua genium & immortalitatem oratio mea sine ulla dubitatione receptura est. Qvæ me spes potissimùm ad hanc suscipiendam de te dicendi provinciam excitavit. Verùm

Rejectio. *Transitio.* *Extenuatio.* *Collatio.*

rùm priusqvam ad te veniam, aliqva mihi de majoribus tuis commemoranda esse censeo; ut omnes intelligant, maximos qvidem illos & clarissimos viros fuisse, pulcherrimaqve tibi exempla ad imitandum domestica semper extitisse: sed ita gessisse te, ut non modò non illis inferior fueris, verùm etiam eos longo intervallo superâris. Ac mihi qvidem, ut spero, vos etiam, Patres amplissimi, dabitis hanc veniam, ut qvoniam ab avis atqve atavis hæc Arcimboldiorum familia semper cœlestis atqve divina fuit, anteqvam ad hujus Archiepiscopi laudes & res egregiè gestas veniamus, qvibus eum tanto honore, tamqve præstanti munere dignum ostendimus; breviter aliqvot insignes viros ex majoribus ejus commemoremus. Juvabit enim, ut opinor, non mediocriter animos vestros hæc præstantium virorum brevis commemoratio. Juvabit, inqvam, per egregia facta, tanqvam per lætissimos lucos & amœnissima qvædam vireta transeuntes, ad hanc postea celebritatem & publicam lætitiam, qvasi confectis spatiis, devenire atqve in ea tandem jucundè svaviterq; conqviescere. Qvamvis neminem unqvam tantâ eloqventiâ fuisse existimem, neq; tam divino atq; incredibili genere dicendi, qvi horum hominum virtutes laudesqve non dicam augere aut exornare oratione, sed percensere numerando posset. Ut enim ab origine splendorem & claritatem generis non repetam: qvod & longum nimis esset, & nobis id angustia temporis non concederet: qvis hujus proavo Nicolao nobilior aut clarior unqvam fuit? qvis sapientior? qvis prudentior? Qvem unum optimum Jurisconsultum, & præstantissimum Senatorum, Dux & Princeps Mediolanensium Philippus Vicecomes consiliarium habere

Propositio cum præmunitione.

Insinuatio per digressionem.

Ratio.

Extenuatio.

Narratio per stirpis seriem.

haberevoluit; ut ei res suas arcanas, & ad imperii administrationem pertinentes assiduè communicaret. Qvi tam insigni fidei, religione, auctoritate, fuit, ut plurimas pro suo Principe susceptas legationes felicissimè semper obiverit; & qvod omnium maximum est & vehementer admirabile, cum asperrimū inter Philippum & Venetos bellum intercederet, tamqve irritati jam essent omnium animi, ut nullo modo placari posse viderentur: tantum eloqventia sua singulariqve prudentia Nicolaus Arcimboldius, cùm legatus ad Venetos missus fuisset, effecit, ut firmissimam ab eis atqve optimis pro Philippo conditionibus pacem reportarit. Jam verò frater ejus Antonellus ductor fortissimus, domi forisq; perpetuam sibi gloriam, & scientia rei militaris, & virtute, & auctoritate, & felicitate comparavit. Qvi Joanne Galeatio Vicecomite, & ejus filio Philippo Mediolani Ducibus, Tribunus militum consulari potestate constitutus, & totius exercitus moderator ac Princeps, Remp. nostram semper bene & feliciter gessit. Sed omnium majorum suorum gloriam sine dubitatione Joannes Arcimboldius, Nicolai filius, non solùm adæqvavit; sed etiam longè superavit. Qvi cum longo tempore propter egregiam Juris utriusqve scientiam & Francisco Sfortiæ Primo, & ejus filio Galeatio gravissimus fuisset, atqve utriusqve Principis maximo cum honore senator, consiliarius: & rerum gerendarum auctor extitisset; mortua demum uxore Briscida: ex qva jam Aloysium hujus Archiepiscopi nostri parentem susceperat, ad religionem animum adjecit, neqve ita multò post, ob integritatem admirabilem & probatissimos mores Novariensem Episcopatum assecutus est. Tantaqve fuit ejus probitatis & sapientiæ fama, ut cum à Galeatio Sfortia missus

A legatione.

A militiæ peritia.

Episcopus factus.

missus orator ad Sixtum Qvartum Pontificem Maximum fuisset, ab ipso Pontifice Maximo cum honore susceptus, statim Cardinalis creatus fuerit: & qvod alii pauci vix longo tempore, multisq; consumptis pecuniis asseqvi possunt, id ipse paucis diebus facilimè & gratuitò consecutus est. Qvid? qvod non ita multò post ejusdem Pontificis Legatus summâ cum potestate Perusiæ fuit? Jam illud non tantùm maximum, sed etiam inauditum & admirabile fuit. Duas enim eodem die summas omnium in Ecclesia Mediolanensi dignitates, universo Cardinalium collegio comprobante, Pontifex illi detulit. Nam & Abbatem Divi Ambrosii, in cujus tutela est hujus nostræ civitatis salus, constituit: & Mediolanensem Archiepiscopum creavit. Qvod si longiorem illi vitam fata dedissent, nemini dubium fuit, qvin propter eximias & singulares virtutes suas brevi tempore Pontifex Maximus esset futurus. Qvid hujus frater Viduas Antonius? nonne qvamvis dignitate fuerit inferior, tamen rerum experentia, sapientia, probitate penè par semper habitus fuit? Qvi primò propter ingenuos ac liberales mores à Francisco Sfortia primò fuit electus, qvi comes ejus filio Galeatio, jam tum imperii successioni destinato, semper assisteret, cum eo eqvitaret, luderet, jacularetur, venaretur, ex eadem mensa vesceretur. Deinde cùm Galeatius, patre mortuo, rerum potitus fuisset, eundem tàm jacundum & gnarum habuit, ut à suo latere nunqvam discedere pateretur. Itaqve post fratris sui Joannis Cardinalis obitum, facilè Mediolanensem Archiepiscopatum assecutus est. Qvin etiam posteà plurimas & honorificentissimas legationes, Galeatio & Ludovico ejus fratre ducibus, maxima cum dignitate & gloria sæpius obivit. Erat enim vir præter

Legatus denuo.

Abbas factus

A morum honestate.

A legatione.

præter morum integritatem maximè facundus & eloqvens: qvi facilè dicendo mentes hominum, qvocunqve voluisset, implere posset. Qvo circa & ad regem Hispaniarum, & ad Matthiam Pannoniæ regem legatus missus fuit. Qva in legatione propter ejus probitatis & sanctimoniæ famam, tanto cum populorum omnium ad qvos accedebat plausu, tantaqve cum gratulatione suscipiebatur, ut eum omnes, non tanqvam aliqvem ex hac urbe missum virum, sed tanqvam è cœlo delapsum Deum intuerentur. Qvamobrem ipse post reditum suum in patriam, hujus rei felicisqve legationis atq; itineris monumentum in suburbano præsidio superesse voluit. Extat enim adhuc in Bicocano qvædam amplissima porticus, variis picturis exornata, qvibus totus ejus legationis successus sigillatim & accuratè significatur.

Hyperbole.

Transitio ad Aloysium.

Qvid autem de clarissimo viro, hujus Archiepiscopi nostri parente Aloysio, commemorem? Qvi propter insignem Jurisprudentiæ cognitionem multos honores ac dignitates, & Galeatio & Ludovico Ducibus, obtinuit. Nam & senator egregius fuit, & Eqves Auratus, & duorum Principum consiliarius, & Cremonensis præfecturæ gubernator. Sed qvamvis etiam nihil aliud in vita memorabile gessisset; tamen vel hac una de causa summoperè celebrandus esset; qvod primo Octavianum hujus fratrem maximè admirandum ac verè divinum hominem: deinde huc etiam, cujus adhuc prudentiâ consilioq; nostra hæc civitas lætissima fruitur, per qvam feliciter genuerit. Nam Octavianus frater hujus eâ præstantiâ fuit, ut non ab homine natus, sed à Deo fictus esse videretur: qvippe qvi adolescentulus ac penè puer tantam utriusqve Juris scientiam acqvisivit, ut in Jurisconsultorum collegium magnâ cum omnium ad-

mira-

miratione cooptaretur. Is deinde cùm omni doctrinæ genere, tum eloqventia præcipuè miraqve dicendi facultate præcelleret, annum agens qvartum & vigesimum Romam profectus, eodem anno ab Alexandro Sexto Pontifice maximo multos honores ac dignitates assecutus est: in qvibus tam sanctè atqve integrè se perpetuò gessit, ut in se totius Romanæ Curiæ ora converteret. Erat enim ingenium in eo plus qvàm humanum, doctrina admirabilis, mores vehementer amabiles, immensa omnium actionum gratia, comitas atqve affabilitas sermonis inaudita. Qvàm enim ornatè, qvàm graviter, qvàm copiosè mortuum Alexandrum Pontificem pro concione laudâsse dicitur? Qvantâ dicenti majestate Pii Tertii successoris ipsius Alexandri creationem celebrâsse? Sed heu fallacem hominum spem, fragilemqve fortunam! In ipso veræ laudis & gloriæ cursu, cùm duorum Antistes jam conventum esset, & Mediolanensis Archiepiscopus designatus: in ipso, inqvam, juventutis flore cùm annum secundum ac trigesimum ageret, summo cum omnium mœrore ac tristitiâ derepentè extinctus est. Sed tamen bene & feliciter nobiscum actū est, Patres Amplissimi, qvod hunc adhuc præsentem tam insignem omni laude virū, tanta auctoritate, fide, religione præditum, superstitem & incolumē habemus; multisqve posthac annis felicissimè atq; optimè victurum, & speramus, & optamus Jam enim ad hujus mihi laudes & facta veniendum est, cujus causâ suscepta est hæc omnis oratio Ut qvāvis omnes intelligāt, nullum unqvam, post illū Principem Ambrosiū, extitisse Archiepiscopū præstantiorē: tamen cognitione & commemoratione rerum honestissimarū, & omniū voce, literis, prædicatione dignissimarum, sodalium ac plenum hujus diei gaudium sentiamus. Ac mihi qvidem,

Exclamatio

Epanodos ad protasin.

Exaggeratio Hyperbolica.

Patres

Propoſitio laudum.

Patres amplisſimi, tantus virtutum ſplendor, tantum lumen, tam immenſa claritas, qvantam in hoc viro eſſe conſpicio, ſic mentis oculos atqve aciem perſtringit, ut vix eam ſatis animo cernere, nedum

Declaratio à ſimili Solis.

verbis eloqvi me poſſe confidam. Verùm ut ſolem adverſum intueri neqvimus: ſed ex ejus radiis longè lateqve diſperſis, qvanta ſit ejus amplitudo, qvàm immenſum lumen, intelligere facilè poſſu-

Apodoſis ad perſonam.

mus: ita, qvamvis fulgentisſimis illis virtutibus, qvæ in hujus viri altisſimâ divinâqve mente verſantur, mentis oculos defigere neqveam; tamen ex optimis ejus actionibus, & rebus præclarisſimè geſtis, qvantæ ſint, qvamqve immenſæ, me aliqvo modo declarare poſſe non diffido. Non ita tamen ut omnes

Paralepſis.

ejus glorioſas actiones enumerem, qvod fieri nullo

Propoſitionis partitio gemina.

modo poteſt: ſed ut ea ſummatim primò, qvæ ſunt ad laudem illuſtriora, perſeqvar: deinde, qvæ efficiunt, ut non tantum hoc præſenti honore, ſed etiam longè majori & ampliori dignisſimus eſſe videatur.

Rejectio.

Nam, ut ea, prætermittam, qvæ de hujus natali die, futuraq; præſtantia Vates, Aſtrologi, Conjectores, cæteriqve Divini prædixerant: qvæ licet vera fuiſſe poſteà exitus comprobavit: tamen qvia non ita vulgata ſunt, à me fingi putarentur. Tantum enim abeſt, ut aliqvid hujus laudibus oratione mea velim affingere, ut etiam ea præterire decreverim, qvorum, qvamvis honeſtisſima fuerint, tamen pauci teſtes

Loci perſonarum.

eſſe poſſunt. Ut hæc igitur miſſa faciam; cùm puer eſſet, àb optimis atqve honeſtisſimis parentibus, qvi præclarè intelligebant, qvantùm à teneris annis in-

Ab Educatione.

terſit optimis vivendi rationibus aſſueſcere, tam religiosè ſanctèqve educabatur, ut nihil ei placere poſ-

A Conſuetudine.

ſet, qvod aliqva ex parte turpe eſſe videretur. Ut non ejus pueritia delitiis atqve indulgentia ſolvere-

tur;

tur, ſed labore & ſeveritate firmaretur: non in luſibus & jocis, ſed in præcipiendis ingenuis ac liberalibus diſciplinis tota conſumeretur. Nam freqventibus qvaſi ſtimulis orationis, qvamvis ſuâ ſponte ſatis incitatus eſſet, & à parentibus & à præceptoribus ad exempla majorum ſuorum imitanda ſuſcitabatur, ut honeſtatis curſum teneret, & dignitatis atqve gloriæ portum caperet: ut cum nutricis lacte moribus qvàm probatisſimis imbueretur, ut ne qvid cupidè, ne qvid impotenter, ne qvid improbè committeret. Ita verò cum æqvalibus ſuis in ludo atqve pueritiæ diſciplina verſari ſolebat; ut qvamvis ingenii memoriæqve gloria facilè omnibus antecelleret, nemini tamen unqvam ſe præponeret; ſed mirificâ qvadam animi moderatione facilè omnes, cum qvibus erat, perferret ac pateretur; eorum ſtudiis, qvantum honeſtas ferret, ſemper obſeqveretur, nulli omninò contra jus & fas adverſaretur. Ita ſine ulla invidia laudem facilè inveniebat, & amicos ſibi comparabat. Erat autem in ætate illa puerili maximâ corporis dignitate atqve pulchritudine ornatus, qvæ nunc etiam in hac, qvam videtis, ætate ſumma qvadam cum majeſtate relucet. Qva fiebat, ut ejus egregia virtus gratior & jucundior omnibus videretur; ut animi pulchritudo corporis venuſtati mirè conveniret atqve reſponderet. Nam, qvod rarisſimum eſt exemplum, in pueritia magnoperè frugi erat, & ſumme temperans; qvemadmodum deinceps etiam per omne vitæ ſuæ curriculum ſemper fuit. Et frugalitatis qvidem ac temperantiæ teſtes ſunt ii, qvi cum eo ſimul erudiebantur & verſabantur: dignitatis autem corporis & pulchritudinis omnes, qvi eam conſpiciebant. Hæc autem omnia deinde cum

A converſatione.

A corporis dotibus.

Ab animi bonis.

Auxesis Hyperbolica. ætate mirandum in modum aucta sunt. Qvibus accessit posteà fortitudo, & sapientia, & justitia: Neqve, qvod in aliis præclaris hominibus accidere solet, hæ virtutes in hoc homine ita mediocres fuerunt, ut una tantùm earum excelleret; sicut in Themistocle fortitudo, in Aristide justitia, in Solone sapientia, in Xenocrate temperantia: sed omnes excellentes, omnes eximiæ, qvod hactenus ex ejus rebus gestis luce clariùs apparuit. Tantum autem jam tum à prima ætate, & corporis ornamentis & animi bonis æqvalibus suis antestabat, ut qvicunqve eum viderent, aut cum eo consuetudinem haberent, non tantùm ejus amabilem naturam & præstans ingenium admirarentur; sed etiam comem & jucundam ejus orationem, urbanos & civiles corporis gestus, præsentem & acrem animum, senilem deniqve in puero prudentiam obstupescerent: & jam eo tempore judicarent, nullo modo fieri posse, ut ejusmodi natura demissis atqve humilibus rebus contenta, privatè viveret; sed alta qvadam mente, sublimiqve animo majora semper & honestiora spectaret. Cùm autem ad ejus puram & integram vitam, & mores sanctissimos animum adverterent, statim affirmabant omnes, eum aliqvando maximum & religiosissimum sacrorum Antistitem futurum; ut, qvod hoc tempore divinâ providentia contigit, id jam in ejus pueritia, qvicunqve eum noscerent, tantò antè divinarent. *Antithesis.* Sed qvoniam, ut in placido tranqvilloqve mari qvilibet optimus videtur esse gubernator; at in sæva tempestate semper virtus & scientia veri gubernatoris elucet: ita sæpissimè res secundæ sic ingenium obruunt, ut præstans vir ab abjecto discerni non facilè possit; adversæ verò statim hominis excellentiam aperiunt: non in mini-

ma

ma felicitate duxerim, qvod fortuna, bonis ferè omnibus contraria, semper huic insidias aliqvo modo struere non cessarit. Qvi per omne vitæ suæ tempus ita exercitatus est, ut in molestiis & calamitatibus semper major & præstantior appareat, atqve illas, cùm ope divina, qvæ nunqvam ei defuit, tùm etiam prudentia sua propulsaret. Cùm enim exploratum haberet, omnibus fortunæ telis humanam vitam esse propositam: à teneris usqve annis ita Vulcaniis armis, id est, fortitudine atqve animi magnitudine se se contexit, ut illum qvidem freqventissimè sors adversa concusserit; sed nunqvam tamen omninò de gradu dejicere, aut labefactare potuerit. Postqvam igitur excessit ex ephebis, & liberiùs illi vivendi potestas fuit; non se corporis voluptati, blandissimæ dominæ, tradidit; qvod pleriqve faciunt adolescentes: neqve aut eqvos ad currendum, aut canes ad venandum, ut ait Comicus, diligenter qværebat: sed omnibus honestis disciplinis studiosè operam dabat. Audierat enim, ab Epicharmo Siculo verissimè dictum fuisse: laboribus omnia bona Deos immortales hominibus vendere; & à Musonio Philosopho: juvenem eum, qvi laborem & animi contentionem refugit, seipsum bonis rebus omnibus indignum ostendere. Qvare studium & ardorem qvendam amoris omnium ingenuarum artium sic arripuit, ut eum nulla difficultas ab instituto cursu revocaret: non libido ad voluptatem: non otium ad animi remissionem: non deniq; somnus ad qvietem. Inprimis tamen Juris Civilis & Pontificii studium amplexus est: cùm qvia videbat in eo majores suos plurimùm excelluisse; fit enim hoc plerunqve, ut qvorum patres aut majores aliqva gloria præstiterunt, hi studeant in

A prudentia.

Transitio ad adolescentiæ exercitia honesta.

Apodosis ad personam.

eodem genere laudis excellere: tum etiam, qvia præclarè intelligebat, nullum ex omnibus esse studium, nullam artem, nullam disciplinam, qvæ magis ad omnes honores & dignitates aditum atqve viam, qvàm Jus civile, patefaciat. In hoc igitur studio ita continenter & assiduè versabatur, ut non solùm æqvalibus suis, sed etiam longè natu majoribus antecelleret. Et qvamvis civilem scientiam, qvæ reliqvarum scientiarum, etiam Aristotele teste, domina atqve regina est, præter cæteras omnes adamaret; tamen, qvod mirum erat, omnibus qvoties ei reficere atqve recreare animum, vel etiam jocari libuisset, ita Rethores ad declamandum, ad disserendum Dialecticos, Poëtas ad versus ex tempore pangendos invitabat; ut maxima cum astantium omnium admiratione atqve voluptate victor sæpissimè discederet. Qvæ ingenii ubertas & prompta celeritas deinde semper aucta, & perpetuâ meditatione conservatâ, nunc etiam in ista ætate, qvam videtis, integra perseverat. Nam omnium eruditorum testimonio, cùm prudentia & acumine & subtilitate, tùm verò eloqventiâ, varietate, copia, qvam se cunqve in partem dederit, omnium est facilè princeps. Vidi ego nuper, nec sine mirifica qvadam voluptate, vidi scriptum ab eo perqvam ingeniosè subtiliterqve de fortunæ varietate atqve inconstantiâ, qvæ longo illi tempore molesta fuit, Epigramma: qvod, meo qvidem judicio, nulli veterum Latinorum ejus generis scriptioni postponendum est; pluribus verò longè etiam anteponendum. Sic igitur ab adolescentia vitam suam instituit, ut nullam aliam voluptatem, nullam delectationem, qvàm ex disciplinis perciperet: qvas omnes ita diligebat, & suavissimum qvendam esse pastum animorum

1. Et hic 2.

Comprobatio ab autoritate aliorum.

Symperasma juventæ.

prædi-

prædicaret: in eis totus erat, in eis noctes & dies versabatur. Nam qvod vel nulli, vel certè paucissimi possunt, eo semper animi robore, ea indole virtutis & continentia fuit, ut omnem vitæ suæ cursum in labore corporis atqve in animi contentione confecerit: non eum qvies, non remissio; non æqvalium studia, non ludi, non convivia delectârint; nihil deniqve in vita penitus expetendum putârit, nisi qvod esset cum laude atqve dignitate conjunctum. Itaqve cùm adhuc in publicis gymnasiis versaretur, freqventes erant cum eo semper adolescentes honestissimi, rectissimisqve studiis & optimis artibus dediti. Perspiciebant enim in eo non solùm præstans ingenium elucere, qvod assiduitate atqve industriâ qvotidianâ plurimùm aleretur; sed etiam genus orationis, facultatem, copiam sententiarum atqve verborum, & cognitione rerum institutam, & curâ & vigiliis elaboratam. Neqve mirum, hæc jam tum in adolescente fuisse. Non enim aliorum adolescentium vestigiis insistebat, non tritam ab aliis viam sibi proponebat; sed magnos esse experiendos & subeundos sibi labores existimabat. Natum enim se virtuti, non desidiæ: dignitati, non voluptati, patriæ, civibus suis, laudi, gloriæ; non somno & conviviis, & delectationi prædicabat. Qvare tantùm ea seqvebatur, qvæ nisi vigilantes, nisi sobrii, nisi industrii homines asseqvi non possunt: qvæ dignitatem, qvæ laudem, qvæ gloriam afferunt: qvæ sunt ampla, qvæ divina, qvæ immortalia; qvæ fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, posteritati propagantur. Cùm igitur adolescentiæ suæ florem ita traduxisset, ut esset omnibus qvasi qvodcam laboris, continentiæ, religionis, innocentiæ, pietatis exemplar: subsecutum est posteà tempus

Collatio per antithesin.

Ratio per antithesin.

Conclusionis repetitio.

Transitio ad adultem ætatem ambitiosam.

illud, qvo propter excellentem Juris Civilis & Pontificii doctrinam [Laurea decoratus, in Jurisconsultorum collegium cooptatus est. Qvo qvidem tempore non ipse tantum honorem, qvi maximus erat, à collegio, qvantum ab ipso dignitatis & amplitudinis collegium accepisse visum est. Tantus enim hominum concursus ad eum audiendum factus est, ut non modò non subsellia freqventissima; sed ne ædes qvidem amplissimæ minimam audiendi cupidorum partem capere potuerint. Qvâ verò gravitate, Dei immortales, qvâ prudentia, qva dicendi majestate, totam vitæ suæ studiorumqve rationem reddidit? Qvàm prompto animo, qvo acumine ingenii, qvo verborum splendore, propositas sibi legum qvæstiones, & Juris utriusqve nodos facilè dissolvit. Qvibus rebus effectum est, ut multo majore cum gloria celebritateqve, qvam alius qvisqvam eâ tempestate, Jurisconsultus declaratus sit. Postqvam igitur tanta cum laude atqve approbatione doctissimorum hominum Jurisprudentiæ fuit insignibus decoratus: memor qvam vivendi rationem ab ineunte ætate suscepisset, & qvàm gravem personam sustineret: omni diligentiâ providendum sibi esse censuit, ut nihil, qvod aut vitæ superiori dissentaneum, aut Jurisconsulti personæ gravitatiqve non consentaneum videretur esse, committeret: sed in respondendo Jure ita sese gereret, ut summis, infimis, mediocribus gratus esse posset. Magnam enim laudem, & gratam hominbus esse censebat, in ea scientia plurimum elaborare, qvæ multis esset profutura. Qvæ qvidem eum cogitatio deliberatioqve non fefellit. Cùm enim ea, qvæ proficiscuntur à legibus & â Jure civili, semper ad facilitatem æqvitatemqve referret,

[Margin: Fit JCtus.]

[Margin: A conseqventibus, a genere & institutione.]

[Margin: Ratio.]

get, neqve constituere litium actiones mallet, qvàm controversias tollere; sic ad ejus consilium undiqve, tanqvam ad oraculum qvoddam, multi mortales conveniebant. Ejus autem omne studium in eo consumebatur, ut supplicibus & innocentibus opem ferret, salutem daret, periculis liberaret; fraudes omnes & calumnias, ex falsa juris interpretatione coortas, è medio tolleret: suum deniqve cuiqve tribueret. Et qvamvis ejus vestibulum & janua, maxima qvotidiè freqventia civium, ac summorum hominum splendore celebraretur: non tamen unqvam ita defatigatus erat, ut qvenqvam inconsultum à se dimitteret: sed omnibus æqvaliter lucem animi, ingenii, consiliiqve sui patefaciebat; omnibus ad se faciles præbebat aditus: omnes leniter ac patienter audiebat: deniqve magis ad aliorum arbitrium, qvàm ad suum vivebat: neqve tantum sibi præmium, aut opes, aut gratiam, qvantum decus, justitiam, æqvitatem proponebat. Hac fama impulsus Maximianus Sfortia, dux ac Princeps Mediolanensium, hunc unum ex maxima præstantissimorum Jurisconsultorum multitudine, qvam semper hæc nostra civitas habuit, egligere voluit, cui secreta sua communicaret, & qvo maximis in qvibusqve rebus consiliario, rerumqve gerendarum auctore niteretur. Audiebat enim, ac præsens ipse videbat hunc in negotiis maximè laboriosum esse, in periculis fortissimum, in aggrediendis rebus industrium, in providendis sagacissimum, in conficiendis celerrimum. Itaqve sperabat, hoc adjutore & consultore suum imperium longè meliùs & justiùs administratum iri. Qvæ spes eum & expectatio non fefellit. Sic enim susceptum negotium prudenter & sapienter agere instituit, ut omnibus in rebus lux qvædam

Ab indefesso labore perhypophorum.

Ab effectu adhibiti laboris.

Fit Consiliarius.

Hypophora alia.

justitiæ & æqvitatis oborta civitati nostræ videretur. Qvamvis enim in eo semper fuerint & animi & ingenii celeres qvidam motus, qvi ad excogitandum acuti, & ad explicandum uberes, & ad rectè faciendum prompti viderentur; semper tamen in considerandis rebus & tempus & diligentiam adhibebat, neqve unqvam ex tempore de ulla re pronunciabat: suum namqve consilium, qvod ad Reip. summam sæpissimè spectabat, non præcox, sed maturum oportere esse censebat. Illud enim præclarè intelligebat, sæpenumerò fieri solere, ut consultorum temeritate maximæ qvæqve res evertantur. Atqve id etiam secum animo volvebat, principem ipsum à consilio suo pendere totum, atqve ideò in suâ esse potestate, ut vel benè vel malè res omnes administrarentur. Audierat porrò, non semel à Platone dictum fuisse, rem qvandam sacram esse consultorem; qvem non solùm ab omni criminis labe, sed etiam à suspicione purum esse decedat. Itaq; tam sapienter & justè consulebat, tàm castè atqve integrè se gerebat: totam ut Remp. nostram suis ipse penè solus humeris sustineret. Tantâ prætereà diligentiâ res singulas providebat, tantâ modestiâ suas actiones omnes dirigebat; ut eum non tantùm cives nostri, sed etiam peregrini vehementer & amarent & vererentur. Nihil verò titubanter, nihil inordinatè, nihil temerè faciebat: sed in omnibus ejus dictis & factis inerat summa constantia, veritas, & circumspectio. Non pudor, non integritas, non religio, non assiduitas unqvam in eo reqvisita fuit. Nullum unqvam ulla civitas consilii publici auctorem neqve moderatiorem neqve sanctiorem non modo vidit, sed aut sperando aut optando cogitavit. Nullum hic unqvam officium prætermisit eorum

A cauta inspectione.

A constantia.

Comprobatio à re ipsa.

eorum, qvæ ab illo conſultore ſervari debent, qvi communem ſemper utilitatem privatis commodis anteponant, & qvi majori patriam charitate, qvàm propriam vitam proſeqvatur. Qvamobrem tantopere prudentiam ejus ſuſpiciebat Maximilianus princeps, tanti eum faciebat, ut ne latum qvidem unguem ab ejus conſilio ſibi recedendum eſſe cenſeret. Interim accidit, qvod in rebus humanis fieri ſolet, qvæ ſurſum ac deorſum perpetuò feruntur, neqve in eodem ſtatu diutius conſiſtere poſſunt, ut Reſpub. noſtra bellicis tumultibus exagitata, variis cladibus & offenſionibus vexaretur. Qvo tempore noſter hic Antiſtes Romam cum Sedunenſi Cardinale, cui propter ſingularem prudentiam & eximias ingenii ſvavitates qvam clarisſimus erat, profectus eſt: ut cùm jam apud nos præſtantisſimæ ſapientiæ ſuæ, rarisſimæqve virtutis documenta maxima dediſſet, etiam urbe illa, qvæ cæterarum urbium domina atqve regina eſt, & in qva religionis, & ſacrorum, & ceremoniarum omnium jampridem domicilium eſt conſtitutum, qvid ipſe plurimis laboribus & longisſimis vigiliis in rebus divinis, & ad ſummam religionem pertinentibus anteà profeciſſet, palàm oſtenderet. Qvod ſanè paucis ei diebus nondum id agenti, maximo cum honore gloriaqve contigit Profectò latere non poteſt egregia virtus, ſed qvo magis occultatur, eò magis lucet ipſa per ſeſe, ſplendetqve etiam in tenebris; & eos, in qvibus eſt & apud omnes gentes ac nationes laudabiles & vehementer amabiles efficit. Vix dum Romam hic noſter attigerat, cum ejus nominis fama per totam urbem longè lateqve diffuſa eſt; cum ej[…] præſtantiam omnes admirati, qvàm honeſ[…] fi[…]simos de eo ſermones habere cœperunt. Itaqve

Comprobatio ab effectu alio, præſertim munerum Ѣariè hinc inde geſtorum.

non tam ipse ad alios visendos & salutandos, sicut fieri solet, qvàm alii ad eum freqventissimi veniebant, & magno studio qvotidiè domo deducebant, & reducebant. Qvinetiam cum Leo Decimus Pontifex Maximus ad se accersi jussit, & multis atqve honorificentissimis verbis commendatum, post paulò multis affecit honoribus. Jam verò magnum illud atqve memorabile fuit, qvod cùm eo tempore tota ferè Germania tumultuaretur, populiqve feroces, atqve indomitæ nationes contra fidei religionisq; Christianæ principem insurgere jam auderent, multaqve jam tum meditarentur, sanctissimorum virorum & Pontificum institutis contraria; Christianisqve legibus repugnantia, circumspectis omnibus Leo Decimus ex omni Antistitum collegio tandem hunc unum elegit, qvem & prudentia, & consilio, & auctoritate plurimum excellere videbat: cujus fortem & constantem animum, admirabilem in reducendis ad rectam viam atqve honestatem hominum mentibus dicendi vim & facultatem agnoscebat: cujus deniqve fidem, integritatem, sanctitatem perspectam & cognitam habebat. Hunc igitur unum in tumultuantem Germaniam ad res componendas, & Apostolici solii Pontificiæqve majestatis negotia peragenda cum summa potestate nuncium ac legatum misit. Hic autem animo reputans, qvàm magnum & qvàm periculosum onus humeris suis impositum esset, omnem sibi ingenii aciem, omnes nervos intendendos esse statuit, ut non tantùm ea legatione fidelissimè fungeretur: sed etiam ut præclarum aliqvid efficeret, qvod & dignum expectraione, qvam de se omnibus concitarat, & dignum deniqve Pontificis judicio, qvod

Ansa legationis.

[Di]fficultas legationis.

ece se

de se fecerat, esse videretur. Qvare tantam erga omnes, ad qvos accedebat, modestiam, tantamqve humanitatem ostendebat: tanto dicendi artificio utebatur; tàm ingeniosè, qvæ ad Christianas leges attinent, explicabat, ut multarum nationum animos, non mediocriter labantes & fluctuantes, in fide ac religione facilis confirmârit: totamqve ferè provinciam illam ita peragrârit, ut omnibus esset venerabile qvoddam antiqvæ religionis & sanctitatis exemplum: omnes eum suspicerent, omnes ejus auctoritati sibi parendum esse censerent. Erat enim in admonendo mitissimus & humanissimus: in victu verò suo continentissimus & severissimus: in corrigendis vitiis maximè comis & mansuetus: ut cùm æqvaliter omnes argueret, increparet, emendaret: tamen affabilitate comitateqve sua conseqveretur, ut eos ipsos, contra qvos statuisset, æqvos placatosqve dimitteret. Neqve dubium esse potest, qvin omnia brevi tempore, qvæ ad religionem pertinent, in illa regione provido ac divino hujus consilio placata & tranqvilla futura fuissent: nisi factiosi qvidam & turbulenti homines discordiarum amatores, pacis & religionis inimici, motus populorum & seditiones concitâssent. Qvibus hic noster non aliter atqve olim Paulus ille Tarsensis, nostræ persuasionis antesignanus, & Petrus ille Bar Jonæ, dux & moderator Ecclesiæ Christianæ suis adversariis aliqvandiu maximo cum animo, constantia, dignitateqve restitit. Sed qvod fretum, qvis Euripus tot motus, tantas, tam varias habet agitationes fluctuum: qvantas perturbationes & qvantos æstus habet popularium vita? cum præ-

Ab æqvitate & modestia.

Επανόρθωσις

Exclamatio

præsertim eos auctores habet, qvos esse sapientes existimat. Totam opinionem parva nonnunqvam commutat aura rumoris: sæpè etiam sine ulla aperta causa consilium mutat. Nihil est incertius vulgo, nihil obscurius voluntate hominum, nihil fallacius imperita multitudine. Sic Ephesii qvondam Paulum Tarsensem, Christi legatum, primò tanqvam Deum immortalem venerati sunt: deinde non ita multò post ex urbe sua, tanqvam impium hominem, expulerunt. Sic pleriqve alii sanctissimi viri plurimas pro Christiana fide calamitates & incommoda pertulerunt. Qvos omnes sibi proponens imitandos hic noster, omnia firmissimo constantissimoqve animo tolerabat: & sibi potiùs honestè moriendum, qvam seditiosis hominibus & imperitæ multitudini cedendum esse statuebat. Cùm ecce Tyrannus qvidam, non modò ab omni pietate cultuqve divino, sed etiam ab omni humanitate remotissimus, qvi benignè hunc antea susceperat, non qvia religionis ulla esset ei cura, sed qvia sperabat hac ratione, si talem tamqve religiosum virum apud se habuisset, fore, ut etiam ipse pius ac religiosus existimaretur, & populi sibi subjecti magis dicto audientes essent, atqve ita major sibi licentia in qvoscunqve vellet, grassandi præberetur, de repentè hunc invadit. Et necandum trucidandumqve satellibus suis denotat. Neqve hoc alia de causa, nisi qvia nefariis ejus facinoribus & impiis cogitationibus hic modestè mansueteqve resistebat, & ad Christianè vivendum humaniter invitabat. Cùm igitur divinâ qvadam providentiâ, qvæ præstantibus viris deesse nunqvam solet, Tyranni illius insidias hic præsensisset, neqve diutiùs morando se illas evitare posse ullo modo intelligeret; memor illius Evan-

Declaratio per exempla.

A Tolerãtia.

Declaratio alia.

Ratio.

Evangelici præcepti, qvo jubemur, ut si qva in civitate nos impii viri perseqvantur, ad aliam confugiamus; neqve tantum de sua qvantum de sociorum & comitum suorum salute solicitus: tandem cedendum impiorum hominum furori & tyrannicæ crudelitati sibi esse censuit. Itaqve qvàm occultissimè potuit, eqvis ad celeritatem commutatis, sic illa provincia discessit, ut bonis omnibus, qvicunqve ibi erant, mœrorem ac tristitiam, impiis autem & sceleratis gaudium & lætitiam ejus discessus attulerit. Nam postea factio illa perditorum ac furiosorum hominum, victrix fidei, religionis, sanctimoniæ, non impietatis, libidinis, arrogantiæ, totam ferè Germaniam pervagata est: & Tyrannus ille, qvasi bestia qvædam immanissima, sic odio religionis exarsit, ut omnes ejus regionis Antistites, qvos pietatis atqve honestatis cultores esse intelligebat, ad unum crudelissimè trucidârit. Sed qvàm gratus Francisco Sfortiæ Secundo Mediolanensium Duci fuit hujus in patriam reditus! qvàm jucundus bonis omnibus! Tantum enim eo tempore gaudii, tantum lætitiæ cepit, cùm ipse princeps, tùm universa Mediolanensis Civitas, ut nova qvædam felicitas cunctis oblata, vel potiùs reddita videretur. Vivebat enim adhuc in animis omnium hujus memoria: meminerant, qvàm integrè, qvàm continenter, qvàm justè Maximiano Sfortia Duce Remp. gesfisset. Qvare licet hunc apud se Franciscus Princeps & omnes cives vehementer esse cuperent; tamen cum negotium qvoddam maximi ponderis & momenti cum summo Pontifice pertractandum esset, neqve qvisqvam alius in hac urbe reperiretur, qvi prudentiùs aut meliùs hujusmodi legationem obire posset, vicit tandem publica utilitas privatum

A circumspectione.

desi-

desiderium. Qvamobrem ex principis ipsius, & to- totius ordinis senatorii consensu legatus in Hispaniam ad Adrianum Pontificem Maximum missus est; apud qvem cùm omnia fideliter atqve ex principis sui sententia confecisset, ipsum Pontificem, virum & doctissimum & optimum cum sua singulari atqve eximia fide, prudentia, virtute, tum eloqventia, mirificaqve dicendi facultate brevi tempore sibi ita devinxit, ut is à suo latere nunqvam hunc postea dimiserit. Cum hoc enim divina consilia sua sæpissimè communicabat; cum hoc de summa religionis freqventissimè consultabat: cùm hoc deniqve omnia seria jocosaqve conferebat. Qvod si diutiùs Adrianus vivere potuisset, nemini dubium fuit, qvin hunc paucis mensibus in Cardinalium collegium cooptaturus esset. Verùm, ut opinor, terris fata Pontificem tam salutarem, tamqve pium inviderunt. Abiit igitur ad superos brevi tempore maximum sui desiderium toti Christianæ Reipublicæ, huic verò non mediocrem tristitiam & luctum relinqvens Adrianus Pontifex. Sed tamen dolorem, qvem hic ex Adriani morte ceperat, Clementis Septimi, qvi successit in Pontificatum, benignitas aliqva ex parte mitigavit: magno enim amore summaqve benevolentia hunc eundem amplexus est. Nam primò gratulatum ad se venientem nomine Francisci Sfortiæ Secundi, cujus hic Romæ legatus erat, maximè præter cæteros comiter ac liberaliter excepit, humaniter allocutus est, multa pollicitus. Qvo postea factum est, ut cùm ipsius meritis & præstantissimis virtutibus, tum rogatu precibusqve Francisci Sfortiæ commotus Clemens Pontifex maximus hunc Episcopum Navariensem creaverit, & semper deinceps, qvoad Romæ fuit, cha-

A legationis provincia tertium suscepta.

charissimum & gratissimum habuerit. Verùm non hunc communis aliorum ferè omnium ambitio cupiditasqve detinebat, qvi qvantò majores aut opes aut dignitates acqvirunt, tantò plures qvotidiè concupiscunt; & qvò plura possident; eò magis accenditur in eis cupiditatis sitis: sed præsenti conditione, rebusqve jam à se qvam honestissimè partis contentus; suscepto Episcopatu cogitabat, qvantum onus humeris suis sustineret. Et cùm omnia semper anteà fugiendæ turpitudinis, & amplectendæ honestatis causa fecisset, tunc posteaqvàm creatus esset Episcopus, omnes sibi animi vires excitandas, omnia circumspicienda, omni utendum esse diligentia censebat, ut non modò qvicqvam ejusmodi ne committeret, qvod aliqvâ ratione reprehendi posse videretur: sed etiam omnia sic ageret, ut ea facilè invidorum etiam existimatio comprobaret. Sic igitur à summo Pontifice sibi creditum ac commissum Episcopatum administrare cœpit, ut se omnium officiorum obstrictum religione arbitraretur: ut omnium oculos in se unum conjectos existimaret; ut dignitatem suam qvasi in aliqvo orbis terræ theatro versari crederet: sibi religionis atqve animorum curam, sibi sacrarum rerum procurationem esse commissam: sibi Deum immortalem populo Christiano precibus atqve hostiis placandum; sibi sacrificia atqve officia divina, maxima cum ceremonia singulis divis esse facienda, sibi deniqve totam fidem & religionem tuendam esse datam intelligeret. Qvare tàm severè, tàm continenter, tàm sanctè cœpit vitam agere, ut cum ejus integritati religioniqve nihil aliud anteà videretur accedere posse,

A modestia & ambitionis fuga.

A sedula muneris functione.

sunt

tunc addita illa dignitate maximus ad summam ejus præstantiam cumulus accesserit. Et qvamvis jucundissimus illi esset honos, à Pontifice sibi delatus: tamen neqvaqvam tantum capiebat voluptatis, qvantum sollicitudinis & laboris; ut ille ipse Episcopatus, non qvia necesse fuerit, alicui datus, sed qvia sic oportuerit, rectè collocatus, & judicio summi Pontificis digno in loco positus esse videretur. Sic igitur postea semper vitam egit, ut omnia, qvæ jucunda videntur esse, non modo his extraordinariis cupiditatibus, sed etiam ipsi naturæ ac necessitati denegârit. Nullam igitur ampliùs dignitatis accessionem qværens: qvod homini probo satis magnum esse decus & ornamentum judicabat, si se bonum Episcopum præstare posset: domum jam spectabat, ad suos redire cupiebat: cum ecce maximè opportuna sese obtulit occasio. Nam Franciscus Sfortia Secundus, cujus antea mandato legatus hic ad Adrianum Pontificem accesserat, & à qvo jam antea senator designatus fuerat, hujus tanti viri absentis desiderium diutiùs ferre nullo modo potuit. Itaqve literis & nunciis eum tamdiu solicitavit, donec Romæ compositis rebus suis, hic tandem, ut & sibi & optimo Principi suo satisfaceret, in patriam hanc suam & nostram reversus est: qvem statim ut Mediolanum applicuit, summo cum honore exceptum Franciscus Dux Senatoria dignitate, magno totius ordinis non modo consensu & approbatione, sed etiam plausu & gratulatione cohonestavit: & deinceps sibi perpetuò assistere, & omnium consiliorum moderatorem & auctorem esse voluit. Atqve hoc certè maximum & singulare Arcimboldiæ genti contigit: qvod haud scio an unqvam in hac civitate fuerit gens ulla alia consecuta, ut qva-

Hypophora cum Anthypophora.

Conclusio; Spartam, qvam nactus, orna.

Transitio ad majora.

ut qvatuor deinceps per continuam succeſſionem ſummo cum honore & celebritate ſenatores crearentur. Nam & hujus proavus Nicolaus, ut initio dixi, & avus Joannes, & pater Aloyſius, & hic deniqve noſter, qvi etiam hoc tempore in ſenatu primo poſt ſenatus Principem loco ſedebat, ſenatores & publici conſilii auctores, maximâ cum hujus civitatis utilitate gloriaq; fuerunt. Qvod me herculè nemini, qvi hujus vetuſtiſſimæ & clariſſimæ familiæ merita diligentiùs intueatur, mirum videri poteſt. Qvando enim fuit, cum hæc noſtra civitas & in bellicis rebus atqve arte militari, & in conſiliis dandis atqve adminiſtratione Reipublicæ Arcimboldiorum ope & conſilio non uteretur? Plenæ ſunt omnium voces, pleni libri, plenæ hiſtoriæ meritorum & rerum geſtarum Arcimboldiæ gentis. Qvare facile qvivis non iniqvus rerum æſtimator intelligere poteſt, ſemper cœteris familiis hanc gentem longè præſtitiſſe; qvæ non propriam, ſed communem utilitatem perpetuò qvæſierit: qvæ non tantùm patriæ ſuæ; ſed etiam exteris nationibus, qvantum fieri poſſet, prodeſſe ſtuduerit. Unde meritò crediderim, tantæ virtutis inſignia, communi gentium conſenſu, huic familiæ à majoribus noſtris fuiſſe tradita. Tres enim ſtellas fulgentiſſimas in circuli parte rutila, qvem aureus campus undiqve circundat, Arcimboldiæ familiæ decorum & egregium inſigne continet. Qvo certè nihil aliud oſtenditur, qvàm in hac familia ſemper fuiſſe cœleſtem ac divinam benefaciendi poteſtatem ſtudio cuidam ardoris & inflammatæ voluntatis copulatam; qva res omnes, qvaſcunqve aggrederetur, non tantum optimè; ſed etiam ſumma cum gloria conficeret. Sicut enim ſtellarum motu atqve lumine

Senatoria dignitas.

Meritorum exaggeratio.

Inſignia gentis.

Declaratio inſignium.

Apodoſis.

cuncta in hoc inferiori orbe gignuntur, & vigorem accipiunt; neqve qvicqvam est infra lunæ globum, qvod sine cœlesti auxilio, cursuqve siderum nasci aut conservari possit: ita majores nostri, jam illud insigne tribuendum Arcimboldis esse censuerunt, aperte declarare voluerunt, se sine illorum splendore, ope, virtute, diutius incolumes esse non posse. Tres autem ideò stellas, non unam tantùm aut plures addiderunt, ut ternario numero, qvi perfectus est, eo qvòd & principium, & medium, & finem habet, atqve immortali DEO mysticæqve Triadi consecratur, hujus familiæ præstantiam atqve excellentiam denotarent. At verò circuli pars ea rutila, qvæ stellas amplectitur, qvid aliud significare credi potest, qvàm ardens qvoddam studium; & inflammatum atqve incensum de patria bene merendi desiderium? Est igitur in stellis res præclaras gerendi facultas; in rutila circuli parte summæ voluntatis & ardoris significatio. Qvid autem aureus ille campus, qvo stellæ circuliq; pars continetur, aliud, qvàm eximias planeqve aureas horum hominum actiones ostendit? Ut enim aurum metallorum omnium præstantissimum est, & magnorum sæpe laborum præmium: ita præclaræ actiones cætera omnia, qva sunt in homine, superant, atqve in eis omnium virtutum laudes consistunt. Cùm autem hæc familia tot tantasqve res præclarissimè gesserit, haud immeritò non tantùm stellis & orbe rutilo, sed etiam campo aureo decoratur; ut omnes intelligant, patriam nostram jampridem ingentes ab Arcimboldia gente commoditates & emolumenta reportâsse. Sed, ut vetera prætermittamus, qvis est hoc tempore, qvi nesciat, qvantum hujus Archiepiscopi

Declaratio insignium.

Cur stellæ?

Cur aureus campus.

Conclusio per Apodosin.

Transitio cum præteritione ad politices studium.

piſcopi noſtri prudentia ſapientiaqve pluribus jam annis, qvibus in Senatu pro Principe ſedit, huic civitati noſtræ utilitatis attulerit? Illud enim etiam publicæ felicitati gratulandum eſt, qvod, ex qvo tempore Reipubl. gubernaculis hic admotus eſt, à maximis moleſtiis & turbulentiſſimis tempeſtatibus, qvibus aſſiduè concutiebatur noſtra civitas, aliqvantulum acqvievit, & paulatim ad ſecuriſſimum qvietis & tranqvillitatis portum delata eſt. Dedit igitur huic Franciſcus Sfortia ſenatoriam dignitatem; hic illi publicum otium reddidit: communicavit huic imperii adminiſtrationem; hic illi moleſtiam & angorem ademit. Qva in re magis ſolicitus hic, ille ſecurior factus eſt. Non igitur propria cupiditas, non proprium commodum, ſed alienum deſiderium, aliena voluntas Senatorem hunc effecit. Non aliorum ambitionem imitari, ſed virtuti ſuæ confidere, ſicuti ſemper, voluit. Nam alii pleriqve, qvod aſſeqvi virtute non poſſunt, id pecunia tentant: itaqve dignitates jam non donantur, ſed emuntur. At hic noſter non qvidem honorem ambivit, ſed oblatum à bono Principe munus recuſare noluit: qvamvis ita ſtatueret, non ſe in qvietis & otii, ſed in laborum curarumqve ſocietatem vocari. Cùm autem jam plurimos extra patriam ſuam labores pro communi utilitate ſuſcepiſſet, dignum etiam ſe, dignum majoribus ſuis exiſtimavit, id, qvod ſibi reſiſtabat ex vitæ curriculo, patriæ totum impendere; lumen animi, lumen ingenii ſui civibus oſtendere; labores, vigilias, curas, ſolicitudines pro civitatis ſuæ ſalute perpeti. Qvare ſic inter Patres conſcriptos aſſumptus eſt, ut non jam ipſe majorem dignitatem, qvam habebat ampliſſimam, ab illo ordine accipere; ſed

Pacis laus.

Senatoria dignitas.

Patriæ amor.

ordo ipse hujus accessione splendorem ac majestatem suam amplificare videretur. Ita verò senatoriis muneribus postea semper invigilavit, qvasi ab aliis negotiis omnibus vacuus fuerit. Admirabilis profectò semper fuit hujus animi vigor, mirifica vis ingenii, celeritasqve mentis: simul enim res maximè diversas, negotiaqve prorsus varia uno eodemq; tempore diligentissimè tractavit. Nam in Episcopatu suo non tantum qvæ ad religionem, & sacrarum rerum procurationem pertinent, sed etiam qvæ ad civiles capitalesqve causas, & ad merum mixtumqve imperium, ut Jurisconsulti vocant, administravit. Siqvidem in ampla religione pluribusq; oppidis Novariensis Episcopus vitæ necisqve potestatem habet, qvàm hîc noster qvatuor & viginti annos ita sapienter exercuit, ut bonis omnibus gratissimus; improbis autem maximè formidolosus extiterit. Qvin etiam interim reditus annuos justissimis rationibus plurimum amplificavit: & longè nunc majores successori suo, qvam ipse acceperat, tradidit. Nam Vespolatum oppidum, jam per annos amplius octoginta per qvorundam injuriam ab Episcopatu divulsum, & à profanis hominibus possessum, labore & industria suâ in pristinum statum reduxit. Qvamvis potentissimos habuerit adversarios, qvi cum eo diu multumqve litigârunt: sed tandem cùm hujus assiduitate diligentiaqve, tùm æqvissimo jure, rationibus, senatus auctoritate sententiis omnibus victi contemnatiqve, de possessione diuturna dejecti sunt: atqve ita qvadraginta sestertiorum millia reditibus annuis ejus Episcopatus accesserunt. Erat eodem tempore Francisci Sfortiæ consiliarius: qvo in officio tot occupationibus & negotiis distringebatur, ut illi uni bene satis

Functio muneris probè gesta.

Ab Exemplo.

Ab augmento bonorum.

Consiliarii ornamenta.

ſatisfeciſſe permagnum eſſet: & tamen in ſenatum qvotidiè veniebat, neqve ullam omnino cauſam, qvâ poſſet alicui vel infimo prodeſſe, repudiabat. O præſtantiam animi incredibilem! O inauditas ingenii vires! O celeritatem mentis eximiam! Hujus ædes conſultoribus erant perpetuò refertiſſimæ; videres alios intrantes, alios exeuntes, alios hunc circumſiſtentes: qvibus omnibus facilimè celerrimeqve ſatisfaciebat. Providendum erat iis populis, qvi ditioni ejus erant ſubditi; confeſtim providebat. Conſulendum erat imperio rebusqve Principis; ſine ulla cunctatione conſulebat. Veniendum erat in ſenatum, ubi de maximis civitatis rebus eſſet agendum; illicò veniebat, & optimarum ſententiarum auctor erat. Qvis non miretur, unum hominem tot rebus tamqve diverſis ſufficere poſſe? Sufficiebat, &, qvod admirabilius eſt, poſt tot labores & vigilias promptior & alacrior continenter apparebat. Huc accedebat cura domeſticarum rerum; qvas, ut optimum decet Antiſtitem, tantâ cum religione ſeveritateqve ſemper inſtituit, ut non aliter domi ſuæ viveretur, qvàm in ſanctiſſimo aliqvo Veſtalium virginum conventu. Qvid preces ac meditationes divinarum rerum commemorem? qvibus ita ſemper deditus fuit, qvaſi nihil aliud illi agendum eſſet. Mirentur ſanè Romani veterem Catonem illum Cenſorium, mirentur Æmilianum Scipionem: qvi duo viri tres ſummas in homine res præſtitiſſe judicati ſunt: nam optimi Oratores, optimi Imperatores, optimi Senatores fuiſſe dicuntur: modò fateantur omnes id, qvod negari non poteſt, longè majori dignum admiratione noſtrum hunc Archiepiſcopum, qvi non tantùm tres illas res eximiè præſtitit; ſed alias etiam plurimas, & qvidem

Ecphoneſis in mira negotiorum expeditione.

A privata vita virtutibus

A pietate.

Collatio cum Romanis.

Auxesis à dispari fortuna.

qvidem ob religionem laudabiliores, eis adjecit. Qvid deinde? Annon Catonem & Scipionem status temporum, leges atqve instituta patriæ ad eas res acqvirendas plurimum adjuverunt? hunc autem his corruptis moribus, neglectis veteribus institutis, iniqvissimis temporibus profectò tantùm innata bonitas, voluntas, industria summam ad amplitudinem & dignitatem provexit. Qvid enim mirum, inter Fabios, Marcellos, Paulos, Lælios, tales extitisse? cùm imitationis ardor, semperqve melior aliqvis ad palmam præripiendam eos accenderet. Hoc certè summè est admirabile, qvod hic noster sine exemplo, sine æmulo, secum ipse certans, cùm meliorem se nullum videret, ubicunq; fuit, omni tempore major & clarior evasit. Ac mihi qvidem in hujus vitam studiosè diligenterqve inqvirenti visa est ea potissimum causa, qvod ad tantam virtutum excellentiam pervenerit; qvia frugalitatem semper vigilantiamqve mirandum in modum complexus est. Nam, ut alio in loco dicam, tanta in victu temperantia utitur, ut non nisi tantum cibi potionisqve sumat, qvantum satis sit, non ad satiandam, sed ad mitigandam famis sitisq; cupiditatem. Scit enim verè dictum à sapiente qvodam Græco, nullo modo fieri posse, ut pingvis venter tenuem sensum atqve intelligentiam gignat: neminemqve multo cibo potioneq; repletum, mente rectè uti posse. Jam verò tanta est ejus vigilantia, ut majorem noctis partem in negotiis insumat, & cum valetudine somnum compenset. Freqventer enim id Platonis dictum habet in ore: Dormientem hominem nulla penitus re dignum esse: vigilantes autem civitatum principes, & improbis civibus, & hostibus æqvaliter esse informitabiles.

Ratio.

Frugalitas.

Plenus venter non studet libenter.

Ideò

Ideò sapientissimè præceptum ab Homero prædicat, ne Princeps & publici consilii auctor, cui populi commissi sunt, & qvi tot ac tanta negotia sustinet, totam unqvam noctem dormiat. Sibiq; hac in parte proponit imitandum Epaminondam illum Thebanorum Imperatorem, qvi se dicebat ideò sobrium & vigilantem esse, ut cæteris civibus securè liceret & dormire, & voluptatibus indulgere. Qvin illam Demosthenis vocem aureis scribendum esse literis, & in ore atqve mente semper habendam esse dicit; qvi vehementer se dolere dicebat, si qvando opificum antelucana victus esset industria. Qvare hac etiam senili ætate, qvæ reqviem & laborum allevationem qværit, tamen ante lucem qvotidiè surgit è lecto: venit in senatum primo diluculo: nulli deniqve juvenum assiduitate, labore, vigilantia cedit. Est hæc incredibilis ac divina diligentia, qvæ facit, ut tot negotiis, tamqve diversis unus sufficiat. Nam præter cæteras maximas atqve innumerabiles occupationes, qvibus assiduè districtus fuit, ad hunc usqve diem ita senatorium etiam munus obivit, ut omnes cives & peregrini non tantùm ejus prudentiam & justitiam, sed etiam humanitatem, placabilitatem, clementiam magnoperè dilexerint: omnes ad eum tanqvam ad asylum aliqvod confugerint: qvicunqve causam aliqvam difficilem atqve arduam in senatu haberent, votis omnibus expeterent, ut huic uni transigenda committeretur; qvi non modo pecunias unqvam nullas pro re judicenda, sed ne munuscula qvidem ut acciperet, adduci potuit; qvi primo, si qvo modo posset, semper controversias componere tentavit: deinde si obstinatos litigantiũ

Vigilantia.

A minori.

Juris peritia.

Δωροφαγία nulla.

animos videret, neqve ad ullam conventionem adduci posse, qvamprimum qvid leges & jura postularent, accuratissimè circumspiciens, sententiam tulit. Itaqve huic salutem suam omnes, huic fortunas, huic liberos rectissimè committi semper arbitrati sunt. Qvid in cœteris rebus qvo mentis acumine, qvo animi robore, qvàm acri judicio cuncta gerit atqve administrat? Qvid beneficentiam, justitiam, fidem, omnesqve eas virtutes, qvæ pertinent ad mansuetudinem morum & felicitatem, commemorem? qvibus jampridem hoc assecutus est, ut eum universus Mediolanensis populus non aliter atqve communem patriæ parentem amet, observet, suspiciat: neqve ullum unqvam diem huic urbi lætiorem, qvàm hunc, in qvo factum eum Archiepiscopum videt, illuxisse prædicet. Nam omnes anteà cujuslibet ætatis homine vota faciebant, ut unus hanc dignitatem asseqveretur: neqve se aut in hac vita benè beatèqve vivere, aut post mortem cœlestium beatitudinem asseqvi, neqve res sacras benè procurari, neqve religionem rectè defendi posse, nisi Arcimboldius hic, patriæ suæ singularis amator, Archiepiscopus factus esset, existimabant. Qvod qvidem commune civitatis desiderium cùm anteà sæpissimè, tùm hoc tempore præcipuè clarissimè demonstratum est. Cùm enim jam tandem ex voluntate Julii tertii Pontificis maximi, summaqve totius Cardinalium collegii approbatione, creatum hunc Archiepiscopum nunciatum fuisset; derepentè, qvemadmodum initio dixi, miro qvodam gaudio & exultatione repleta est universa civitas: statim Principes civitatis homines ad eum undiqve gratulatum advolârunt: neqve qvisqvam ullius ordinis in tota urbe fuit, qvi maxima lætitiæ signa non

Prudentia.

Liberalitas.

Conclusio laudum.

Ratio 1. à Voto publico.

2. ab eventu secundo.

non dederit. Qvid autem de hodierno die dicam? qvo plurimum expectatus desideratusqve, ad Archiepiscopatus insignia capienda, hoc in Deorum domicilio temploqve maximo, sicuti majorum instituta postulant, urbem ingressus est? qvid gloriosius ad æternam memoriam & immortalitatem huic accidere potuisset, qvàm tanta popularis observantiæ, pietatis, lætitiæ significatio? Non enim ætas qvenqvam, non valetudo, non sexus retardavit, qvò minùs oculos, animum, mentem, insolito spectaculo compleret: hunc parvi noscere, juvenes ostentare, senes mirari magnopere gaudebant: ægri qvoqve, neglecto Medicorum imperio, ad hujus conspectum, qvasi ad salutem sanitatemqve prorepere voluerunt: Vidimus oppletas undiqve vias, angustamqve semitam huic ad ingrediendum ob immensam turbam, ad spectandum effusam, relictam esse: tecta referta, ac nimio pondere superfusæ multitudinis laborantia: ac ne eos qvidem vacantes locos, qvi non nisi suspensum & instabile vestigium caperent: alacrem hinc atqve inde populum: ubiqve par & simile gaudium. At verò splendorem illum Eqvitum, Italiæ florem, Principum agmen honestissimum, qvo stipatus hic incedebat, qvantâ cum animi voluptate, qvo plausu, qvibus acclamationibus omnes proseqvebantur!, donec fanum hoc religiosissimum ingressi, vota DEO optimo Maximo divisq; nuncupata lætissimi persolverunt. Hic verò solenni more deductus ad aram maximam, primum immortali Deo pro salute sua atqve astantium omnium, submisso pioqve animo supplicavit: deinde in Archiepiscopi solio splendidissimè præparato collocatus, à Pontifice missa diplomata publicè recitari jussit. Qvorum primum illud fuit, in

3. ab applausu solenni.

4. Concursu plebis.

Auxesis à copia.

A splendore comitatus.

A pompa.

A diplomatum testimonio. qvo ipsius Pontificis Cardinaliumqve sententia, qvâ creatus hic fuerat Archiepiscopus, continebatur: alterum in qvo Pontifex Carolum Qvintum Imperatorem rogabat, ut hunc & præsidem sacrorum agnosceret, & qvibuscunqve rebus posset, officiosè tueretur ac defenderet. Cùm qvidem eo perlecto statim hic Princeps noster Ferrandus Gonzaga, qvi ipsius Imperatoris personam apud nos sustinet, & ejusdem vice fungitur, per Franciscum Tabernam magnum Cancellarium pronunciari jussit, se non tantùm id, qvod in eo diplomate contineretur, Cæsaris nomine libentissimè perfecturum: sed etiam maximas Pontifici se gratias agere atqve habere, qvòd & Patricium Mediolanensem, & Senatorem integerrimum, & Antistitem religiosissimum Ecclesiæ Mediolanensi præfecisset. Qvæ vox non tantùm amoris & benevolentiæ; sed etiam gravissimi testimonii singularis hujus eximiæ virtutis auctoritatem habet. *A consensu superioris.* Posteà verò, qvemadmodum in cæteris diplomatibus à Pontifice constitutum erat, accesserunt Canonici, Sacerdotes, Præsules, Abbates, atqve alii proceres Ecclesiæ, ut in hujuss verba jurarent, & ejus dicto audientes se perpetuò futuros pollicerentur. *Ab homagio præstito.* Qvod etiam Prætor urbanus, & Præfectus annonæ, & Ædiles, & cæteri magistratus omnes religioso libentiqve animo fecerunt. Postremo loco jurârunt ii, qvi deducendi Archiepiscopi Mediolanensis, atqve in solio collocandi jus habeat ab antiqvis traditum: Confalonerios vocant, ex antiqva nobiliqve familia. *A comitatu.* Qvi nobis, dum Archiepiscopus noster urbem ingrederetur, pulcherimum & jucundissimum spectaculum exhibuerunt. Omnes enim, & qvidem

magno

magno numero, pedites hinc atqve inde fulgentes ostro, sericeisqve vestibus & auratis insignes procedentem comitabantur; donec eum, ut vidistis, in suo proprioqve solio collocârunt. Ego verò, Patres amplissimi, qvamvis coram intuear hæc lumina atqve ornamenta Reipublicæ; qvamvis qvod mente complector, non satis verbis explicare possim: qvamvis adhuc populi jubilantis voces & clamores auribus meis insonent: tamen cum vos tàm attentè tamq; benignè me audiatis; magis etiam accendor ad ea, qvæ mihi dicenda supersunt. Neq; vereor, ne oratio mea vobis longior esse videatur; qvi præclarè intelligitis, maximè optandum esse, ut ea, qvibus ornatissimus est Archiepiscopus noster, qvàm plurima sint.

ὑποφορὰ cum transitione.

Excusatio rhetoris.

Superest igitur, cùm de rebus ab eo præclarè gestis, & anteacta vita satis multa dixerimus, ut neminem etiam hac tanta dignitate atqve honore digniorem esse, nemini melius hoc tantum munus committi potuisse, doceamus. Qvod qvidem ad ea, qvæ jam à nobis commemorata sunt, si qvis respiciat, facilimè cognoscere poterit. Nam si mores & vitam hujus ad perfecti sacrorum Antistitis speciem ac formam referre voluerimus; neminem profectò reperiemus, qvi ad illam propiùs accedere videatur. Alius enim fortaßè prudens fuerit, sed iniqvus: alius humanus, sed voluptati deditus: alius frugi, sed superbus: alius clemens, sed avarus: alius liberalis, sed crudelis: deniq; nemo penè fuit unqvam, qvi non aliqva vitiorum labe virtutes eas, qvibus eminebat, obscuraret. At noster hic Antistes admirabili qvadam ac verè divina prudentia sic omnes inter se virtutes copulavit, ut immensus in eis, inauditusqve laudum omnium omnisq; gloriæ concentus appareat. Nihil

Repetitio dictorum.

Et propositio dicendorum.

Altera orationis pars.

Cur præ aliis huic provinciæ sit præfectus.

Per ἀντίθεσιν virtutum & vitiorum.

ἀπόδοσις.

enim

enim comitas severitati, nihil gravitati bonitas, nihil humanitas majestati detrahit. Sed jam ea breviter videamus, qvæ in eo viro esse debent; qvi Archiepiscopi munere sit optimè functurus, & Christianam fidem ac religionem, tanqvam optimus patronus, acerrimè defensurus. Ea namqve omnia summa in hoc esse, luce clarius ostendemus. Atqvi nemo est eorum, qvi benè sentiunt, qvin existimet in summo ac perfecto sacrorum Antistite tres has res inesse oportere; Rerum divinarum scientiam, virtutem, auctoritatem. Qvæ res ita implicitæ sunt, & cohærent inter se, ut si una defuerit, reliqvæ per se nullo modo perfectum efficere Antistitem possint. Etenim multi reperiuntur, qvi tametsi sacrarum literarum peritissimi sint, tamen qvoniam eis vel vitæ probitas vel auctoritas deest, non modo religionem tueri atqve conservare non possunt: sed magnum etiam ei detrimentum afferunt. Sunt etiam qvidam probi sane viri, sed imperiti; qvibus tutò religionis curam demandari non posse certum est. Duabus enim de caufis Paulus ille Tarsensis in Antistite doctrinam qværit: primò, ut ad honestè religioseqve vivendum populos adhortari valeat: deinde, ut etiam factiosos homines, qvi rectè sentienti Ecclesiæ Reipublicæqve Christianæ resistere & contradicere audent, refellere atqve redarguere possit. Nam rustici, & imperiti viri bonitas illi uni prodest; & qvantum probitate vitæ Christianam religionem confirmat, tantum eidem nocet, si labefactantibus & impugnantibus non resistat. Jam vero licet in aliqvo summa doctrina summaq; probitas fuerit: tamen si illi desit auctoritas, ut nemo illi aures præstet, nemo fidem adhibeat, non erit, qvod qvisqvam speret, eum summi Antistitis munus

Enumeratio dotum Archiepiscopi.

I. Virtus est Theologiæ peritia. Qvæ duplex. 1. Ad docendum.

2. Ad refutandum hæreticos.

II. Autoritas.

nus sustinere commodè posse. Cùm autem ad doctrinam non vulgarem accesserit etiam egregia probitas & summa auctoritas, tum illud eximium qviddam atqve divinum solet existere: qvod in nostro hoc Archiepiscopo esse, nemo est, qvi dubitare possit. Qvis enim eo divinarum rerum scientior unqvam fuit, aut esse potuit? cui primis statim annis in religiosissima familia, sacris & divinis rebus semper intenta, liberaliter educatus est: mox è ludo, atqve pueritiæ disciplina profectus ad publica gymnasia, ita Jure civili operam navavit, ut tamen sacrarum studium literarum nunqvam intermitteret; & omnes Pontificii Juris constitutiones tantâ curâ, studio, diligentiâ perdisceret, ut tanqvam nomen & digitos suos omnes eas teneret. Neq; sanè mirum: cùm nunqvam qvicqvam, nisi de sacris rebus ageret, loqveretur, cogitaret: qvasi natura eum hac una de causa genuisset, ut res sacras perpetuò tractaret. Postea verò cum utriusqve Juris laurea decoratus fuisset, & sacris initiatus, deinceps annos amplius qvadraginta sacras res continenter administravit. Qvare propter hanc eximiam divinarum rerum cognitionem, tribus summis Pontificibus, Leoni, Adriano, Clementi, non tantùm gratissimus fuit, sed etiam ab eisdem sæpissimè maximis in rebus, & ad summam religionis pertinentibus unus electus est, qvi provideret, ne qvid fides nostra & Respubl. Christiana detrimenti pateretur. Qvantam igitur ejus scientiam esse putandum est, qvi ab ineunte ætate semper contento studio, cùm & præstanti ingenio & singulari memoria præcelleret, sacris rebus operam dederit: qvi dies & noctes eis invigilârit? qvi plures sacros liberos perlegit, qvàm alii viderunt? plura memoriæ mandavit,

III. Probitas.

Comprobatio per Inductionem.

Αὔξησις scientiæ per ἐρώτησιν.

vit, qvam alii legerunt? qvem deniqve mirati tres summi Pontifices, in tuenda religione non tantùm administrum, sed penè socium habere voluerunt. Hæc præfectò declarant, nullam rem esse in sacris literis, divinarumqve rerum cognitione positam, qvæ hujus viri scientiam fugere possit. Age verò cui non audita est & cognita hujus virtus, probitas, atqve integritas vitæ? Qvis hujus vivendi rationes sanctisſimè institutas non veneratur? Qvis non in hoc expressam ejus Antistitis imaginem videt; qvem ad Titum scribens Paulus eleganter informat? Qværit enim inprimis Paulus in Antistite sacrorum innocentiam & fidem; ut talis sit, qvem non modo qvisqvam verisimiliter reprehendere non possit: sed etiam sit ab omni suspicione criminis remotus, ut sit ipsius Christi vicarius qvidam & administer. Qvibus in rebus hunc hominem tantum videmus excellere cæteris, ut omnes certatim eum approbent, admirentur, prædicent, propè divinis in cœlum laudibus efferant. Neqve enim aliud usqvam dies & noctes cogitat, nisi ut primò se purum atqve integrum ex omni parte præstet; deinde suos etiam omnes in Christiana fide confirmatos, optimis moribus & sanctissimis vitæ institutis qvotidiè magis instruat. Qvàm enim sedulò, qvàm diligenter sacris invigilat officiis! res divinas meditatur! in precibus ac supplicationibus versatur! ut etiam cùm ægrotus est, nihil ferè ex solita diligentia, qvotidianisqve meditationibus ac precibus prætermittat. Neqve unqvam æqvè sibi placere videtur, atqve cùm aliqvid ex sacris literis vel legit ipse vel audit: eam sibi honestissimam esse laborum qvietem, eum occupationum portum, eam molestiarum tranqvilitatem arbitratur. Itaqve

Conclusio primæ virtutis.

A vitæ integritate & morum honestate.

ἀπόδοσις.

A pietate.

Επάνοδος.

qve cùm maximis illis negotiis, qvibus assiduè distringitur, aliqvid temporis subtrahere potest, statim ad meditationem sacrorum, tanqvam ad svavissimum qvendam animi pastum, & otium amœnissimum confugit. Cumqve certò sciat, ad das res hominem ab immortali DEO factum esse, hoc est, ad intelligendum & agendum: non tantùm intelligere qvid se, suosqve deceat, sed etiam re ipsa præstare pro virili parte contendit. Qvare non modo qvicqvam facere aut loqvi, sed ne audire qvidem aut pati potest, qvod aliqvo modo religioni contrarium esse videatur. Ita verò familiam suam omnem instituit, ut rectè sentientis Ecclesiæ sacramenta, decretaqve non aliter atqve Christi ipsius præcepta veneretur, & observet. Vidi ego non semel, cum tempus adventaret, qvo Christiani omnes ad illud solenne epulum, qvæ Eucharistia vocatur, purgatis priùs animis accedere solent: qvanta cum reverentia domesticos omnes prius admoneret, ut crimina peccataqve sua diligenter ac dolenter sacerdoti considerentur, deinde ad se redirent, ut secum divinum illum cibum communicarent: cùm qvidem ipse sanctissimum Christi corpus manu capiens, maxima cum religione singulis impartiret: qvod si qvempiam audierit esse, qvi hæc majorum instituta negligat, eum statim procul à se, procul à domo jubet esse: malè verò de Christianis legibus & Pontificiis sentientes non tantùm arcet ab ædibus suis, sed etiam insectatur, damnat, castigat. Qvare si qvis hunc amicum habere desiderat, eum oportet & bonum virum esse, & optimè de Christiana fide sentire. Neqve enim conveniре putat, eum, qvi in terris Christi vicarius est, & coele-

Hominis finis.

comprobatio ab Exemplo.

Reverentia & attentio.

cœleſtem vitam imitari debet, aliqvid aut facere aut tolerare, qvod à Chriſtianis legibus abhorreat. Addit Paulus, Antiſtitem ſuperbum & contumacem eſſe non oportere. Nam ſuperbia pertinaciaq; non tantùm hominibus, ſed etiam Deo odioſa eſt. A qvo vitio tantum hic abeſt, ut ejus modeſtiam, facilitatem, patientiam admiremur. Sicut etiam à ſapientiſſimis viris rectiſſimè præceptum eſſe, ut, qvanto majores ſumus, tantò nos ſubmiſſiùs geramus. Nam humanitate & felicitate nihil in magno & excelſo viro, & præcipuè ſacrorum Antiſtite, præſtantius inveniri poteſt. Qvod cùm hic præclarè intelligat, tam manſuetè, tam benignè ſe non tantùm erga divites & potentes, ſed etiam erga pauperos & abjectos gerit: tam comiter omnibus auxilium pollicetur & præſtat: tam faciles omnibus ad ſe aditus præbet; tam patiens eſt in audiendis omnium etiam infimorum qværimoniis, ut ab eo nemo unqvam niſi contentus diſcedere ſuleat: qvibus rebus fit, ut qvod rariſſimè contingit, libentibus ac volentibus ſibi ſubjectis populis imperet, & lenitate magis, qvàm imperio ſibi omnium animos voluntatesq; devinciat. Itaq; ſibi qviſq; nefas eſſe ſtatuit, tam modeſto, tamqve humano domino non parere. Non vult Paulus iracundum eſſe Antiſtitem, non ad ulciſcendum injurias propenſum. Qvod iracundiæ vitium ita ſemper hîc evitavit, ut vel nunqvam, vel certè rariſſimè qviſqvam eum iratum viderit: cuivis injurias facilè condonarit: adignoſcendum ſe paratiſſimum præbuerit. Sentiebant paulò ante ii populi, qvi in Epiſcopatu Novarienſi hujus imperio ſubditi erant, qvorum hic vitæ necisq; poteſtatem habebat: qvàm mitem qvàm placatum, qvàm clementem dominum haberen

A tolerantia & modeſtia.

Ratio.

ἀπόδοσις.

Ab humanitate.

A manſuetudine.

Clementia maximè decet principē.

beren

berent; qvi non minis ac terrore, non verberibus & cruciatibus, qvod alii ferè Principes solent, sed amicis admonitionibus fidelissimisqve consiliis eos ad honestè rectèqve vivendum impelleret, & ad sibi parendum induceret. Qvod siqvando puniendus esset aliqvis, qvamvis maxima extaret irascendi causa, nunqvam tamen iratus ad pœnam accedebat, sed legum similis, ad puniendum non iracundiâ, sed æqvitate ducebatur. Qvid? in vita domestica victuqve qvotidiano, qva facilitate, qvâ patientia utitur, ne ullum prorsus iracundiæ vestigium in suis dictis aut factis appareat? Laudatur illud Architæ, qvi cum villico factus esset iratior, qvo te modo (inqvit) accepissem, nisi iratus essem! Qvantò magis hic laudandus est, cujus animum ira non modò non perturbat; sed ne qvidem unqvam acriùs commovet? Adjungit prætereà Paulus perfectò illi Antistiti frugalitatem & temperantiam, ne cibo vinoq; deditus sit. Nam (ut Horatius egregiè cecinit) ——— ——— ——— —*Corpus onustum*

Hesternis vitiis, animum qvoq; prægravat unà,
Atq; affigit humo divinæ particulam auræ.

Qva virtute præter cæteros hic admirabilis est. Multos enim cognovi audiviq; homines cibi viniq; parcissimos; sed hoc partiorem & continentiorem omninò neminem, ut freqventissimè vehementer admiratus sim, qva ratione fieri possit, ut vir tam frugi, tam temperatus, tam exigui cibi viniqve, tot laboribus, qvibus assiduè deditus est, sufficere valeat. Verùm ab eo sæpissimè audivi, nullam esse vino ciboqve nimio sapientiæ capitaliorem pestem; qvantoqve minùs corpus alitur, tanto magis animi vires excitari. Qvare tam tenui victu potuq; contentus est, ut qvi cum eo vivunt, non unum nostri

Iræ noxa sæpe.

Ab Exemplo.

A frugalitate

Per σύγκρισιν.

temporis hominem; sed potiùs aliqvem ex antiqva illa religione virum, voluptatum omnium contemptorem, & cœlestium tantùm rerum amatorem, videre videantur. Qvid? qvod non avarum, non turpi lucro deditum, ait Paulus, Antistitem esse oportere. Vilescit enim profectò animus, qvi corporis vinculis ea tantùm de causa fuit alligatus, ut semper cœlestia contempletur; qvemadmodum affirmare solebat Anaxagoras; qvoties amare divitias incipit, & habendi cumulandiqve cupiditate trahitur. A qva tantum abest hic noster, ut etiam beneficus & liberalis esse studeat, & in eo, qvi opis indigent, benignitatis plurimum conferat. Sed cum omnibus studiosè prompteq; qvibuscunq; potest, opitulenter; tùm in bonos præcipuè viros & ingenuarum artium amatores beneficentiæ suæ largitatem ostendit. Qvo enim illos studio! qvo amore! qvâ benevolentia proseqvitur! ut eos auxilio fovet! præmiis allicit! commendatione sustentat! auctoritate protegit! stipendiis deniq; locupletat! Itaqve ex hoc benignissimo Gymnasiorum præfecto, tota liberalium artium scientiarumqve Professorum cohors jam pridem lætissima pendet. Qvid dicam, qvanta in pauperes liberalitate, qvantâ munificentiâ utatur? qvod omni spe destitutos, & fortunis omnibus privatos, suis opibus sustentet atqve egere non permittat? sunt hæ virtutes singulares & eximiæ. Qvid cæteræ, qvæ ab eodem Paulo in antistite reqviruntur, qvantæ in hoc & qvàm magna sunt? Vult Paulus hospitalem esse Antistitem. Hujus domus semper bonis viris patuit: atq; hoc tempore omnibus, qvi virtute aliqva aut arte præstant, qvasi commune qvoddam receptaculum est. Ad hunc undiqve confluunt, qvi doctrinæ alicuju au

A liberalitate.

Omnibus prodesse, nocere nemini.

Qvibus conferenda beneficia.

Transitio ad alia.

Ab Hospitalitatis jure.

aut artis ingenuæ nomen habent. Qvin ipse ultrò benignè omnes invitat, & liberalissimè hospitatur. Vult Paulus bonorum virorum amatorem Antistitem esse: qvos hic non tantùm amat: sed etiam qvibuscunqve rationibus potest, adjuvat, erigit, ad dignitates evehit, & deniqve aliis omnibus anteponit. Qvin omnes eos sibi proximos, sibi conjunctissimos, sibi cognatos & affines existimat, qvos optimos & virtutum amantissimos invenerit. Postremò cumulatum omni genere virtutis Antistitem idem Paulus esse vult, ut idem sit prudens, sit justus, sit sanctus, sit continens: nihil ei deniqve desit, qvod ad honestè laudabiliterqve vivendum attineat. Qvæ omnia in hoc nostro sic apparent, ut ipsa luce clariora sunt. Nam ejus prudentia tanta est, ut nihil unqvam aggrediatur nisi maturò consilio: ut qvid in qvaqve re remissum & optimum sit, id acutissimè & celerrimè videat atqve explicet: ut ex longo rerum usu, qvid expediat, qvid non, qvid honestum, qvid turpe sit, facilè discernat: ut ex præteritis rebus, qvid futurum sit, acutè prævideat. Qvanta in eo est rerum anteactarum memoria! qvanta præsentium intelligentia! qvanta deniqve providentia futurarum! Qvid illa, in qva virtutis splendor est maximus, justitia & æqvitas! qvam in hoc apertè lucet! qvam æqvâ lance cuncta dispensat! Nemo enim majore præmio bonos afficit, vita severiùs vindicat. Nullum apud hunc unqvam fuit personarum discrimen, qvò minus pauperrimus qvisqve, perinde ac ditissimus, jus suum facillimè conseqveretur. Neqve tantùm in eo semper laboravit, ut unicuiqve, qvod suum est, attribueretur: sed

A dilectione & charitate.

Συναθροισμὸς *Declaratio congeriei virtutum.*

I. *Prudentia in consultationibus.*

ὄμμα τῆς ἐμπειρίας.

2. *Æqvitatis & justitiæ.*

Προσωποληψεως.

4. Patriæ amoris. etiam communem utilitatem semper privatis commodis antepoſuit. Qva verò pietate patriam? qvâ caritate propinqvos? qvo amore cives omnes amplectitur? *5. Magnanimitatis & constantiæ.* Magnitudine animi jam tanta eſt, ut pro honeſtate nullum unqvam periculum adire pertimuerit; nullum laborem recuſarit; res magnas & excelſas animo ſibi propoſuerit, & plurimum in ſe fiduciæ ſemper certa cum ſpe collocarit: ut neqve ab adverſis neqve à proſperis rebus à ſtabilitate mentis atqve animi firmitudine dimoveretur. *6. Continentia.* Continentiam ita ſemper amplexus eſt, ut motus animi turbidos, & appetitus rationi ſubjiceret, & in omnes adverſos atqve alienos à recta ratione impetus dominaretur, cupiditatesq; omnes conſilii norma dirigeret. *Præciſio.* Sed qvid ego plura commemoro? qvaſi verò non apertiſſimum ſit, nihil eſſe in omni virtute atqve honeſtate poſitum, qvod hic à teneris usq; annis non ita perceperit atqve exercuerit, ut in eo qvaſi callum jam obduxerit. *Concluſio.* Et qvisqvam dubitabit, qvin hoc optimus Archiepiſcopus ſit facturus, qvi ad omnes cujusqve generis virtutes percipiendas & exercendas divino conſilio natus eſſe videatur! *Tranſitio.* Qvid dicam de auctoritate? qvæ tanta eſt, qvanta in his tantis virtutibus ac laudibus eſſe debet. Qvis autem non intelligit, in rebus ſacris adminiſtrandis, & in concitandis ad religionem populorum animis *III. ab autoritate & gravitate. Regis ad exemplum totus componitur orbis.* auctoritatem plurimum poſſe? vehementerqve pertinere ad ſacrorum cultus, & ad honeſtatem vitæ, qvid ſacerdotes, qvid populi de Antiſtite ſacrorum exiſtiment? Cum ſciamus homines, ut aut honeſte vivant, aut improbè, ut religionem ament, aut contemnant, non minus ſummorum Antiſtitum exemplo, qvàm aliqvâ certâ ratione commoveri? Qvis igitur unqvam hoc homine clarior fuit? cujus

cujus virtutes pares, qvibus maximè autoritas comparatur. Hujus enim omnis vita plena gravitatis semper fuit? hujus sapientiam & prudentiam suspexere semper principes, populi & nationes: huic vos tantum tribuitis, Patres amplissimi, ut qvicqvid ipse statuerit, de communi sententia statutum existimetis. Et merito: tantum est enim ejus ingenium, tanta doctrina, tantus rerum usus, tot res egregiè gestæ; ut ab eo dissentire nemo sine contumacia possit. Jam in aspectu ipso tanta dignitas inest, in sermone tanta majestas; in incessu atqve omni gestu tanta veneratio; ut ipsam qvodammodo auctoritatem præ se ferre videatur. Qvis enim Cato vultu severior? qvis Phocion oratione gravior? qvis Numa in omni actione religiosior? qvanta in omnibus dictis & factis ejus constantia & veritas? Possumus igitur jam constituere, Patres amplissimi, qvantum hanc auctoritatem, plurimis jam rebus gestis exploratam, non paucis multorum Principum & Pontificum judiciis, ac præcipuè vestris amplificatam, ad tuendam & conservandam religionem valituram existimemus. Sed jamdudum intelligo, Patres amplissimi, non tam orationem meam vobis atqve isti freqventiæ, qvæ tam attentè tantaqve cum omnium eorum, qvæ dicuntur assensione me auscultat, esse gratam; qvàm huic, de qvo verba facimus, commemorationem laudum suarum ingratam. Cum enim reliqvos omnes Antistites cæteris virtutibus antecedat, singulari qvadam animi moderatione non tantùm alios; sed etiam seipsum vincit. Nam cùm ita semper vixerit, ut ne livor qvidem eum reprehendere probabiliter potuerit; non tamen unqvam tam laudari, qvàm, si qvid opus esset, admoneri gavisus est. Qvocirca Themistoclis, illius summi Atheniis

Autoritas undeipsi conciliata.

Illustratio per collationem cum aliis.

Autoritatis pondus & effectus.

Apostrophe ad Antistitem.

thenis viri, dictum immutare consuevit. Cum enim ex eo qværeretur, qvod acroama, & cuus vocem libentissimè audiret: Ejus, inqvit, à qvo mea virtus optimè prædicatur: hic autem nosterse vocem ejus libentissimè audire profitetur, à qvo prudenter admonetur. Qvod igitur me tamdiu de se dicentem, tamqve patienter audivit, in hac re non certè sibi, sed studio nostro, patriæqve charitati; qvàm suo nomine tantopere lætari videt, indulgere voluit.

Excusatio rhetoris per translationē culpæ.

Verùm qvid tacitus gaudia tua dissimulas, sapientissimè vir Arcimboldi? Jam enim ea voce te appello, qva me facilè audire possis. Qvid, inqvā, est, qvod non tibi summam hilaritatem ac jucunditatē afferre debeat? Ut enim verissimis laudibus tuis non faveas; ut immortalium virtutum tuarum commemoratione non movearis; ut communi præstantium omnium virorum gloriæ studio non traharis: non potes tamen hoc totius patriæ nostræ de te judicio, hac civium omnium erga te benevolentia, hac omnium bonorum gratulatione non vehementer oblectari.

Ἀποστροφῆς declaratio.

Scopus & finis orationis hujus.

Persuasio.

Certè ferreus esses, atqve omni adamante durior, nisi hæc tanta novæ dignitatis tuæ gratulatio, tam inusitata inauditaq; populi jubilatio, tanta benevolentiæ vel potius pietatis significatio, tam deniqve incredibilis ac penè divinus omnium in te celebrando consensus animum tuum commoveret. Qvis enim unqvam aliqva in re tam gratus senatui, tam carus principibus civitatis, tam jucundus populo, tam civibus universis amabilis visus est, qvàm tu in omnibus dictis & factis tuis semper apparuisti? Titus qvondam Vespasianus ob summam modestiam & benignitatem, amor & deliciæ generis humani fuit appellatus. Qvem tu Principem duabus etiam in rebus superâsti. Qvòd illo primo comitatem & libera-

Ratio.

Per exemplum.

beralitatem suam nonnullis vitiis contaminaverat: deinde biennio tantùm summæ Reipubl. præfuit. Tu verò puram & integram ab omni flagitio semper vitam traduxisti: & per multos jam annos Reip. nostræ gubernacula tenuisti. Hòc verò tempore nova ista dignitate auctus, nostrum es omnium commune gaudium; nostra spes, nostræ deliciæ, Neqve verò tantùm nos in terris honore tuo mirandum in modum gaudemus: sed etiam beatorum animos in cœlo, & præcipuè sublimen illum heroëm Ambrosium, hujus nostræ civitatis patronum, cujus tu sanctissimis sedibus inauguratus es, non mediocrem cepisse voluptatem existimamus: atqve ideo conversum ad illam totius mundi Mentem, qvæ procurat universa, primò ei gratias egisse arbitramur: deinde pro tua salute atqve incolumitate preces eidem fudisse, ac rogâsse, ut, qvemadmodum ipse populum Mediolanensem qvondam diu feliciterqve gubernavit, sic etiam tu, qvi tantò post illi successisti, non minùs benè beatèq; Remp. nostram administres. Qvas divini herois & patroni nostri preces Deum ipsum audivisse & speramus & credimus: ut divina providentia te ministro, nullo nobis tempore posthac unqvam defutura sit. Eqvidem mihi jam videre videor; totam hanc civitatem nostram tuam auctoritatem, fidem, religionem secutam reflorescere; benè & sapienter vitam instituere; in summa concordia, pace, tranqvillitate vivere: nihil aliud, qvàm de honestate vitæ, de sanctitate, de æterna beatitudine cogitare. Jam omnium animi ad spem optimam erecti sunt; curarum omnium obliti summâ perfusi lætitiâ jubilant, exultant: festos

Et ὑπεροχὴν, ἐν συγκρίσει alterius Principis σὺν αὐτιθέσει.

Per εἰδωλοποιΐαν.

An demortui pro vivis orent.

Ἐδωλολατρεία.

Effectus & eventus novi Archiepiscopatus.

dies agunt; tuam sapientiam, tuam virtutem, tuam auctoritatem intuentur: qvibus rebus omnis fides, omnis religio, omnia sacra ritè custodiuntur. O meritò jureq; concepta gaudia! O veram sanctamq; lætitiam! O felicem hunc diem, non tantùm candido (qvod dici solet) calculo notandum, sed etiam ad orbis terræ memoriam sempiternam in fastis reponendum! Gaude jure tuo Mediolanensis civitas; gaude tuo tam excellenti bono; gaude tam præstanti religionis patrono. Nihil enim optatius, nihil gloriosius, nihil deniqve beatius accidere tibi potuisset. Hoc auctore tam religioso, tam sancto, tam pio, hoc Antistite ceremoniarum & sacrorum nihil est, qvod non tibi feliciter atqve ex animi sententia successurum sit; nihil est, qvod ab immortali DEO facilè non sis impetratura. Age igitur omnes, qvotqvot adestis in hac tanta freqventia; una voce mecum, uno animo, uno consensu, primùm DEO Opt. Max. rerum omnium conditori ac moderatori, pro tanto tamqve immortali beneficio gratias agamus. Deinde vocis & precibus obtestemur, ut, qvem jam nobis sua præstanti liberalitate, suo penè præsenti numine fidei custodem, religionis amplificatorem, sacrorum Antistitem, rerum omnium honestissimarum qvasi parentem dedit; eundem, nobis qva benignitate concessit, etiam incolumen & salvum qvam diutissimè conservet. Nam sine ulla dubitatione tamdiu beatissima erit hæc universa civitas, qvamdiu tam eximius & singularis Archiepiscopus sacris & summæ religioni præfuerit. Qvocirca te summe DEUS, omnium Parens; qvem propter beneficia populus Christianus Optimum: propter vim ac potestatem, Maximum nominat: teq; Mens Patris æterna sapientia, ratio perfecta, rerum omnium

ἐπιφώνημα.

Cum apostrophe ad patriam.

Ratio voti.

Conclusio totius orationis votiva.

Ratio voti repetita.

Compellatio S.S. Triados.

nium Procreator Christe, qvi in terris ea, qvæ ad hominum salutem pertinent, maximè procuras: teqve totius mundi anime, qvi proborum hominum mentibus qvasi consolator qvidam & lætitiæ dator illaberis, & incredibilem atqve divinam in eis jucunditatem affers, alme Spiritus: Te, inqvam, mystica Trias, triplex qvidem numen, triplex potestas, triplex discretio personarum, sed una virtus, una natura, DEUS une: cujus beneficio, qvicqvid est in omni rerum universitate boni, gignitur: oramus omnes uno animo, atqve una voce obtestamur, ut si ritè pro novo hoc Archiepiscopo nostro, tuo munere nobis hoc tempore tradito, vota nuncupamus: si ritè sacros in hoc templo maximo in tuis aris ac focis ignes adolemus: si ritè victimas, tui qvondam doloris atqve supplicii, cùm hominem induisses, nostræqve salutis monumenta, qvibus occulta qvadam atqve ineffabili potentia tua, illud qvidem verum, sed tamen inaspectabile Christi corpus contineri credimus, piè religioseqve consecramus: si deniqve ritè, magnaqve cum fiducia certatim omnes ad auxilium tuum, fusis qvotidiè precibus supplices confugimus: hanc firmam, stabilem, certam, & ratam lætitiam non tantùm in præsentia nobis efficias; veverum etiam deinceps longissimo tempore conserves. Ut nostrum hunc Antistitem, tanqvam optimum & sanctissimum ducem seqventes, & hanc læti vitam benè beateqve transigamus, & post mortem certum ac definitum in cœlo cum eo locum habeamus, ubi tandem ævo sempiterno beati perfruamur.

Oratio hypothetica pro salute Archiepiscopi novi & ejus felici imperio, æternaq; beatitate.

CHRIA
SUPER MEMORABILI
qvodam facto Ferrandi Gonzagæ
ORATIO II.

Qvis & qvantus Heros Ferrandus Gonzaga, ex illustri Mantuanorum Ducum prosapia, oriundus fuerit, Paulus Jovius l.7. Elog. prodidit p.585. Is, ut exemplar virtutum ad æmulandum aliis præponitur & commendatur. Ideoq; & hæc ipsa, ut prior, ad genus Demonstrativum refertur; ob egregium illud factum, & justitiæ insignis specimen, qvo semel reum morti adjudicatum absolvere, & dimittere noluerit.

Exordium ab ἀποφορᾷ generali. Cum ἀνθυποφορᾷ.

ETsi nihil de insignibus ad laudem viris obscurè nunciari solet: qvoq; plura sunt in aliqvo virtutis & industriæ ornamenta; tantò etiam sunt omnia, qvæ ab eo rectè geruntur, clariora: tamen interdum eximiæ qvædam latent in optimis & præstantissimis qvibusq; principibus virtutes; qvas, cum ideo eam illi nacti fuerint occasionem, è vestigio summa cum omnium admiratione proferre, atq; obstupescentium oculis, memorando aliqvo facinore expressas objicere student. Qvod ideò facere videri possunt: cùm ut apud omnes testatum apertissimè

Αἰτιολογία.

tissimè relinqvant, omni se honestatis adipiscentiæ, fugiendæqve turpitudinis gratiâ moliri; tam etiam ut exempli raritate, non solùm de probitate atq; integritate suâ jam ob omnibus conceptam opinionem tueantur atqve sustineant; sed eam etiam multo magis in dies amplificent. Insidet (ut divinus ait orator) qvædam in optimo qvoqve virtus, qvæ noctes & dies animum gloriæ stimulis concitat; atqve admonet, cum vitæ tempore non esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed eum omni posteritati adæqvandam. Ac mihi qvidem si qvis unqvam post homines natos huic rei clarissimus Princeps operam dedisse dicitur, unus, hic nostræ civitatis atqve imperii novus rector & conservator Ferrandus Gonzaga, principum decus & ornamentum vel omnium maximè studere videtur: qvi aliis in rebus qvascunqve unqvam aggressus est, semper eximium ac singularem virum, imperatoremq; strenuissimum egerit: ut neq; omni genere virtutis, in toga atq; in pace; neqve in bello scientia rei militaris, aut fortitudine, tum animi, tum corporis; aut felicitate, aut autoritate, qvisqvam ex antiqvis illis vel Atheniensibus, vel Romanis, qvorum jam pridem omnium voce fama celebratur, huic omninò sit anteponendus. Nuper tamen Genuæ, qvæ civitas Ligurum Metropolis est, justitiæ tam præclarum exemplum dedit; ut vel hoc uno Catones omnes atqve Aristides longo intervallo superârit. Cùm enim non ita pridem in Sicilia, qvam provinciam longo tempore, Caroli Cæsaris Austriaci auspiciis, pro Rege justissimè administravit, Genuensem qvendam nobilem atqve ditissimum; sed perditissimis

moribus

Χρεία Cicero pro Archia.

ἀπόδοσις seu translatio θέσεως ad hypothesin.

Probatio à rebus heroicè gestis.

Comprobatio à facinore singulari.

Narratio facti de captivo qvodam.

moribus ac profligatæ vitæ hominem, qvi plurima in ea provincia nefanda facinora commiserat, comprehendi curâsset, victum eum in carcerem contrudi jussit: donec in ejus vitam diligenter, more majorum, inqvireret. Sed accidit interea, (ut Mediolanensium rogatu, qvi singularis justitiæ atqve sapientiæ fama impulsi, Ferrandum hunc unum, mortuo Alphonso Davalo, suæ civitatis ac totius imperii moderatorem omnibus votis expetebant atqve deposcebant: eum Carolus Cæsar, Imperator invictissimus, huic nostræ civitati gratificaturus, à Siciliæ administratione ad Mediolanensem Remp. gubernandam advocaret. Itaq; Ferrandus, qvi nondum perniciosum illum ac scelestum Genuensem è medio tollendum esse statuisset: vel qvod nondum satis de eo qvæsitum existimaret, & multa ejus adhuc flagitia laterent: vel (qvod magis crediderim) ut vivus vidensqve conscientia scelerum atqve maleficiorum agitatus, qvotidie qvodammodo periret, cum sibi jam jamqve imminere, qvos se meruisse intelligebat, dirosq; cruciatus vehementissimè pertimesceret, atqve hoc perpetuo pœnæ metu, debitas nefariis sceleribus pœnas lueret: eumq; vinctum, & numellis atqve compedibus astrictum secum esse ducendum censuit, ut opportuno tempore, qvoties visum sibi fuisset, meritum de illo supplicium sumeret. Sed postqvam secundis austris è Sicilia discedens, cum tota familia sua Genuam appulisset, ut deinde paulo post in Mediolanensem agrum adveniret: affuere statim nexi illius gentiles, cognati atqve affines, qvi prostrati ad Ferrandi pedes, supplicum voce salutem ac vitam ejus exposcebant atqve flagitabant: illumqve addebant, inimicorum invidia oppressum, longè gravioribus qvàm

Occasio oblati magistratus. *Consilium de captivo.* *Interceptio consilii per preces & libros supplices.* *Excusatio rei & translatio culpæ in alios.*

qvàm revera commisisset, criminibus accusatum fuisse. Qvibus primo, sicuti par est, qvamvis ejus impuritatem ac malitiam planissimè cognitam & perspectam Ferrandus haberet, benignissimè tamen respondit: sibi ne latum qvidem (ut dici solet) ungvem ab æqvitate discedendum: sed omninò se facturum, qvod ipsa justitia postularet, atqve etiam aliqvid amicorum studiis, qvoad æqvitas pateretur, se daturum: irent, & adversarios, qvorum invidia cognatum suum oppressum dicerent, vel apertis rationibus, vel adductis testibus refellerent, eumqve innocentem esse demonstrarent: tum verò se libenti animo, qvicqvid petiissent, concessurum. At illi, qvi nullam penitus haberent manifestorum scelerum excusationum hoc responso perculsi, duabus (ut ita dicam) validissimis machinis Ferrandi animum, qvasi arcem aliqvam munitissimam, ut à justitia declinaret, si qva ratione fieri posset, expugnare sunt aggressi. Palam enim cum Principe, navali disciplina & gloria celeberrimo, Andrea Dorio, cujus summam autoritatem apud Ferrandum non sine causa plurimum posse persvasum habebant, agere cœperunt, ut vincti illius causam reciperet, & deprecatione diligentissima contenderet à Ferrando, ut animadversionem & supplicium, qvo usurus erat in eum, qvem cepisset, remitteret sibi & condonaret. Clam verò ipsi Ferrandum adeunt: & allatis aureorum qvindecim millibus, id munus honoris gratiâ ei, qvem maximè colerent & venerarentur, se offerre dicunt: orant atqve obsecrant per ejus humanitatem atq; clementiam, qvam jampridem spectatam haberent, ne munere illo repudiando, maximè sibi addictos clientes contempsisse videatur. Qvid hac in re faciat

Responsum æqvitate moderatum.

Purgatio criminis absolutionem antecit.

Qvæ cum deficiat.

Valeat 1. Intercessio & deprecatio aliqva principis.

2. Corruptio auro facta.

quivis

qvivis alius ex omni numero Princeps? Habebat illi nexum illum vitæ necisq; potestatem: poterat eum sine cujusqve invidia, suo arbitratu vel absolvere, vel condemnare. Nunc accedit, ut hinc multis precibus ab eo Principe rogetur, cujus autoritatem pluribus de causis magni esse faciendam existimant: & cujus officiosæ petitioni, qvibus rationibus obviam eat & honestè resistat, excogitari satis neqvit. Ab altera parte, cognatorum ejus, qvi vinctus erat, & affinium supplicationes atq; lacrymæ lenissimum animum atqve clementissimum qvodammodo verberant! qvi palam qvidem ab inimicis injustè accusatum affinem suum dicunt: tacitè autem rationem ac viam Ferrando aperiunt, qvæ, nulla corruptelæ suspicione, clarissimo Principi Andreæ Dorio nexum condonare possit. Qvam rem & veterum exemplo fieri posse, & jampridem usitatam esse, & hoc etiam tempore à plerisqve summis viris fieri consvevisse intelligunt: ut nullam penitus accusationem recipere videatur. Qvis enim eum Principem reprehendendum putet, qvi roganti alteri Principi nexum, qvem habeat in potestate sua, condonet? An non hæc res multis hominibus laude potius, qvàm vituperatione digna videtur? cùm præsertim is, qvi nexus est, ingenuus atq; nobilis sit, & neqvaqvam domi suæ, neqve in patria sua, sed apud exteras nationes, si qva commisit, flagitia commiserit? Qvid si huc accedit ingens atqve occultum præmium, qvod non solùm sine cujusqvam suspicione; verùm potius cum summa nobilissimi Principis gratia facilè conseqvi possis? Qvis est animo tam constanti atqve firmo, qvi in hujusmodi re satis obscura, atqve ideò minimè invidiosa non commoveri possit? At certè, qvod olim de Fabri-

Causæ Impulsivæ absolutionis.

1. Gratificandi studium.

2. Veniæ locus relictus supplicibus Agnatis.

Qvod decuit Reges, cur tibi turpe putes?

Ratio 1 à rei persona & loco.

2. A lucro.

cio

cio Romano Pyrrhus Epirotarum Rex dixiſſe fertur, longè veriùs hoc tempore de Ferrando Gonzaga dici poteſt: facilius à curſu ſuo ſolem revocari, qvàm hunc talem virum à juſtitia deflecti poſſe. Cujus qvidem virtutis, cæterarum omnium dominæ atqve reginæ, qvemadmodum eam ſapientes appellant, in hujus Principis mente inſidere ſpeciem qvandam eximiam facilè crediderim: qvam ſemper intuens, in eaqve defixus, ad illius ſimilitudinem actiones ſuas omnes dirigit. Qvo fit, ut non ab iis tantùm rebus, qvæ ſine dubitatione vitandæ ſunt, eò, qvòd annexam turpitudinem habeant: ſed ab iis etiam, qvæ licet honeſtam præ ſe ſpeciem ferant, tamen ab interprete maligno poſſunt aliqvo modo vitio dari, ſibi cavendum exiſtimet, ut à ſe uno, tanqvam à ſplendido atque perenni virtutum omnium fonte, exempla, qvæ præclariſſima poſſint omnes haurire. Quid igitur ſibi faciendum in hac re Ferrandus proponit? Videte hominis admirabilem atque inauditam prudentiam. Primò deprecanti ſummo viro ſtrenuiſſimoque Duci atq; Imperatori Andreæ Dorio non apertè denegat: ne tam egregii Principis animum aliquo modo, ſi ſeverus in denegando fuiſſet, à ſe alienaret: verùm illi perquam humaniter - qvantum ſua dignitas atq; honos pateretur, libentiſſimè ſe gratificaturum pollicetur. Deinde qvamvis magnopere ſecum tacitus indignaretur, qvod ſe ex aliorum moribus ſpectantes, qvi pecunias attulerant, corrumpere voluiſſet: tamen ad tempus ſibi diſſimulandam eſſe indignationem cenſuit: & munus illud non modò non recuſavit, ſed etiam actis gratiis hilari vultu

Ἀντίθεσις à conſtantia & perſeverantia Ducis in juſtitia.

Facti eventus. Mira calliditas prudentis Ducis.

1. Gratificatio principi intercedenti factum.

2. Pecuniæ ſeu honorarii captatio.

vultu accepit: ut posteà clariùs & apertiùs integritatem suam omnibus, atqve ipsi præcipuè Principi Dorio, cui maximè satisfacere studebat, ostenderet. Accepto igitur magno illo auri numero, jubet eos, qvi attulerant, ad se postridiè manè reverti, & cognatum suum: qvem interim à vinculis exemptum se ostendit. Qvibus illi auditis, tanqvam re feliciter gestâ, læti atqve alacres discessere. Interim Ferrandus, qvi nusqvam oculos à justitia deflectebat, severitatis plenum atqve integritatis consilium capit. Confestim enim post eorum discessum nexo illi caput in carcere præcidi jubet, ejusqve cadaver in forum eâdem noctè deferri atqve illa qvindecim aureorum millia, qvæ sibi pro munere allata fuerant ante mortui pedes projici. Qvæ postqvam omnia diligenter, ut ab eo fuerat imperatum, effecta sunt: postridiè manè reversis ejusdem cognatis, Ite (inqvit) in forum: ibi enim & eum, qvem tantopere cupiebatis, cognatum vestrum, jam omni cura solutum, & vestras etiam pecunias incolumes reperietis. Neqve enim meum est, justitiam precio vendere: neqve vobis utile est, tantum pecuniæ numerum unius perditi hominis gratiâ profundere, verùm longè mihi præstantiùs esse visum est: Virtutem eam, qvam non sine causa majores nostri sapientissimi viri, semper virginem esse dixerunt, ab omni corruptela castam atqve integram conservare; vestras autem vobis divitias relinqvere: qvando dum palàm optimo Principi Dorio gratificari videar, clam autem pecunia corruptus à justitia discedo, exemplum præclarissimum inposterum vindicandæ improbitatis, qvantum in me est, ex omni Rep. tollere. O factum egregium! atqve ab omni posteritate rememorandum! O vere invictum sanctissim

Facti & promissi mutatio rigorq; in justitia semel administrata

Ratio facti severè editi.

Justitia debet esse virgo, non meretrix

ἐπιφώνημα cum approbatione facti

ctiſſimi Principis animum ! O ſingulare excelſæ mentis judicium ! Qvid enim prudentius in ejusmodi re, qvid ſapientius geri potuiſſet ? Qvid aliud conſilii caperet is, qvi rebus omnibus anteponendam eſſe juſtitiam cenſet? An Principi tam humaniter atqve ſubmiſſe roganti ſtatim acerbè denegaret ? At id profectò durum nimis ac ſeverum, longeqve ab ea, qvæ magnum virum ſummoperè decet, placabilitate alienum videri potuiſſet, & qvod fortaſſe merito ejus, qvem minimè vellet, animum offendiſſet. An accepta privatim pecunia, nexum vinculis liberaret, atqve incolumen abire permitteret? at hoc qvidem, præterqvam qvod injuſtiſſimum fuiſſet, ſi perdito ac ſceleſto homini pepercisſet, turpiſſimam etiam avaritiæ notam nexam habebat: qvæ cum primum fuiſſet audita, (neqve enim diu celari potuiſſet) infamiam illi ſempiternam attuliſſet. Qvid igitur aliud reliqvum erat ? Nihil certè, niſi ut hac ratione perſpicuè declararet, ſe neqve rogantis precibus, niſi aliô juſtitia traheret, locum fuiſſe relicturum ; neq; ullam improbis, ſeſe à flagitiis pecunia redimendi ſpem apud ſe ſupereſſe. Simul etiam, qvod ingenii ſpecimen fuit acutiſſimi, facto hoc ſuo principem ipſum Dorium ab improbi atqve flagitioſi ejus, qvem obtruncari juſſerat, cognatis alienavit, & ad magnam ſui admirationem traxit. Prolata enim in publicum, qvam illi pro ſperata redemptione dederant, pecunia, Dorio planè ſignificare voluit ; non illos ejus authoritati, qvem advocatum ſibi paraverant, ſed pecuniæ ſuo confiſos fuiſſe, duosqve eodem tempore principes uno conſilio magnum in flagitium impellere fuiſſe conatos. Dorium qvidem primò, ut ſceleſtiſſimi hominis patrocinium atqve defenſio-

Ratio.

Corrumpi pecunia principem aut judicem non decet.

Juſtitia potior pecunia.

Eventus facti.

Ratio ab abſurdo duplici.

1. Abſurdum

nem susciperet, qvem inimicorum accusationibus iniq; oppressum falsò jactabant. Se verò deinde pecunia agressos, ut neglecta justitia, qvem omni cruciatu dignum esse sciret, eum incolumen dimitteret. Ecqvis unqvam post hominum memoriam factum ullum gravius, aut severius, aut integrius audivit? Celebrent Romani C. Fabricii justitiam, qvi ne hostem qvidem per insidias è medio tolli voluit. Cùm enim bellum contra Pyrrhum Epirotarum Regem gereret, & Timochares qvidam Ambratiensis ei pollicitus fuisset, se Pyrrhum veneno sublaturum; missis legatis Pyrrhum admonuit, ut ab hujus generis insidiis diligenter caveret. Extollant ejusdem hominis continentiam; qvi cum ad regni consortium à Pyrrho vocaretur, ut contra Romanos arma verteret; omninò recusavit. Laudent M. Curii abstinentiam; qvi cùm adeò pauper esset, ut ei vix ad victum necessaria suppeditarent; tamen Samnitum divitias prorsus contempsit. Cùm enim ad eum magnum auri pondus Samnitum legati publicè missum attulissent, eo repudiato, Ite (inqvit) & narrate Samnitibus, me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse. Jactent alii Q. Tuberonis consulis egregium facinus; qvi, cùm Ætolorum gens omnis usus vasa argentea magno pondere, atqve exqvisita arte fabricata, per legatos misisset, eos statim cum suis sarcinis abire jussit. Hæc, inqvam, atqve ejusmodi si qva sunt, qvæ paucissima sunt, antiqvorum exempla memorentur; extollantur, laudentur; qvoniam revera maximis sunt præconiis dignissima. Verùm si qvis diligentiùs hoc Ferrandi nostri factum consideret: intelliget profectò, qvovis eorum, qvæ scripta leguntur, multò esse præstantius; atqve memorabilius. Non enim

2. Conclusio. Amplificatio per exempla.
1. C. Fabricii.
2. M. Curii.
3. Q. Tuberonis.

enim illæ propriæ virorum laudes fuêre; sed temporum. Qvis enim Romanorum temporibus illis non justitiam & continentiam amplectendam sibi esse existimabat? Qvis non honori potius & gloriæ, qvàm avaritiæ serviebat? Qvis non Reip. commodo atqve dignitati potiùs, qvàm privatæ utilitati studebat. Nullum certè post ea tempora tale, vel rarum admodùm exemplum reperitur. Nam post devictam Carthaginem atqve Numantiam, cùm abundare divitiis atqve otio Romani cœpissent, qvasi jam gloriæ satis acqvisivissent: ab illa vitæ integritate atqve innocentia paulatim ad omne flagitiorum genus inclinare cœperunt. Ut non injuria Rex Numidarum Jugurtha Roma discedens dixisse feratur: O urbem venalem, & cito perituram, si emptorem invenerit! Qva celebritate hominum, qvibus laudibus, qvibus encomiis ad cœlum hoc Ferrandi factum elatum fuisset, si eo tempore accidisset, qvo maximè Romana Respubl. florebat, & totius penè terrarum orbis imperio potiebatur? cùm omnes qvo jure, qvaq; injuria, qvi provinciis præerant, omninò ditescere studerent. Sed certè nihilominus hoc tempore prædicandum, atqve omni contentione studioqve celebrandum est. Qvotus enim qvisqve reperitur hoc nostro tempore Princeps, qvi sibi tale in re temperare potuisset? qvi non statim conspectis tot aureis nummis, qvoqvo modo liberandum ac dimittendum captivum illum putasset? cùm præsertim accederet etiam summi Principis deprecatio; nec esset ulla prorsus corruptelæ suspicio. Ubi sunt igitur, qvi dicunt; Nihil esse tam sanctum, qvod non violari; nihil tam munitum, qvod non expugnari

σύγκρισις ἐκ impari longè

Apophthegma.

Αὔξησις ἐρωτήσεως ornata.

Ratio facti laudandi.

Refutatio.

pecunia possit? qvid valet illa vox avarissimi Macedonum regis Philippi, qvi dicere solebat: Nullam tam munitam civitatem, qvæ non facilè posset expugnari, modo auro onustus in eam asellus ingredi posset? Qvid illa jam pridem pervulgata sententia ponderis habere potest; Pecuniæ omnia obedire? Immò verò sapientissimus atqve justissimus Princeps hoc facto suo planissimè declaravit, nullam penitus contra justitiam & æqvitatem vim habere pecuniam: ostendit apertissimè, tam excelso loco positam eam esse, qvæ vera est, non autem fucata virtus, ut non aliter, atqve rem abjectissimam, argentum atqve aurum despiciat. Fuerint igitur justi, fuerint continentes Fabricii, Curii, Tuberones, qvo tempore majorem in modum apud Romanos æqvitas & continentia colebatur: hoc certè majori laude atqve gloria dignus est Ferrandus noster, qvò rariores hoc tempore sunt, qvi justitiam & æqvitatem pecuniæ proponant. Qvis enim non tanqvam avem albam (ut dicitur) hodie Principem miratur, justumq; in administrandis rebus publicis se præbentem? Jam verò qvis non videt, si cum eorum factis, qvos paulò antè commemoravi, Ferrandi nostri factum conferatur, qvanto clarius atqve illustrius futurum sit? Illi enim si præmiis corrupti fuissent, Fabricius à Pyrrho, Curius à Samnitibus, ab Ætolis Tubero; eam qvam rebus omnibus chariorem habebant, qvodammodo libertatem vendidissent: cum eis, à qvibus munera cepissent, devincti atqve obnoxii facti, morem in rebus omnibus gerere coacti fuissent. Neqve enim ei facilè qvicqvam negare possumus, à qvo magna nos beneficia cepisse non ignoramus. Atq; illi ut devincti simus necesse est, qvi sponte sua muneribus oblatis res fa- miliares

Justitia omni auro prior & precio[illegible]ior.

Concessio per collocationem facti.

Comparatio alia.

miliares noſtras amplificavit. Non igitur tantum honeſtatis ac virtutis gratiâ veteres illi maxima munera repudiaſſe videri poſſint: verùm etiam, ne illis, à qvibus ea cepiſſent, aliqvo modo fierent obnoxii. Qvid autem in hoc Ferrandi facto ſimile; Primò nulla cauſa erat, cur cuiqvam obnoxius fieret; etiamſi accepta pecunia captivum dimiſiſſet. Jam in eo ipſo, qvod ſupplicium penè jam condemnati hominis cognatis ejus remiſiſſet, ſatis magnam muneris gratiam retuliſſe viſus fuiſſet. Deinde illud accedebat, qvod ejus animum maximè commovere atqve labefactare poterat, niſi radices jam altiſſimas in eo vera virtus egiſſet; qvod præter occcultum tanti auri lucrum, Andream etiam Dorium, qvem virum Dii immortales! qvàm prudentem! qvàm peritum rei militaris! qvàm ipſi Cæſari gratum! hac ſua facultate plurimum ſibi devinxiſſet. Qvæ cùm omnia videret acutiſſimè Ferrandus, neqve enim tam occulta ſunt, qvin ea, vel mediocris prudentia, nedum tanto acumine prædìtus in actionibus ſuis princeps videre poſſit: maluit tamen haud dubiam, & Principis Dorii, & multorum Genuenſium nobiliſſimorum gratiam, propoſitumq; ingens præmium relinqvere, qvàm ab æqvabili ſuo & perpetuo juſtitiæ curſu diſcedere. Cujus exemplum pulcherrimum ſi Principes omnes imitari vellent, longè profectò feliciores atqve beatiores omnes forent Reſpublicæ. Neqve enim improbi ſpem ullam in judiciorum corruptela ponerent: facileqve fortaſsè à maleficiis abſtinerent, aut è medio tollerentur. Probi verò homines primò tutiùs atqve ſecuriùs, ſublata ſcelerum impunitate, viverent; deinde longè alacriores ad fugiendam turpitudinem, & honeſtatem amplectendam fierent,

Diverſitas facti.

1. Ratio.

2. Ratio.

Concluſio.

ἀπόδοσις ad æmulandum

Ratio imitationis.

Ἀντίθεσις in φιλοχρηδία. fierent, qva nihil esse principi suo charius atqve gratius agnoscerent. Nunc propter principum sordes, atqve avaritiam, qvot in unaqvaqve Republ. scelera, qvot cædes, qvot rapinæ, qvot sacrilegia, qvot

Avaritiæ fructus. parricidia ferè qvotidiè perpetrantur? Qvas domos, qvas familias, qvas urbes, qvas nationes insatia-

Exclamatio cum qverela. bilis Principum cupiditas non everit? Qvid deniqve mali aut sceleris fingi aut excogitari potest, qvod non avarus ille Princeps sordidusqve concipiat? Utinam Respublica nostra non longo tempore fuisset experta, qvantum mali civibus omnibus Principum invehat avaritia! qvæ jampridem multis agitata calamitatibus, exhaustis ad sangvinem usqve viribus atq; fortunis expilata; direpta, populata, vexata: nunc tandem te Principe, Ferrande,

Apostrophe ad Ducem. respirare incipit, & sub adventu tuo confestim in mirandum modum recreata est. Vidisti Princeps æqvissimè, qvibus gaudiis, qvàm profusis lætitiis, non tantùm te senatus & nobilitas omnis hujus civitatis, verùm etiam vulgus & imperita multitudo venientem exceperit: qvàm accuratè tibi obviam omnes primarii viri, Senatores, Eqvites, Jurisprudentes, Medici processerint: qvo studio populus omnis ad adventus tui spectaculum sese effùderit: qvibus æris Campani pulsibus, qvi-

Ratio permovens ad applausum. bus tormentorum bombis palam sit exultatum. Neqve me hercle injuria. Tanta enim de tua clementia, justitia, humanitate, fama, sicut ad alias omnes nationes, ita etiam ad Mediolanenses pervenerat; ut, extincto Alphonsò Davalo, qvem honoris potiùs, qvàm contumeliæ causâ nomino, si ex omnibus Principibus unus sibi moderator & rector eligendus fuisset: qvem tecum

Ominatio. conferre possent, profectò neminem haberent.

Felix

Felix igitur sine dubitatione, atqve beata, te Principe, futura est Respublica nostra. Nam si qvi sunt improbi atqve scelesti homines; qvi tamen (ut arbitror) pauci sunt; cùm nullam prorsus, si deliqverint, evadendi supplicia spem sint habituri, recentissimo isto tuo, atqve immortalitate digno exemplo moniti; vel ex hac urbe ad alias nationes, ubi possint impunè malitiam suam exercere, profugient; vel metu suppliciorum exterriti paulatim resipiscere, & ad rectam vivendi rationem redire incipient. Probi verò, qvorum in hac civitate magna est multitudo, tuam sibi vitam tanqvam splendidissimum speculum præponentes, in qvo virtutum omnium expressæ imagines facilè reluceant, ejus imitatione suam etiam vitam conformabant, atqve indies sese meliores præstare laborabunt. Itaqve fiet, Diis hominibusqve approbantibus, ut tanti Principis consilia atqve prudentia Resp. nostra administrata, tandem è maximis molestiarum turbulentissimisqve tempestatibus erepta, portum qvietis & tranqvillitatis plenissimum teneat & in amore atq; sapientia tua diutissimè conqviescat.

Justitiæ vis & effectus.

1. *In malis.*

2. *In bonis.*

Conclusio & scopus totius ebriæ.

IN NUPTIIS JAC. PHILIPPI SACCI,

SENATUS MEDIOLANENSIS

Principis; Præsente eodem Senatu;

In qva præter cætera, seni qvoqve homini ducendam esse uxorem multis rationibus probatur

ORATIO III.

Est ejusdem generis cum antegressis. Quia in laudes hîc ivit conjugii rhetor, qvod seminarium est Reipublicæ totius & omnis civilis societatis, cùm homines immortales non sint; sed propagatione tali per legitimum conjugium genus humanum conservetur. Dum a. transfert θέσιν ad ὑπόθεσιν, & qværit, an seni ducenda sit uxor, referri potest ad genus deliberativum; & affirmat præter rationes exemplo Abrahami & Saræ Gen. 18 v. 11. & 12.

Exordium, ἀπὸ προλήψει συμσυγκρίσει

QVanqvam in multis præclarissimis & immortalitate dignissimis actionibus, Patres Con. spectare licet, qvàm eximia singulariq; prudentia atq; sapientia noster hîc Princeps ornatissimus & optimu

mus excellat, tamen, ut verè dicam, nihil jam pridem sapientius aut prudentius fecisse mihi videtur, qvàm qvod hoc tempore ingravescente jam ætate spectatissimam fœminam sociam & consortem fortunarum omnium suarum sibi qvæsiverit; qva cum deinceps per omne reliqvum vitæ suæ spacium placidè jucundeqve vivat: cui domesticarum rerum procurationem tutò committat; ex qva, Deis benè faventibus, liberos qvi non tantùm amplissimi patrimonii, sed etiam nominis, famæ, dignitatis, gloriæ suæ sint hæredes, suscipiat. Hoc qvi non videt factum esse sapientissimè, nihil omninò videt. Sunt enim qvidam inter mortales tanta mentis caligine, tam tetris animi tenebris oppressi, ut ea sæpe numero studeant improbare, qvæ magnis potius efferri laudibus dignissima sunt; præter cætera, qvæ parum firmis ducti rationibus injustissimè damnant, non satis honestum esse dicunt, provectiori ætate viro ac seni homini, uxorem ducere; præsertim si maximis negotiis intentus, operam uxori dare non satis commodè posse videatur, qvorum ego falsam opinionem, sive rerum ignorantia, sive potius malitia peccent, vel hoc uno sapientissimi Principis nostri exemplo profligare atqve exterminare facilè possum: qvod qvidem non prudentissimè factum esse, nemo, qvi hunc benè noverit, audebit unqvam affirmare. Neqve enim fieri facilè potest, ut qvi rectas animi rationes semper ab ineunte ætate susceperit, & per omne vitæ suæ tempus nihil aliud, qvàm de virtute atqve honestate cogitârit, qvemadmodum hic Princeps noster perpetuò fecit; is, cùm pervenerit ad maturiorem ætatem, aliqvid aut indecorè, aut parum sapienter efficiat. Qvod si fortè alicujus

Αντίληψις facti boni.

Conjugii usus.

Finis ultimus.

Αντίθεσις.

Refutatio ἀντιθέσεως per ἐργασίαν.

ἀιτιολογία.

συγχώρησις.

etiam probi viri eſt aliqvando non omnia rectè proſpicere, ſed interdum errare, labi, ac decipi, *Ἐπανόρθωσις cum cauſæ redditione.* hujus profectò noſtri Principis non eſt. Qvi jam pridem rerum geſtarum gloria florentiſſimus, & pulcherrimis innixus facinoribus, ſumma diligentiâ & cautione providet, ut omnia digna ſplendore nominis ſui, digna virtute atqve doctrinâ ſuâ, digna deniqve ſapientiâ, qva nihil excellentius inveniri *Comprobatio.* poteſt, exeqvatur. Mirum enim dictu, qva morum integritate, qva fide, qvæ conſtantia, qva gravitate, res ſuas omnes adminiſtret. Qvare ſi nihil aliud *Conclusio.* haberem, qvod adverſariis noſtris & conjugii ſenilis impugnatoribus objicerem, niſi tanti viri, qvantus eſt hic princeps noſter, auctoritatem & conſilium: ſatis ſcio facillimè probaturum, honeſtiſſimum eſſe & maximè laudandum etiam in ſenectute matrimonium. *Propoſitio.* Verùm ſi planè docuero, & luce clarioribus argumentis atqve rationibus evicero, conjugium rem eſſe ſemper honeſtiſſimam & ſanctiſſimam; ætatiqve maturiori non minùs, aut etiam fortaſſè magis accommodatam atqve neceſſariam eſſe conjugem, qvàm juventuti; deſinent, ut *Παράληψις προθέσεως, Ἀξίωσις.* opinor, tandem adverſarii noſtri ea carpere, qvibus nihil præſtantius vel dici, vel fieri poteſt. Sed anteqvam ad ea venio, qvæ propria ſunt hujus cauſæ, videntur mihi qvædam de ipſo matrimonio prius, deinde etiam de hujus Principis noſtri vita ſapientiaqve breviter eſſe perſtringenda. Te qvæſo, Princeps humaniſſime, cum hîc de prudenti iſto conſilio, & exqviſito judicio tuo ſit agendum, ne graveris, hæc verba mea diligenter audire. *1. Argumentũ ab origine matrimonii.* Viri ac mulieris legitimam conjunctionem; qvod matrimonium appellamus, rem eſſe non tantùm naturalem, ſed etiam divinam, nos Sacræ Literæ docent:

cent: qvibus impium esset omninò non credere. Nam in ipso mundi primordio cum jam Deus Opt. Max. cætera omnia procreâsset, deniqve virum etiam ex purissimis terræ medullis effinxit; cujus injucundam prorsus & molestam fore vitam intellexit, nisi sociam ei mulierem adjungeret. Itaqve non amplius è terra sicuti virum fecerat; sed ex ipsius viri costa una, qvem dormienti subtraxerat, primam fœminam confirmavit: ut posteri omnes intelligerent, nihil uxore carius esse debere, qvam de viri corpore produxisset. Qvibus deinde præceptum illud dedisse legitur, ut per conjunctionem filios progignerent, & in multitudinem usqve eò crescerent, ut hominibus terram implerent. Qvin uxorem à marito tantoperè diligi jussit, ut propter eam parentes etiam ipsos derelinqvat. Postea verò ipse qvoqve Christus nostræ salutis & felicitatis auctor, matrimonium suffragio suo magnoperè comprobavit, & cum matre sua, omnium sanctissima fœmina, nuptiis interesse voluit; in qvibus, qvod magnoperè prædicandum esse videatur, prima divinitatis suæ signa atqve indicia edere voluit, cum mirabiliter aqvam in svavissimam vini saporem convertit. Qvid igitur matrimonio sanctius inveniri potest, qvod ipse summus rerum Opifex DEUS instituit? qvid honestius, qvod CHRISTUS admirabilium actionum suarum primitiis consecravit? Qvid autem æqvius, qvàm per filiorum procreationem humanum genus, alioqvi brevi interiturum, propagare, & qvod à majoribus nobis traditum est, id nos nos etiam posteritati tradere? Hac, ut opinor, de causa totius huma-

Qvis autor conjugii?

Finis conjugii.

2. A confirmatione ipsius Christi.

Conclusio per ἐρώτησιν.

3. A Christi Jesu exẽplo. humani generis conservator Christus, tanto matrimonium honore prosecutus est, ut primo de virgine qvidem matre; sed tamen conjugio locata, nasci voluerit; deinde se cum ecclesia sua qvadam matrimonii figura conjunxerit, & seipsum Ecclesiæ sponsum non semel appellârit. *4. Ab allegoria parabolica.* Qvid, qvod æternam illam beatorum animorum vitam nuptiis comparat, & neminem eâ fruiturum apertè denunciat, nisi qvi tanqvam ad nuptias benè cultus & nuptiali veste exornatus accesserit; Et meritò, Qvis enim benè ac beatè vivere, qvis sanctissimas *Ratio 1 à fine* leges observare, qvis à belluino victu sese retrahere posset, nisi legitimæ nuptiæ celebrarentur; Optimè profectò ac sapientissimè fecisse mihi videntur Romanæ Reipub. Censores, Camillus & Posthumius, *2. à Romanorũ exemplo.* homines antiqvæ severitatis atqve prudentiæ: qvi in censendis Romanis civibus, qvoscunqve cælibes ac sine uxore pervenisse ad senectutem intellexerunt, eis pœnam non mediocrem itrogârunt, & illius pœnæ nomine ferre nummos in ætarium jusserunt. *Illustratio à pari.* Qvemadmodum enim nascendi nobis; ita etiam generandi legem natura ipsa præscripsisse videtur; ne, qvod à parentibus accepimus, eo posteros nostros fraudemus. *A pœnis.* Nec minus sapienter mihi Lycurgus instituisse videtur, atqve etiam legibus cavisse, ut, qvi uxorem non ducere decrevissent, ignominiâ vulgò notarentur, & à ludis ac spectaculis publicis arcerentur: hyberno verò tempore nudi per forum ambularent, & seipsos execrarentur, qvod sacrosanctis legibus parere noluissent. *Autoritas Metelli.* Metellus verò Macedonicus, ut ad Romanos redeam, vir sapientissimus & optimus, in censura sua legem tulisse dicitur, ut omnes uxorem ducere cogerentur. Videbat enim homo prudentissimus,

hac

hac sola ratione fieri posse, ut Imperii Romani dignitas amplificaretur, si multitudine civium innixa semper novam prolem sufficeret: neqve senectutem aut aliam ætatem excepit, ut qvicunqve procreandis liberis essent idonei, ii se matrimonio copularent. Jam verò qvanta fuerit apud antiqvos conjugii dignitas ac religio, vel ex eo cognosci facillimè potest, qvòd pœna capitalis adulteris erat constituta. Qvin etiam legibus permissum erat, in adulterio deprehensum, sine judicio trucidare. Apud Hebręos qvi tale flagitium admisisset, lapidibus obruebatur. Sed qvid hæc agimus, qvasi verò non agnoscamus, hanc esse naturæ legem, ad qvam universi homines non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sunt. Nullus enim populus est, nulla gens, nulla natio, qvæ modò naturæ legibus & optimis institutis parere velit, apud qvam matrimonii vinculum non semper fuerit sanctissimum, & cum magna religione celebratum. Cujus tanta vis est, ut non tantùm homines, sed etiam expertes rationis animantes, nuptiali qvodam amore inter se vinciantur. Nam qvod animal ex omnium numero reperitur, qvod non conjunctionis appetitu procreandi causâ trahatur? qvòd non eorum, qvæ procreata sunt, præcipua qvadam curâ teneatur? Columbi suam qvisqve conjugem agnoscunt. Leones in uxorem dicuntur esse mitissimi. Sunt etiam animalia, qvæ per obstantes ignes auxilium ferre proli suæ non vereantur. Qvod si qvis diligentissimè rerum naturam introspiciat, nihil prorsus invenire poterit, in qvo non aliqva conjugii species esse videatur: Ut enim universa prætermittam animalia, qvæ nisi conjugii munere fungantur, nullo modo genus suum conservare possunt, in arboribus etiam generis

Ratio à fine & usu.

A contrario.

Ab honesto.

A more.

A minori.

Per σύγκρισιν hominis cum brutis.

neris discrimen inveriri, probatæ finem fidei tradunt autores: ut plurimæ sint, qvæ nisi prope conjugem habeant, nullum ex se fructum emittere valeant. Qvid, qvòd cœlum ipsum, ut homines sapientissimi tradiderunt, mariti munere qvodammodo fungitur, dum in terras rerum omnium semina, verno præcipuè tempore, dimittit? Unde non sine causa sapientissimi viri poëtæ finxerunt, Etherem, qvem ex Stoicorum sententia rerum parentem omnium potentem appellant, eo tempore sese conjugi suæ terræ commiscere. Qvod eleganter ita Virgilius asserit:

Polus est q. maritus soli.

Declaratio ab effectu.

Vere tument terræ & genitalia semina poscunt:
Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ descendit, & omnes
Magnus alit magno commixtus corpore fœtus.

Hæc autem ea spectant, ut intelligamus, omnia certo matrimonio contineri, sine qvo nihil omnino sub universo cæli ambitu nasci potest. Sed, ut Poëta qvidam ait,

Providit ille maximus mundi parens,
Cum tam rapaces cerneret fati minas:
Ut damna semper sobole repararet nova.

3 A jucundo. Qvid autem de jucunditate svavitateqve conjugii commemorem? Nonnè declarat nobis ipsa veritas atqve ratio, qvàm svave sit eam habere, qvam non minùs qvàm teipsum diligas? cui securè fidas? qva cum animi tui secrata communices? qva cum amabiliter domi tuæ vivas? qvæ tibi in rebus adversis adsit? qvæ assideat? qvæ consoletur? in secundis verò, qvæ felicitatis tuæ particeps sit? qvæ te discedentem piis votis proseqvatur? redeuntem lætissimo vultu recipiat? qvæ deniqve sit officiosa comes juventutis, grata reqvies senectutis? Itaqve plurimi

Comprobatio svavitatis per enumerationem.

plurimi semel amissâ conjuge, qvam amabant, & cujus jucundissimâ consuetudine fruebantur, diutius vivere noluerunt. Qvin etiam in utroqve sexu eorum exempla reperiuntur; qvi pro conjuge vitam profundere non dubitarent. Cujus rei qvid aliud in causa fuisse dicemus, præter qvandam incredibilem conjugii dulcedinem & svavitatem? qvam cùm semel amisissent, injucundam seu potius miseram sibi postea vitam futuram existimabant. M. Plautius cùm uxor ejus Horestilla decessisset, tanti mœroris impatiens, seipsum pugione confodit. Tiberius Grachus sibi potiùs mortem elegit, qvàm uxori Corneliæ Cyanippus Thessalus propter uxorem à canibus interfectam ferro sibi mortem conscivit. M. Antonius Imperator ac Philosophus Faustinam uxorem adeò dilexit, ut mortuæ divinos honores instituerit. Nec minùs ardentis in maritos amoris uxorum exempla repe𝑟iuntur. Panthea cùm audivisset virum suum in bello periisse, arrepto gladio se repentè transfixit. Qvid M. Catonis filia Porcia? qvæ cùm apud Philippos victum & interremptum Brutum virum suum cognovisset, qvia ferrum non dabatur, ardentes ore carbones haurire, atqve ita mori non dubitavit. Qvis Alcestidem Admeti Thessaliæ regis uxorem satis digna laude proseqvi posset, qvam ferunt obitu voluntario, ne vir suus extingveretur, esse consumtam? Verùm qvid ego singularum exempla commemoro, cùm omnes apud Indos fœminas maritum in funere s. qvi morte voluntaria libentissimè solere dicantur? Cùm enim more patrio complures eidem nubere soleant, mortuo marito in certamen judiciumqve

ἀντιθέσις.

Ab effectu.

Demonstratio per exempla.

Memorabile exemplum.

veniunt,

veniunt, qvam ex eis maximè, dum viveret, maritus dilexerit: victrix lætissimum præ se ferens vultum conjugis in rogo ardentis flammæ se superjecit; & cum eo tanqvam beatissima crematur, superatæ cum tristitia & mœrore in vita remanent. Sed qvid exemplis opus est, qvæ penè sunt innumerabilia, cùm liceat experimento matrimonii suavitatem intelligere?

Ἀποδείαξις.

Felices (inqvit Horatius) ter & amplius,
Qvos irrupta tenet copula: nec malis
Divulsus qværimoniis
Suprema citius solvet amor die.

Qvid enim uxoris benevolentiâ, fide, caritate, potest jucundius inveniri? Qvid suavius, qvàm cum ad senectutem usqve maritum uxor, & uxorem maritus amore mutuo proseqvitur? Reliqvos amicos plerunqve mutare consuevimus: uxor ad mortem usqve nos comitatur: & si fieri posset, aut lex pateretur, etiam ipso in funere libenti animo seqveretur. Qvid porrò dulcius, qvàm filios gignere, alere, educare, in qvibus & corporis & animi tui imaginem qvotidie possis intueri: qvos osculari: qvos in sinu tenere: qvorum balbutie, & puerili simplicitate mirificè delecteris? nam si te vel picta, vel ficta corporis imago plurimum oblectat, qvæ propius ad veritatem faciem tuam repræsentet: qvantò magis oblectare filii debent, qvi te non tantùm ore sed etiam animo referant? Nimium durus est, ac ne hominis qvidem nomine dignus, qvi filiorum desiderio non capiatur: qvod si contingat tales habere, qvales, qvis optaverit: qvæ felicitas aut beatitudo major in vita reperiri potest? Sunt enim mares filii qvasi familiarum columen, & qvædam immortalitatis documenta, cùm in eis parentes qvodam-

Cum repetitione jucunditatis per ἐρώτησιν.

Illustratio à simili.

αὔξησις ob utilitatem conjugii.

Filius est q. alter idem.

Ratio.

qvodammodo renasci videantur. Qvare jure optimo beatos vir qvidam sapiens eos appellat, qvi bonos filios procreârint. Hæc nimirum & alia hujus generis plurima, Princeps optime, cùm pro tua singulari prudentia consideràsses, non diutiùs in solitudine vitam agere constituisti: cùm præsertim de priori conjuge, qvàm unicè dilexeras, nullus filius qvasi matrimonii pignus tibi superesset: &, qvi tuus amor est in patriam, majorem in modum cupias aliqvem ex te progenitum post te relinqvere, qvi non solùm cognationem ac gentilitatem tuam propagare valeat: verùm etiam Reip. nostræ, qvod ipse semper maximè studuisti, prodesse possit. Sed illud etiam, cùm secundas nuptias experiri decrevisses diligentissimè providisti, ut eam uxorem haberes, qvæ jam esset perspectæ atqve cognitæ fœcunditatis, qvò facilè possent omnes intelligere, te non voluptatis sed generationis gratiâ ducere uxorem voluisse. Qvamobrem ex omnibus hanc honestissimam & pudicissimam adolescentulam Faustinam elegisti, cujus tibi vita moresqve probatissimi benè cogniti fuerant. Qvæ cum alteri viro non ita pridem nupsisset, filiolum elegantissimum, qvi vivis adhuc & qvantum ex infante puero conjicere possumus, præclaræ indolis est atqve optimæ spei, pepérit. Posteà marito mortuo, duos annos in viduitate ac solitudine continentissimè vixit; ut qvamvis esset admodum adolescens, & facie maximè liberali, præstantiqve venustate, atqve à multis benè qvotidiè procis solicitaretur: nihil tamen de matrimonio cogitaret; verùm ita castè pudiceqve viveret, ut qvicunqve ejus ætatem & pulchritudinem intuerentur, majorem in modum omnes admirarentur. Qvid multa? Nemo erat in hac urbe, qvin ejus

ἀπόδοσις ad præsentem sponsum senem.

A spe sobolis.

Finis secundus contracti matrimonii.

Laus sponsæ.

3. A pluribus bonis.

A viduitate.

A testimonio publico.

honestatem, continentiam; sanctitatem prædicaret, cujus tu virtutibus impulsus, optime Princeps, eam tibi matrimonio conjungere voluisti. Qvamvis enim ipsa filioli amore usqve eo tenetur, ut non amplius nubere statuisset: tamen cognatis & propinqvis suis, eam adhortantibus, ne tantam optimè ducendi occasionem amitteret, obsecuta est. Benè omninò tibi, pudicissima Faustina, bene, inqvam, propinqvi atqve amici consuluerunt, ut ei te viro conjungeres; qvi virtute sapientiaqve non modò eos, qvi hoc tempore sunt, sed etiam antiqvitatis memoriam superavit. Nec profectò præstantissima tua virtus, summaqve & animi, & corporis, & fortunæ ornamenta conjugem alium exposcebant. Sic enim te miramur omnes amabilem, sic venustam, sic omnibus gratiis exornatam: ut non ab hominibus genita, sed â Deis ipsis facta esse videaris. Omninò te fortunatissima sidera, cùm primum in lucem de matris utero prodires, exceperunt, & cœlestibus donis accumularunt. Tibi summam Saturnus intelligentiam & sapientiam elargitus est: Jupiter felices & præclaras actiones: Mars animi constantiam; & honestatis ardorem: Sol acres sensus & splendidas cogitationes: Venus immensam venustatem, & mores vehementer amabiles: Mercurius promptum ingenium, & mirum dicendi leporem atqve elegantiam. Luna fœcundam pudicitiam. Posteà verò te sanctissimi parentes paulatim crescentem ita liberaliter educarunt, tantò studiô, curâ, diligentiâ instituerunt; ut illa, qvæ de cœlo tecum attuleras, bona vehementer amplificata fuerint. Itaqve nemo nostrum est, qvin existimet; antiqvas illas, omnium sermone celebratas heroinas, omni genere virtutis à te superatas.

ὑποφορά. *Ἀνθυποφορά.* *Votum pro bono facto & fausto.* *Ratio.* *Hyperbole.* *Horoscopus faustus.* *Illustratio Astrologica.* *Ab educatione.*

Ut

Ut nihil interim dicam de iſta tua, qvam omnes ſuſpiciunt, eximiâ pulchritudine, de partium totius corporis admirabili convenientiâ, de nativi coloris ſvavitate, de ſideriis oculis, de hilari fronte, de roſeis genis, de malis purpureis, de coralinis labris, de collo eburneo, de lato modiceq; tumeſcente pectore: de ſumma, qvam ex toto corpore ſpiras, venuſtate: qvæ ſingula non humanam, ſed divinam potiùs undiqve referunt dignitatem. Itaq; cum Virgilio jam mihi libet exclamare.

A forma corporis per præteritionem.

——— ——— Qvæ te tam læta tulerunt
Secula? qvi tanti talem genuere parentes?

De te, mihi crede Fauſtina, nulla unqvam poſteritas conticeſcet, unam te præter cæteras poſterorum fama prædicabit,

Semper honos nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

Qvam felicem ergò te Princeps optime, nunc appellem? cui proſpera qvadam fortunâ, vel divino potius munere conceſſum fuit, ut tam ſpectatam fœminam, tam nobilem, tantâ dignitate, tot virtutibus exornatam, tibi certo & ſtabili matrimonio conjungeres. Sed me hercule non aliam præſtantiſſima virtus ac dignitas tua conjugem poſtulabat. Sentio, Patres Con. qvantus orationi meæ ſeſe campus aperiat ſi in hujus Principis noſtri laudes ingredi voluero. Sed vereor, ne tenuitas ingenii mei medio in curſu deficiat. Audendum tamen eſt, & magno ac fidenti animo, qvod incepimus, obeundum. Nam, ut ait Poëta qvidam, ſi deficiant vires, audacia certè

Ἐκφώνησις eventu læto. Ratio.

Παράληψις

Ἐπανόρθωσις

Laus erit: in magnis & voluiſſe ſat eſt.

Cùm præſertim non mihi propoſitum ſit, encomium aliqvod omnium laudum Principis hujus noſtri recitare:

Μειζ. encomium sponsi.

citare: qvod non meæ facultatis, sed summi potiùs oratoris eloqventiæ proprium opus est. Verùm cum ad ea, qvæ mihi probanda proposui, hujus sapientia benè perspecta & cognita magno mihi futura sit adjumento; conabor eam, si minùs explicare planè potero, saltem qvasi digito demonstrare qvamobrem ea, qvæ licet amplam afferre laudem solent; tamen ab industria nostra non proveniunt sed vel à fortuna vel à natura donantur, prætermittam.

Præteritio à prosapia.

Nihil de clarissimo Saccorum genere, qvo nullum est in hac civitate nobilius: nihil de præstantissimis viris, qvi in hac familia, & in bello, & in pace magnoperè floruerunt, in præsentia dicam.

Ab educatione.

Neqve sane commemorabo, qvantâ cura ac diligentiâ fuerit hic Princeps noster ab incunabilis semper educatus: ut omnes dignas libero homine disciplinas ab ista statim pueritia maximo studio atqve industria perceperit: ut ab ineunte ætate semper ita se gesserit, ut nihil ei gratum esset, qvod non idem esset honestissimum; ut non solùm æqvalibus suis antecelleret, verum etiam natu majores faciiè superaret.

Ab eruditione & Jurisperitia.

Non dicam, qvàm brevi tempore qvantam Juris civilis cognitionem assecutus sit; ut dum esset admodum juvenis, vel potius adolescentulus illius excellentissimi Jurisconsulti Jasonis Maini, si qvando ille vel ægrotaret; vel aliis in rebus occupatus esset, partes publicè docendi susciperet, & auditoribus universis vehementissimè probaretur.

A reb. præclarè gestis.

Prætereo res gestas ab hoc plurimas & immortales, honores, magistratus, dignitates, qvibus semper maximè floruit.

A fortunæ bonis.

Taceo qvemadmodum fortunæ commoda, qvæ semper huic videtur afflâsse benignius, ad virtutem & honestatem omnia tradu-xerit. Ab eo potissimùm tempore mihi incipi-

endum

endum esse constitui, qvo civitatis nostræ gubernacula primùm tenere cœpit. Cùm enim à Maximiano Sfortia Duce nostro, ob immensam virtutis & scientiæ famam in vestrum hunc ordinem cooptatus fuisset, ea statim ingenii, prudentiæ, gravitatis suæ documenta dedit, ut à vobis omnibus, & ab iis, qvi tempore illo vivebant, dignus habitus fuerit, cui maxima qvæqve negotia committerentur: ut si qva esset obeunda de gravissimis rebus, & ad Reip. summam pertinentibus legatio huic uni demandaretur. Nam qvid ea legatione mirabilius, qvâ nobis Helvetios periculosissimo Reip. tempore conciliavit? Cum enim Francorum Rex Franciscus in Italiam contra nos bellum gesturus adventaret, & ingentibus præmiis atqve muneribus Helvetios, ut qviescerent, nec Maximiano Duci nostro subsidium ferrent, solicitaret; hic ad eos legatus missus, qvamvis neq; aurum, neqve argentum secum attulisset; tamen tanto est dicendi artificio, tanta eloqventiæ vi, ut non aliter atqve olim Thebanum populum, jam Philippo Macedonum regi deditum; Demosthenes in Atheniensium partes orationis gravitate pertraxit; ita noster hic Princeps Helvetios spernere Francorum regis ingentes pecunias, & sine stipendio cum numeroso exercitu venire, nostræqve civitati auxilium ferre compulerit. Jam verò magnum illud ac memorabile factum à me sileri nullo modo potest, qvod cùm Franciscus Sfortia secundus Mediolani in arce Jovis obsidione premeretur, neqve ullum amplius commeatum aut annonam haberet, & jam omnia, qvibus vesci possent, absumpta penitus fuissent; id qvod etiam hostes intelligebant, cùm ducenti ferè milites fame coacti, deceptis custodibus ad eas trans-

A Senatorii muneris functione.

A legationis provincia.

In negotio bellico expediundo.

A facundia per collationem.

Comprobatio ab alia legatione.

fugissent: hic noster eo tempore legatus à Sfortia missus ad hostilis exercitus imperatores munitiones omnes & castella, qvæ essent in ipsius Sfortiæ potestate, dederentur; tantâ usus est prudentiâ, tanto consilio, tam fideli operâ, ut hostes honestis conditionibus Sfortiam cum toto exercitu atqve suis rebus, & suorum omnium dimitterent: & Cremonensem arcem, qvæ ex mandato Sfortiæ, hostibus tradebatur, hujus virtuti sapientiæqve concederent. Qvæ qvidem arx, si, ut erat constitutum, hostibus dedita fuisset, nunqvam posteà Sfortia suum imperium recuperare potuisset. Hæc enim causa postea fuit, ut & Cremona ipsa, & magna imperii pars iterum in Sfortiæ potestatem deveniret. Nam cùm in Italiam Cæsar advenisset, & à Sfortia Cremonam obtineri intelligeret; facilè adductus est ut ei totam hanc diœcesin, atqve arcem etiam Mediolanensem restitueret: qvæ tamen restitutio non sine maxima hujus opera facta est, qvi Sfortiæ jussu ad Cæsarem cum amplissimis mandatis profectus est. Qvid commemorem, qvanta fuerit in hoc animi magnitudo, qvanta virtus, qvanta constantia, qvo tempore Dux Brunsuichus cum ingenti exercitu ad Laudem Pompejam oppugnandam cum Antonio Leva se contulit? Cùm enim eam urbem tormentis, vineis, aggeribus vehementer premerent, & jam permagna murorum pars diruta ac prostrata esset; hic, qvi præclarè intelligebat, si urbs illa expugnata fuisset, actum esse de Sfortiæ imperio, præstanti suâ alacritate animi, singulariqve dicendi facultate, ita milites animavit, ut hostes in prima statim oppugnatione repulsi ac profligati deserere obsidionem coacti fuerint. Itaqve vere possumus dicere, Princeps optime, te primò vitam

A solertia & dexteritate.

Confirmatio à felici eventu.

Commemoratio aliarum virtutum.

A fortitudine bellica.

A tutelâ castellorum.

Fran-

Francisco Sfortiæ reddidisse, cùm eum ab obsidio-
ne liberâsti: deinde imperium ei restituisse, cum
Cremonensem arcem reservasti: postremò restitu-
tum confirmâsse cum Laudem Pompejam ab ho-
stium penè faucibus eripuisti. Qvin etiam nos ci-
ves omnes tibi fortunas, aras, focos, vitam ipsam
debemus. Nam nisi per hæc tempora tu civitati
nostræ præfuisses, hodie Rempubl. nullam habere-
mus. Qvis enim ignorat studium & solicitudinem
tuam in providendo, ne qvid unqvam Resp. detri-
menti pateretur? Cùm Martio furore prostrata
jacerent omnia: cùm ingens & miseranda calami-
tas civitatem hanc oppressisset, cùm jam omnes de
salute desperarent; tu tanqvam aliqvis de cœlo de-
lapsus Deus, omnia summâ prudentiâ tua restitu-
isti: tu vastitatem ab agris, direptionem & incen-
dium à civitate sæpissimè repulisti. Proh Dii im-
mortales, qvis non adhuc obstupescit, qvi tempo-
ris illius r cordetur, cùm Franciscus Sfortia secun-
dus se Cremonnæ contineret, & Mediolanum atqve
adeò total nsubrum regio ferro belloqve misceretur,
latrociniis, cædibus, incendiis vastaretur; ut omni-
nò nullum unqvam exitum res videretur habitu-
ra, cùm inter se omnes dissentirent; factiones dis-
sidia, contentiones qvotidiè augerentur! Qvàm
brevi tempore, Dii boni, tuus adventus omnia tran-
qvillavit? Qvis non majorem in modum admira-
tus est illam tam repentinam mutationem? Qvàm
magnum fuit, animos jampridem seditionibus ac
discordiis irritatos, tam facilè mitigare, ut pro
summâ dissensione, mira concordia; pro maximo
tumultu, tranqvillitas immensa nobis illicò red-
deretur? Sed nimirum illud severitatis ac
justitiæ tuæ fuit, qvi statim, qvæ curari

A salute patriæ publica.

Ratio.

Per exempla præstitæ & recuperatæ pacis.

Ἐκφώνησις.

A reconciliatione.

Per θαυμασμόν.

Ab æqvitate.

non poterant, vulnera recidisti; clementiæ verò qvi jam debilitatis ac fractis civium animis salutarem medicinam adhibuisti. Age verò qvis illius temporis admirabilem prudentiam & vigilantiam tuam non summè prædicandum esse censeat? qvo Hispani in Taurinis à Cæsare defecerunt, & ad urbem nostram oppugnandam studio inflammato rapiebantur: cùm omnes statim cives, maximo terrore perculsi, de urbe relinqvenda cogitarent: cùm omnia tumultu plena viderentur: cùm nullus omninò mœnia defendere, aut resistere hostibus auderet: & jam plurimi, collectis sarcinis, cum liberis & conjugibus suis fugam capesserent; alii consiliorum expertes, nullam salutis spem haberent: omnia deniqve metu, trepitatione, tristitia, luctu miscerentur: cùm nullus esset in urbe exercitus, nullum præsidium, nullus in propinqvis locis miles: proh Deum hominumqve fidem, qvo tu consilio, qva sapientia, qva assiduitate derepentè tanto periculo restitisti! uunqvam mehercule tantum in opprimenda Catilinæ conjuratione Ciceronem invigilasse crediderim. Qvàm enim subitò justum penè exercitum ex voluntariis civibus adhortatione tua collegisti? Qvàm repentè præsidiis rebusqve omnibus necessariis urbem confirmâsti? Qvàm mirum simul & gratum fuit omnibus spectaculum, cùm undiqve copias tua sedulitate coactas viderent, ad urbis nostræ propugnationem ex insperato confluere? Qvin etiam illi ipsi Hispani qvi prius cœlum ipsum armis territare videbantur, jam de salute sua solliciti majorem in modum timere cœperunt, & qvi paulò ante cœde & incendiis miscere omnia cœperant, mox sese castris & vallis muniverunt. Qvòd nisi statim eos defectioni

A prudentia in statu rerũ perturbato.

A peritia militari.

Ἀντίθεσις à mutato hostium animo.

nis suæ pœnituisset, & veniam petentes iterum in Cæsaris verba jurâssent; nemini dubium fuit, qvin tibi meritas temeritatis suæ pœnas daturi fuissent. Verùm ut in superbos & insolentes severus; ita in subjectos & supplices clemens semper esse voluisti. Qvare non immerito te uno ore Patrem patriæ cives omnes appellare solent: tibi se, fortunas suas, conjuges, liberos, vitam deniqve ipsam debere putant. Qvot preces, qvot supplicationes in templis Deorum immortalium, & in privatis domibus qvotidiè fiunt, ut tibi Deus longissimam, & curis ac molestiis carentem concedat senectutem? Cupiunt homines nostri te, si fieri posset, immortalem habere. Rarum est ab omni ordine Senatus Principem sic amari: sed rarior est tam spectatæ virtutis Princeps. Qvid populi voluntate mobilius? Qvi fluctus, aut Euripus, vulgi sententia mutabilior? Idem tamen populus te constantissimè diligit; & cùm in cæteris rebus facillimè & levissimè moveatur: in te tamen amando mirificè perseverat; ut hac in re naturam suam immutasse qvodammodo videri possit. Cujus sanè rei nihil aliud in causa est, præter admirabilem ac penè divinam sapientiam unam. Qvid vos, P.C. qvantoperè virtutum hujus splendore gaudetis, qvi vestro ordini, uni omnium gravissimo ac sanctissimo, ex optimi cujusqve voluntate sententiaqve præsidet? Qvàm enim alta mente, qvàm divino consilio præditum eum esse oportet, qvi huic præstantissimo Senatui vestro Mediolanensi præesse dignus habeatur? Qvo qvid in orbe terrarum fuit unqvam aut justius, aut incorruptius? Sed hoc mihi non sumo, P.C. ut vestras dicendo laudes me conseqvi posse existimem. Itaq; cùm eas verbis explicare neqveam; saltem, qvod omnes

A clementia principe digna.

Votum pro Magistratu bono.

Publicus populi applausus.

A procerum suffragio.

Digressio in laudes totius senatus.

omnes faciunt, etiam atqve etiam admirabor. Nam qvæ regio in terris invenire potest, qvò non prudentiæ, sanctitatis, auctoritatis vestræ fama pervaserit? Qvis non judiciorum vestrorum & sententiarum incorruptam severitatem vehementissimè demiratus? qvam non propinqvitatis vinculum, non necessitudinum conjunctio, non amicitiarum consuetudo, non munerum corruptela, non terrores aut minæ principum, non deniqve, qvod ait Poëta, si fractus illabatur orbis, possit à recto dimovere. Ac mihi qvidem cum in istum religiosissimum & sanctissimum ordinem vestrum mentis oculos animumqve conjicio, repentè venit in mentem recordari, non centum illos Romanorum senatores, qvos urbis pater Romulus primum instituisse dicitur, non Amphictyonum conventum, non Areopagitarum consessum, sed illius Platonicæ civitatis imaginem qvandam intueri mihi videor, qvam cum ille divinus philosophus neqve esse suo tempore videret, neqve futuram unqvam speraret: cogitatione tantùm & ratione conformavit: atqve ita, ut de hac Republ. nostrâ divinâsse videri possit. Cùm enim hæc civitas & agrorum ubertate, & artificum scientia, multitudine earum rerum, qvæ exportantur, & omnium deniqve rerum copiâ facilè reliqvis civitatibus antecellat; sic justitia & æqvitate vestra gubernatur, sic incredibili sapientiâ regitur, sic admirabili prudentiâ temperatur; ut nusqvam judiciorum trutinâ justitior, nusqvam virtutum remuneratio major, nusqvam scelerum pœna severior. Qvo consilio, Dii boni, qva solertiâ cuncta prospicitis! ut civium salutem utilitati vestræ proponere soletis! ut nullum est apud vos personarum discrimen,

Judicii descriptio.

Αὔξησις per collationem.

Idea Platonica.

Reqvisita Reipublicæ.

Publica salus suprema Lex

qvò

qvo paupertimus qvisqve, perinde ac ditissimus, jus suum facillimè conseqvatur! Qvid? illud inter cætera vestra penè innumerabilia præclara facinora qvantoperè laudandum est? qvod pacatissimam civitatem nostram vestrâ diligentia conservatis, ut nullæ sint inter cives discordiæ, nullæ seditiones; sed ubiqve pax, ubiqve concordia. Nullus unqvam pater tantoperè filios suos dilexisse videtur, qvanto vos amore, P. C. totam hanc Rempubl. amplectimini. O felix ac fortunata Mediolanensis civitas, si tibi præsenti statu uti qvam diutissimè licuerit! Sed nulla vis est ingenii, nulla dicendi facultas, nulla orationis copia, qvæ vestrum hunc Ordinem satis digne laudare posse videatur. Qvare qvantus tandem ille putandus est, qvi principem inter eos locum obtinet, atqve illis præest, qvibus nulli unqvam post hominum memoriam fuerunt in omni genere virtutum excellentiores? Qvod benè mihi videtur intellexisse Carolus Qvintus Imperator invictissimus, qvo tempore Franciscus Sfortia secundus morte peremptus est. Cùm enim hæc provincia nostra post Sfortiæ mortem ex fœdere in ejus ditionem devenisset, neqve ulli dubium esset, qvin tantus Imperator qvam plurimos homines excellentissimos secum haberet, nullum tamen ab ordine isto senatorio penitus amovit, nullum addidit. Tam gravem enim patrum consensum, tam sapientem integerrimorum hominum cœtum, tam rectis consiliis & rationibus omnia tuentem, detrahendo aut addendo perturbare sibi nefas esse duxit. Itaqve cùm primum de Sfortiæ morte nuncium accepisset, statim ad hunc ordinem vestrum amantissimè scriptas literas misit, qvibus omnes honores, magistratus, dignitates, qvibus ornatus unusqvisqve vestrû erat, decreto

Προσωποληψία Publica pax.

ἐκφώνησις cum voto pio

Παράληψις.

ἀπόδοσις ad principem Senatum.

Comprobatio per exemplum à facto præclaro.

Narratio facti Caroli V. Cæsaris.

Senatus integritas conservata.

suo

qvo confirmarentur, & qvibus totius civitatis administrationem, & Reip. gubernacula vobis committeret. Qvin etiam vos parentes optimos appellant, vobis se, tanqvam filium, suaqve omnia commendavit. Qvid hoc tam maximi Imperatoris facto judicioqve de vobis magnificentius aut præclarius accidere potuisset? qvid gloriosius ad hominum memoriam sempiternam? Ostendit enim eo tempore Cæsar apertissimè neminem ex intimis & familiarissimis suis habere se, cui magis uni, qvàm vobis omnibus confideret: cùm de fide vestra nihil omninò dubitans, tanti imperii jurisdictionem potestatemq; modò ad se devolutam, vobis tanto cum honore gloriaqve demandârit. Nam in ipso Sfortiæ funere, qvis non obstupuit, nullum omninò tumultum, nullum strepitum, nullam mutationem animorum extitisse? nihil innovatum, nihil motum fuisse tanqvam si privatus aliqvis civis, & non tantus princeps occubuisset. Memini, cùm mihi senex qvidam, omnis antiqvitatis peritissimus homo, diceret, se nunqvam audivisse neq; legisse, mutationem imperii tranqvilliorem accidisse. Qvia etiam cives ipsi nullum in civitate motum fieri summoperè mirabantur: nullus tamen erat, qvin illud summè prudentiæ vestræ. P. C. atq; hujus vestri Principis auctoritati tribuendum esse existimaret. Jam illud qvamvis notissimum sit, tamen à me in dicendo prætereundum non est, ab hoc nostro Principe laborem & vigilantiam tantoperè diligi, ut antelucano tempore qvotidiè de lecto surgat; & jam ita Senatores omnes assuefecerit, ut non modò sine difficultate; sed etiam libenter in senatum primo diluculo veniant. Hoc enim & bonæ valetudine conducere, & rebus agendis aptissimum esse,

Ratio facti ob senilitatẽ & dexteritatem senatus.

Pacis studiũ mirum & rarum.

Ab Historia.

Argumentũ à vigilantia & industria.

præclarè

præclarè intelligunt. Qvò fit ut maxima clientum commoditate atqve utilitate, semper negotia benè mane, qvæ curanda sunt expediantur. O si mihi videre aut interesse liceret, cùm tu, sapientissime Princeps, in Senatorum consensu prudentissima consilia tua declaras! qvàm admirabiles & altissima ista mente tua dignas afferre laudes possem? Qvæ tamen non ab ipsis senatoribus silentio prætereuntur, qvi nunqvam prædicare desistunt, qvàm prudenter, acutè, dilucidè causas omnes explices: qvàm patienter aliorum sententias audias: qvàm amicè, qvæ non satis apposité videntur esse dicta, refutes: qvàm humaniter, si qva prætermissa sunt, in memoriam reducas: qvàm subtiliter de rebus dubiis differas: qvàm multa memoriter, qvam obscura splendidè proferas: ut semper aliqva sapientissimorum hominum exempla de simili re, qvæ tum agatur, in promptu habeas. Neqꝫ enim qvisqvam omnis antiqvitatis te peritior invenitur. Nam in Juris civilis scientia tantum excellis, ut etiam ipsi primarii Jurisconsulti summoperè demirentur, qva ratione fieri possit, ut homo ista ætate, tot ac tantis occupationibus impeditus, non solùm qvicqvid ipsi legum auctores; verùm etiam qvid eorum interpres dixerint, promptè & paratè respondeas: & sæpissimè ingenii tui acumine, ratione aliqva divinitus inventa, res difficillimas, & obscurissimas, qvæ nullo pacto explicari posse viderentur facillimè declares. Jamverò si qvis exponere velit, qvibus institutis & moribus totam domum ac familiam tuam instructam esse cures, qva sanctitate domi tuæ vivatur, qva diligentia res tuæ familiares administrentur: an non hic esset lætissimus dicendi campus? Possem hoc loco libera-

Εὐχὴ atq; votum rhetoris. Principis officium.

Anaphora.

A Juris & legum peritia.

A pietate & morum elegantia.

Præcisio.

A liberalitate per præteritionem. ralitatem & munificentiam tuam commemorare, qvam multi qvotidiè mortales experiuntur. Possem explicare, qvàm faciles ad te privatorum aditus pateant, qvàm mansuetè & humaniter omnium *Ab humanitate & comitate.* qverimonias audias. Possem animi tui magnitudinem extollere, qvam neqve labores ulli, neqve pericula possunt infringere, neqve secundæ res efferre, *A magnitudine animi.* neqve adversæ deprimere. Possem incredibilem temperantiam tuam, fidem, innocentiam, cæterasq; *A temperantia.* plurimas virtutes, qvibus mirabiliter excellis, verissimum prædicare. Sed vereor, ne fortassè mode *Et ab omni Virtutum genere.* stissimum istum animum tuum offendam. Cùm enim in omni virtutis genere præstantia tua tanta sit, ut eam nulla dicendi facultas asseqvi posse videatur; tamen etiam ea in te modestia est, ut verissimas laudes tuas invitissimis auribus excipias. Illud enim Christianum documentum altiùs animo tuo videtur insedisse, qvo præcipitur, ut qvo *Præcisio.* qvisqve major est, eò se summissiùs gerat. Itaqve ne patientissimas aures tuas diutiùs offendam, totam hanc orationem meam de laudibus tuis amputa *Transitio ad refutationem eorum, qvi nolunt uxorem seni ducendam esse.* bo: atqve ad illud, qvo initio pollicitus sum; jam aggrediar. Cùm enim nonnullos esse intelligerem qvi senile matrimonium improbarent; dixi me facturum, ut ostenderem; natu grandioribus hominibus non minùs qvàm juvenibus, aptam & necessariam esse conjugem. Sed jam isti adversarii *Ab honestate & conjugii dignitate.* nostri, qvi conjugium in sene vituperant, duobus gravissimis præjudiciis devicti atqve prostrati sunt qvoniam & matrimonium semper honestissimum esse demonstratum est: & tu, sapientissime atqve optime Princeps, istâ ætate lectissimam hanc fœminam uxorem ducere voluisti. Velim igitur ad essent isti matrimonii senilis improbatores: liber

te

ter enim eos interrogarem; cùm in sene conjugium non probent, utrum rem ipsam, an personam, an utramqve simul vituperent? Qvid ad hanc petitionem meam estis, responsuri? Si rem non placere dixeritis, hoc est, si matrimonium improbatis jam vos devictos esse confiteamini necesse est. Qvippe cum honestissimum & sanctissimum esse matrimonium ostenderimus; qvod primum à DEO sit institutum; deinde sacris & profanis legibus approbatum, tùm à majoribus nostris inter septem Ecclesiæ Sacramenta connumeratum. Si personam, hoc est, senes vituperatis, primum hoc nihil ad conjugium: deinde videte, ne parum sapienter istud efficiatis, ut eam damnetis ætatem, cujus propria sit auctoritas & sapientia, cujus consilio ac prudentiâ benè res omnes administrentur, qvam omnes asseqvi desiderant, à qva, gravissimum omnium ordinem, senatum majores nostri appellatum esse voluerunt. Qvod si neqve matrimonium separatim audetis, neqve senectutem improbare, qvænam erit ista vestra dementia, ut utrumqve simul impugnetis? Benè habet. Jacta sunt optima nostræ defensionis fundamenta. Non enim vereor, ne, qvod honestissimum sit minùs in homine sene, qvàm in juvene deceat. An non sentitis, qvam in scopulosum locū temeritate vestra vos præcipites dederitis? Nam si laudabile & honestum est matrimonium, ut ipsi dicitis: cur senes homines ab eo, qvod honestum est ac laudabile, revocatis? An juvenes decet, qvæ sunt honesta, seqvi: senes non decet? Qvid absurdius dici aut excogitari potest? Hæc, opinor, erit vestra conclusio: cùm matrimonium apud Christianos maximum sit Sacramẽtum, & res sanctissima atqve optima: non convenit, ut senes homines, prudentia atqve sapientiâ longè

Expostulatio cum adversariis.

A sanctitate matrimonii.

A senilis ætatis gravitate & prudentia.

Per deductionem ad absurdum.

cæteris

cæteris antecellentes, illud amplectantur. Qvid hac oratione fieri potest ineptius aut puerilius? Profectò jam ipsi videtis, hoc esse levissimum. At parum decorum est, senem hominem cum adolescentula matrimonio conjungi. Cum qvo tandem hæc homines imperitissimi disputant? Nempe cum eo, qvi gravissimorum & sapientissimorum hominum, & veterum & recentiorum exempla penè infinita proferre possit, qvi senes admodum. & penè decrepiti puellas in uxores duxerint. Sed ne longior sim, qvàm oporteat, duo tantùm duorum sanctissimorum hominum exempla proferam: alterum ex vetustioribus divinis literis: alterum ex recentioribus: qvibus luce clarius appareat, senile matrimonium non tantum à sapientissimis hominibus; sed etiam ab immortali DEO fuisse comprobatum. Qvæ duo tam egregia sunt, ut omninò sufficiant ad istorum improbitatem refellendam. Qvis enim post homines natos Abrahamo sapientior, justior, temperantior fuit, aut esse debuit? qvis DEO gratior? qvis omni laude florentior; Hic tamen post obitum Saræ conjugis, qvàm unicè dilexerat, ex qva penè crepita, DEI beneficio atqve munere, filium Isaacum susceperat: cum jam senio ferè confectus esset, qvippe qvi centum & qvadraginta annos expleverat, elegantem puellam, qvæ Cethura vocabatur, uxorem duxit, ex qva tamen qvinqve mares liberos, ut attestantur sacræ literæ procrevit. Qvid de Josepho Mariæ Virginis marito, Christiqve nutritio multa commemorem? Cujus integerrimam vitam, sanctissimos mores, cum ipse DEUS approbasset, aperto suo testimonio dignum esse censuit, cui unigenæ Filii sui mater, qvam ab omni æternitate delegerat, matrimonio jungeretur;

Ἔνστασις per exemplum.

Solutio instantiæ.

Senes denuò sponsi. Abraham & Sara.

Josephus Mariæ desponsatus.

vetur; qvo tempore jam longe natu grandior, ac penè decrepitus eſſet. Qvo facto, qvamvis corporum conjunctio ſecuta non fuerit, nihilominus tamen apparet, maximè probandum eſſe ſenile conjugium; immo verò præter cætera ſummoperè celebrandum: cùm unicus ille Dei Filius rerum omnium auctor & moderator Chriſtus ex ea virgine nasci voluerit; qvæ cum homine admodum ſene matrimonii ſacramento fuiſſet antea copulata. Qvam igitur malevoli animi, qvamqve improbi eſt, id improbare, qvod non tantùm ſanctiſſimi viri, ſed etiam Deus ipſe ſtatuit honeſtiſſimum & præſtantiſſimum eſſe? Sed inutile eſt ac minimè neceſſarium ſenile matrimonium. Hic mihi venit in mentem affirmare, qvod initiò dixeram; in ſenectute magis neceſſariam eſſe conjugem, qvàm in juventute. Nam qvod tempus vitæ, qvæ ætas officio curaqve magis indiget, qvàm ſenectus? qvod autem fidelius atqve gratius officium, qvàm qvod à fideliſſima & gratiſſima conjuge præſtari ſolet? Qvamvis enim aliqvis plurimos ſervos & adminiſtros habeat, qvi diligenter aſſideant, qvi vel nutu ſolo domini voluntatem intelligant, qvi, qvod ajunt, ad digiti crepitum obediant: hæc tamen omnia me herculè cum una gratæ uxoris collocutione minimè ſunt conferenda. Hæc cum ſumma & admirabili pietate ſemper aſſiſtit: hæc diligentiſſimè & accuratiſſimè, qvæ neceſſaria ſunt in domo, præparat: hæc qvid cupias, cujus rei indigeas, ſtatim intelligit; hæc ſi doleas, vultu mœrorem præ ſe fert, & gratâ ſedulitate ſuam erga te fidem & amorem oſtendit; ſi melius habeas, & aliqvanto fias hilarior, illam confeſtim recreari lætioremqve fieri videbis; deniqve lætitiæ, mœroris, ſpei, timoris, omnium affe-

Concluſio primæ refutationis.

Objectio altera ab inutili.

Rejectio per oſtenſionem contrarii.

Utilitas conjugii & conjugum fidelitas & mutua officia.

Uxoris bonæ dotes in ſtatu læto.

ctionum tuarum in ea semper expressa vestigia conspicies. Age verò, qvid in morbo gratius atqve utilius est, qvàm eam habere, qvæ morbi tui qvodammodo particeps esse videatur? qvæ te nunqvam deserat? qvæ cum amore non fucato, sed puro ac sincero tibi serviat? qvæ solicita circa lectum assiduè versetur, & qvicqvid opus est, ocyssimè præparat? Eqvidem doctissimi viri Minucii Calvi necessarii mei sententiam summoperè laudo; qvi, cùm eum graviter decumbentem, magnoqve morbo implicitum sæpiùs invisam, solet interdum mihi dicere: cùm primum sibi meliusculè factum esse senserit, se decrevisse uxorem ducere. Nullum enim ait esse vitæ tempus, qvo magis virò sit uxor necessaria, qvàm in senectute: propterea qvod ætas illa plerumqve debilior atq; infirmior sit; qvo fit, ut auxilio & societete magis indigeat; neqve ullam fideliorem conjunctionem inveniri posse; qvàm uxoris & mariti, qvorum alter pro altero, si sit opus, vitam profundere sit paratus. Qvod enim inqvit, majus esse potest in senectute solatium, cùm ætate aut morbo premeris; qvàm sociam uxorem habere, qva cum ea proferre possis, qvæ sæpenumero cum aliis proferre pudor vetat? cui totò vitam tuam committas? cujus studium & industriam erga te singularem plurimùm adames? cui rerum omnium tuarum curam sine ulla perfidiæ dubitatione tribuas? cujus diligentia tu securus in utramqve, qvod ajunt, aurem qviete dormias? Servorum enim genus, inqvit, infidum & barbarum esse non ignoras, & plerumqve scelestum, atqve ab omni pietate prorsus alienum: ut non immeritò dictum sit; Qvot servos habemus, totidem nos hostes habere. Qvamvis enim in ministrando nonnulli paulò diligentiores

In statu tristi & morboso.

Declaratio ab exemplo.

Ratio, cur seni conjux expetenda.

Collatio conjugis cum servis.

Ἀντίθεσις à contrario.

esse

esse videantur; tamen si qvis oculos posset in eorum pectus inserere, videret ibi maximam animi malitiam, ingens in dominos odium, incredibilem rerum omnium negligentiam: videret eorum animum perniciem domini perpetuò molientem, ejusdem calamitatibus & miseriis gaudentem, qvamvis tristitiam vultu præ se ferre videantur. Deniqve, ut qvod res est, breviter dicam, nihil à servis amanter, nihil officosè, nihil ex animo perficitur, Horum igitur ministerio si qvis uxoris fidelitatem & caritatem comparet, nonne stultissimus esse videatur? Qvanta enim benevolentia, qvo amore, qva fide, maritum suum uxor optima proseqvitur? qvàm clarè & apertè sincerum animum suum, atq; ab omni simulatione penitùs alienum ostendit? Qvantum in adversis rebus est uxoris solicitudo grata? qvantum in prosperis jucunda lætitia? Sed hæc non curat juvenis, imò neqve videt; qvi ætatis fervore, qvasi extra se positus, nihil aliud ab uxore præter voluptatem petit, neq; putat aliud in matrimonio boni esse præter conjungendorum corporum libidinem. Et qvisqvam dubitabit, cùm hæc intelligat, qvin uxor seni magis necessaria sit qvàm juveni? cùm hic ab uxore salutem, ille tantùm voluptatem expectat: hunc uxor conservet, illum oblectet: hic animi constantiam ac fidem, ille corporis gratiam & venustatem intueatur: hic, ut habeat, qvæ sibi fidelissimè necessaria subministret, ille, qvæ cupiditatem expleat, uxorem adsciscat. Hæc & hujusmodi verba plurima cùm vir ille prudentissimus me præsente dixisset, audacius etiam hanc causam Princeps optime, suscepi: majorem enim in modum confirmantur nostra consilia, cùm à sapientissimis hominibus ea probari videmus, Sed, ajunt adversarii, senem

Ostensio studiorum bona conjugis.

Seni, qvàm juveni alium ob usum uxor ducitur.

Usus declamatio per antithesin.

Objectio tertia ab inconveniente. illum, cui Reipubl. cura commissa sit, non posse simul & uxori inservire, & rectè Rempubl. administrare. Qvo nullum videntur firmius argumentum contra senile conjugium habere. Sed hoc qvàm firmum sit, jam liqvidò constabit. Nam ipsi profectò vident, qvantum senum multitudinem hac oratione suâ non comprehendant; cùm penè sint innumerabiles, qvi Remp. nunqvam attingerut: ut istorum concessu, qvi remoti sunt ab administratione Reip. senes possint uxorem ducere, neqve id istis improbandum esse videatur. Verùm cur etiam juvenibus, qvi publica negotia tractant, uxorem non adimitis? Cur enim magis seni, qvàm juveni Remp. capessenti conjunx est impedimento? Qvin illud etiam vos interrogo, si junctus matrimonio senex ad Rempubl. accesserit, sitne uxor ei repudianda? Si hoc affirmare volueritis, vos hæreticæ pravitatis accusare non dubitabo: qvi contra sanctissimas leges & Christiana decreta sentiatis; qvæ mulierem eam, qvæ semel in viri manum convenerit, repudiari nefas esse statuunt: qvod si non est repudianda, cur igitur non liceat Reipublicæ administratori uxori se conjungere? qvàm si habeat; sacrosanctæ vetant leges dimittere: nulla verò lex ducere prohibet. Sed qvid uxor impedit, qvò minùs rectè Respublica administretur? Qvin potius contra si qvis diligentius advertat, facilè intelliget fidelem uxorem non modò nulli esse impedimento, sed etiam senatori maximo esse adjumento: qvæ dum foris maritus negotia tractat; & curiam ac forum freqventat; ipsa domi rei familiaris curam suscipiat, & provideat; qvæ ad vitæ cultum sint necessaria. Neqve enim ferè fieri potest, ut ea domus rectè gubernetur, qvæ prudentis mulieris sedulitate non

Refutatio per distinctionem.

Per interrogationem cũ collatione.

Uxor Reipublicæ augmentum.

Domûs fulcrum.

natus

utatur. Qvare meritò clamat sapiens qvidam Græcus: Bonam mulierem esse familiæ gubernaculum. Potest igitur senex ille, qvi Reipubl. clavum teneat, securus esse, dum sagacem domi uxorem habuerit: qvâ si careat, duplici curâ distractus, & publicâ, & privatâ, non satis accuratè, qvæ sunt agenda, poterit efficere. Sed qvæ hactenus adversarii nobis objecere, levissima fuerunt; atqve ideò cuncta facilè, & qvasi molli brachio repulimus. Nunc difficilis qvidam nodus, & penè Herculeus restat, atq; is qvidem generatim contra senes universos: qvem tamen, ut spero, & rationum viribus & exemplorum copiâ proscindimus. Contendunt enim adversarii, senem hominem non posse filios procreare: qvem unum ipsi matrimonii fructum esse statuunt. Nos verò qvamvis hoc esse maximum facile concedamus, non tamen hac de causâ gradu dimovemur. Jam enim docuimus, in conjugio multas esse commoditates, qvæ magis ad senem, qvàm ad juvenem pertinere videantur. Qvod si etiam hac facultate generandi senes non carere docuimus, qvid erit causæ, cur non de adversariis nostris palmam & triumphum gloriosè reportemus? Sed illud advertendum est, nos hanc totam disputationem non idcircò instituisse, ut juvenes cum senibus conferamus: sed ut ostendamus, matrimonium etiam in senectute multo esse honestissimum. Scimus enim & fateamur, juvenes ad libidinem & intemperantem voluptatem senibus esse proniores, atqve etiam, ut isti volunt, ad gignendum aptiores; nemo tamen hac de causa dixerit, senes à conjugio repellendos: qvanqvam si qvis modò senex paulò robustior ac validior fuerit, qvalem te Princeps optimè videmus, ne in hac qvidem parte multum juvenibus

Ἀποδείωξις priorum objectionum, seu leviorum

Digressio ad graviores,

A sterilitatis incommodo.

Senes etiam fœcundi.

cedit. Neq;enim est,qvod qvisqvam vereatur cùm te modestissima conjunx tua tam vegetum & benè valentem habeat; ut juniorem maritum desideret. Ajunt Ciceronem, cùm eum qvidam objurgarent, qvòd homo sexagenarius puellam virginem duxisset, facetè respondisse; Cras mulier erit. Cognitas enim vires suas habebat, neq; dubitabat, qvin esset viriliter officio suo satisfacturus. Naturæ rerum indagatores tradunt, Puellam longè faciliùs & citiùs ex sene, qvàm ex juvene concipere. Cujus rei perspicuum est signum Ceturæ fœcunditas, ex qva, senex admodùm Abrahamus, sicut antea diximus, filios qvinqve progenuit. Nostrates etiam homines vulgò dicunt, Puellam sub cana barba jucundè vivere: qvod senex uni deditus uxori, plenè soleat ei satisfacere; cùm interim juvenes propter intemperantiam sæpè, relictâ uxore, cum scortis voluptentur. Qvid, qvòd etiam arbores, qvò magis senescunt, eò maturius ferre fructus solent? Nam graves auctores Theophrastus & Plinius scribunt, amygdalam & pyrum in senecta multô esse fertilissimas. Apud ignobiles homines, inqvit Plinius, usqve ad qvintum & octogesimum annum vulgaris generatio reperitur. Rex Numidarum Masinissa, cum sextum & octogesimum explêsset annum, Methymantum filium procreavit. Qvid nostra memoria Galeacius Vicecomes, homo spectatissimus, nonne septuagesimum annum agebat, cum ad uxorem animum appulit? duos tamen filios, qvi vivunt adhuc, videmus eum genuisse. Jam verò memoriæ proditum est, Catonem illum, antiqvæ gravitatis & severitatis admirabile speculum & exemplar, post annum octogesimum Soloni clientis sui filiam uxorem duxisse: filiumqve ex ea progenuisse,

Ab exemplo Ciceronis.

Abrahami patriarchæ.

A simili.

Ab aliorum nostri ævi exemplis. Galeacius.

Cato.

nuisse, qvi postea spectatissimæ probabitis atqve integritatis fuit, qva de causa factum est, ut cæterorum Catonis liberorum propago Liciniana cognominata fuerit; hæc vero Soloniana, de qva natus est ille, Cato, qvi post mortem Uticensis fuit appellatus. Hic jam animo qvieto & securo esse debemus, postqvam Catones Censorios nostræ causæ patronos invenimus. Ut qvi primus apud Romanos eloqventiam illustravit, idem etiam in hac causa seipsum auctoritate suâ atqve vitæ gravitate defendere videatur, & exemplo suo senile matrimonium comprobare. Neqve enim existimare qvisqvam debet, Catonem illum, qvi, cùm Censor esset, tantâ severitate fuit, ut inde Censorii cognomen invenerit, cujus tanta vitæ fuit integritas & sapientia, ut innocentissimi ac sapientissimi homines ab eo Catones appellentur, cujus nomine qvicqvid est honestatis & laudis ubiqve comprehenditur: nisi maximè laudandum esset senile conjugium, uxorem in senectute fuisse ducturum. Sed qvid antiqvitatis memoriam proseqvimur? cùm tu Princeps optime, maximum hujus ætatis decus & ornamentum, qvi non tantùm nostri temporis homines, verùm etiam hos ipsos, de qvibus modò agebamus, Catones virtute superâsti, qvamvis sexaginta jam annos excesseris, lectissimam hanc puellam tibi matrimonio conjunxeris. Qvis igitur posthac tam impudens erit, ut eum improbare audeat, qvi uxorem in senectute duxerit? Qvis non potiùs à te, sicut omnium virtutum, ita hujus etiam rei laudabile exemplum capiat? Jam ergò taceant adversarii nostri, dent manus; & aliqvando veris argumentis, & sapientissimorum hominum exemplis se victos esse fateantur.

Digressio in laudem Catonis & Catonianæ gravitatis.

Prærogativa principis Saeci præ Catone.

Conclusio per repetitionem scopi.

Qvis enim ampliùs de conjugii senilis honestate dubitet? cùm & ipsum per se matrimonium honestissimum esse intelligat: & uxorem seni utiliorem, ac magis necessariam qvàm juveni demonstratum sit: & homines omnium sapientissimi ducere uxorem in senectute voluerint. Qvis jam id improbare audeat, qvod ipse Deus in Abrahamo & Josepho comprobavit? Qvis id effugiat, qvod Catones persecuti sunt? Qvis te, Princeps optime, non imitari velit, cui singularis & eximia virtus tua benè cognita fuerit? Qvis homo jam ætate provectiore non animum ad uxorem ducendam applicet, qvi te tanqvam laudandarum rerum omnium pulcherrimum exemplar ob oculos sibi proponat, & cum hac uxore tua formosissima pudicissimaqve jucundissimè viventem perspiciat? Hæc habui, P. C. qvæ super hoc novo Principis hujus ordinis vestri matrimonio mihi dicenda esse breviter existimarem; qvæ nobis grata & jucunda extitisse, cùm ex summa attentione vestra, tùm ex vultu crebrisqve significationibus intellexi. Qvod reliqvum est, Patres ut matrimonium hoc felix, faustum, fortunatumqve sit, cùm salutis communis atqve hujus imperii, tùm ipsius Principis vestri causâ, sicuti facitis, velle & optare debetis. Faxit igitur Deus Opt. Max. ut ista qvidem corporum tam egregia copula longum in tempus prorogetur; sed tamen sitis animorum conjunctione beatiores: tuqve Princeps optime tuam hanc uxorem unicè diligas: hæc verò tibi in amore pariter æqvaliterqve respondeat: & pulchrâ brevi tempore prole potiamini, qvæ maximas æmulando parentum laudes amplificet, & avis atqve atavis omni genere virtutis antecellens, clarissimum

Apostrophe.

Conclusio specialis.

Cum voto reiterato.

ſimum utriusqve veſtrumgenus etiam, ſi fieri poteſt, clarius & illuſtrius afficiat.

ORATIO VI.
SCRIPTA NOMINE JURISPERITI, QVI PETIT, ut in Collegium Juriſconſulto-rum Mediolanenſium cooptetur.

Refertur ad genus deliberativum. Qvia petit orator ſuo ipſius nomine, ut in Collegium Juridicum recipi qveat. Cùm honeſtiſſimum id non modo Ordini JCtorum celeberrimo; ſed & ſibi ſit futurum, eò magis, qvòd id inſtinctu magni Viri & Patroni faciat, qvi ipſi autor fuerit ad Juris ſtudium amplectendum. Qvin & utile idem fore oſtendit; nec non facile, cùm aliis idem petentibus Ampliſſimus JCtorum ordo non denegârit.

Exordium à laude Jurisprudentiæ.

CUm illam præclaram & æternam naturæ legem contueor, P. C. qva perpetuo qvodam & immutabili tenore cuncta geruntur, univerſus mundus adminiſtratur, omnia certum ac definitum ordinem ſervant, qva Deus ea, qvæ intelligentia percipiuntur, Sol ea, qvæ ſenſu comprehenduntur, regit & conſervat: videor mihi qvadum Legum noſtrarum, & Civilium & Pontificiarum, imaginem atqve effi-

Per simile à Sole.

giem videre. Qvibus non aliter omnes humanæ actiones ad optimum illum justitiæ finem diriguntur atqve ortus & occasus siderum & solis splendor ac motus ad rerum omnium, qvæ sub Lunæ globo fiunt, generationem.

Αἰτιολογία.

Hos enim qvotannis aspicere licet, cum à nobis cœlestis ille fulgor, calorqve Solis recedere incipit, omnia qvodammodo statim exanimari, terram suis omnibus ornamentis spoliari, folia ex arboribus decidere,

A Solis effectu.

herbas exarescere; omnia plena horroris, plena frigoris; nullam viriditatem, nullos flores, nullos fructus apparere. Cùm autem verno tempore jam Sol propiùs ad nos accedit, ecce jam rerum omnium incredibilem qvandam ac mirificam alacritatem,

Veris pulchritudo.

ut omnia lætari, omnia qvodammodo ridere videantur; jam terra sese aperit; jam herbas virentes, flores amœnissimos, fructus svavissimos emittit:

Æstatis & messis tempus

& qvò magis Solis calor invalescit, tantò maturiores & uberiores fruges emetuntur: itaqve medio solis calore frumenta, qvibus potissimùm humana vita sustentatur, in horreis congregantur;

Vindemiæ.

neqve ita multò post lætitiæ Bacchus dator sua nobis munera largitur, spumat plenis vindemia labris.

Ἀπόδοσις similitudinis ad Jus & Leges.

An non idem accidit in legibus nostris? Cùm enim à civitate leges recedunt, statim subseqvitur rerum omnium confusio, judiciorum vincula revellentur,

Illustratio per ἀντίθεσιν injustitiæ, & ejus noxæ.

vitæ communis ratio tollitur; nihil est, qvare cuiqvam exploratum possit esse, aut suum, aut qvid alienum sit; nihil est, qvod æqvabile inter omnes, atq; unum omnibus esse possit: fiunt ubiq; furta, latrocinia, cædes, adulteria: potentiores & corporis viribus excellentiores crudeliter & superbè dominantur, imbecilliores & tenuiores miserabiliter & impiè deprimuntur: omnis deniqve vita

privata

privata legibus belluino potiùs ac ferino, qvam humano more degitur. Sed cùm sanctissimarum legum splendor affulsit, statim è medio tollitur omnis improbitas, ac regina ac domina virtutum, justitia regnat: vitia hominum atqve fraudes damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte mulctantur. Verus autem, justus atq; honestus labor honoribus, præmiis atqve splendore decoratur. Qvocirca non sine summa ratione clamat ille Philosophorum Princeps Aristoteles: In legibus civitatis salutē esse constitutam. Et eloqventiæ parens Cicero non minùs verè, qvàm eleganter ita inqvit: Mens & animus, & sententia Civitatis posita est in legibus: ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege suis partibus, ut nervis ac sangvine & membris, uti non potest. Legum ministri magistratus, legum interpretes judices, legum deniq; idcircò omnes servi sumus, ut liberi esse possimus. O admirandam legum divinitatem! ô societatis humanæ conservatrices leges, virtutum indagatrices, expultricesq; vitiorum! sine qvibus nihil in hac vita securum, nihil qvietum, nihil tranqvillum esse potest: his ego pascor, his delector, his perfruor. Etenim, P. C multa qvidem sunt etiam alia studia præclara & nobilia, ut Rhetoricæ, Philosophiæ, Medicinæ: sed tanta est Juris civilis præstantia, ut si cum ea reliqvæ omnes ingenuæ ac liberales artes conferantur, ne minimam qvidem partem dignitatis ejus æqvare videantur. Qvæ cùm ego jam inde à pueritia partim parentis mei clariss. viri præceptis & admonitionibus eruditus, partim hujus ordinis vestri ampliss. atqve ornatiss. fulgentissimo splendore commotus, viderem; in hac potiùs divina legum scientia, qvam in aliis studiis mihi esse laborandum statui. Cùm præsertim mihi qvasi stimulus qvidam & maxi-

Justitia vis & effectus.

Arist.

Lex est anima civitatis.

Εκφώνησις.

ἄυξησις per σύγκρισιν aliarum artium cum Jurisprudentia

Propositio cum ἀποδόσ.

Cur JCtus fieri maluerit.

maximum incitamentum accederet vir ille præstantissimus, & divina qvadam mente præditus Philippus Saccus, qvi isti ordini vestro longo tempere maximâ cùm omnium non solùm laude & gratiâ; sed etiam singularium virtutum admiratione præfuit. Is enim cùm me die lustrico è sacri Baptismatis fonte suscepisset, qvasi secundi patris etiam amorem erga me suscepit. Et cùm ipse, qvod nemo vestrûm ignorat, legum summa cognitione, veteres illos, Ulpianum, Papinianum, cæterosq; insignes Jurisconsultos æqvaret; justitiâ verò, integritate vitæ, & respondendi facilitate superet; me tanqvam filium freqventer adhortabatur, ut eandem viam ingressus, omni studio, labore atqve industriâ conarer qvamprimum Juris civilis Lauream assequi: Sic enim ajebat, vehementer optare illum diem videre, qvo me in hoc amplissimum ac celeberrimum Collegium cooptaret. Sed cum jam ad decrepitam ætatem pervenisset; mihi tantò magis properandum esse dicebat, ut eo vivente studium meum absolverem. Verùm qvoniam hoc illi fata non concesserunt, te, qvem præsentem veneror, & cujus excellentiam, fidem, integritatem non minùs, qvàm antecessoris tui Sacci, omnes admiramur, Marce Barbavaria, qvasi vicarium hujus operæ (si qvis sensus mortuis eorum, qvæ hîc fiunt) obtestatur, ut in me tuendo atqve extollendo suas partes suscipias; & qvod ipse vivens facere non potuit, tu illi superstes in ejus gratiam, qvem semper observasti & coluisti, me in hunc præstantissimum Jurisconsultorum ordinem admittas. Hoc non tantùm illi mortuo, vel potiùs immortalitatem jam adepto gratum erit; sed etiam viro illi nunqvam satis laudato Francisco Sfondrato, qvi cum Sacco testis

Ab exemplo magni viri.

Excusatio.

Cum transactione causæ.

Petitionis summa.

Ratio persuasionis.

teſtis patriſqve loco mihi fuit; qvo tempore Chriſtiano more ſacro Baptiſmate me Sacerdos abluit. Erat enim ea tempeſtate Sfondratus hujus veſtri ordinis ſecundus, & Cæſaris conſiliarius; poſteà verò propter eximiam ac ſingularem doctrinam & virtutem, Cardinalis creatus, diem hunc, qvem ſe cupide expectare mihi aliqvando dixerat, videri non potuit. Illud tamen me non mediocriter conſolatur, qvod ex tribus, qvi mihi tanqvam patres in ſacro Baptiſmate adfuerunt, unus adhuc ſuperſtes eſt, & præſens adeſt, qvem ego ſumma cum lætitia atqve animi alacritate intueor; cujus in vita, tanqvam in ſpeculo qvodam, video virtutum omnium non adumbrata, ſed expreſſa veſtigia: qvi non tam juris; qvàm juſtitiæ conſultus eſt appellandus: cujus ab ore, qvod de Neſtore dixit Homerus, melle dulcior fluit oratio: qvi ſi qvando vehementiùs agere voluerit, Periclis more tonare, fulminare, permiſcere animos conſvevit. Qværitis, qvi nam ſit ille, qvem non ſolùm ego tantoperè admiror ac ſuſpicio, ſed etiam vos, P. C. atqve alii omnes honorant ac venerantur? En hic adeſt Gabriel Panygarola, decus & ornamentum collegii, Flos illibatus populi, Suadæqve medulla, qvod olim Ennius de Cornelio Cethego prædicavit. Longum eſſet de vobis aliis omnibus dicere, P. C. & doctores clariſſimi, qvi jam diligentiâ ac labore veſtro ad eam dignitatem perveniſtis, ad qvam

——— ——— ——— pauci, qvos æqvus amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Diis geniti potuere; qvi tantâ prudentiâ, religione, ſanctitate præcellitis, ut nulla regio ſit in terris, ad qvam nominis veſtri fama non pervaſerit. Faciliùs enim eſſet Solem à curſu ſuo deflectere, qvàm judi-

À ſacro fide juſſionis pignore.

A vibi & præſentis commendatione.

A totius collegii amplitudine.

Illuſtratio à ſimili ſolis.

judiciorum vestrorum immutabilem atqve incorruptam constantiam ab æqvitate justitiâqve dimovere. Ac mihi qvidem cum multis aliis de causis immortali DEO maximas agendas esse gratias existimo? tum præcipuè, qvia in hac patria tam excellenti, in hoc tot præclarissimorum virorum domicilio mihi nasci contigerit. Cùm enim hæc civitas nostra, & agrorum ubertate & artificum scientia, & multitudine earum rerum, qvæ exportantur, & deniqve rerum omnium copia cæteris omnibus antecellat; tum divina atqve incredibili prudentia ac sapientia vestra tam rectè gubernatur, ut neqve centum Romanorum seniores, qvos Romulus primum instituisse dicitur, neqve Amphictyonum consessus, neqve Areopagitarum severitas ulla ex parte cum integritate vestra comparari possit. Qvantum enim in vobis est, omni diligentia providetis, ut nullæ sint inter cives discordiæ, nullæ seditiones: sed ubiqve pax, ubiqve concordia. Neqve aliter universam hanc Remp. amatis & caram habetis, qvàm optimi parentes filios suos. Me igitur hactenus semper felicem existimavi, qvòd in hac civitate, satis honesto loco bonisqve parentibus natus fueram: sed nunc multò feliciorem me futurum spero; cui vobiscum versari, vestras honestissimas actiones intueri, vos imitari posteà licebit. Nam qvoties mihi venit in mentem, beneficium vestrum immortale recordari, qvod me unum ex vobis esse volueritis: qvoties forum nostrum, qvoties curiam cogito, qvibus in locis, tanqvam in theatro qvodam omnis justitiæ, me qvotidiè exercere potero: statim omnibus lætitiis incedo, vobisqve qvas possum, non qvas debeo, qvæ sunt infinitæ, gratias ago: neqve unqvam ætas ulla tant

Comprobatio ab urbis binis dotibus

Per comparationem cum aliis Rebusp.

JCtorum munus & finis.

Conclusio cum repetitione voti.

Ratio à fine & usu.

Cum gratitudinis pollicitatione.

tanti beneficii memoriam ex animo meo delebit. Illud unum de me polliceor ac ſpondeo, me omnibus viribus elaboraturum, ac re ipſa præſtiturum, ut hujus in me collati beneficii neminem unqvam veſtrûm pœniteat.

PRO OCTAVIANO ROVERTA, TARRACINÆ Epiſcopo, dum in Academiam Mediolanenſem reciperetur

ORATIO V.

Iterum ad genus deliberativum. Qvia hic rhetor laborat pro alio, ut in Academiæ ſocietatem reciperetur: ſicut ipſe haud obſcurè innuit, dum ait; atq; ut intelligas, qvod fuerit omnium noſtrum judicium, dum de te in Academiam recipiendo conſultaremus. Eſt tamen miſta: qvia dum laudat candidatum Academiæ, 1. à Peritia. 2. Prudentia. 3. Eloqventia, etiam ad genus demonſtrativum referri debet.

SI qvis veſtrum, Academici, fortè miratur, cur ſapientiſſimi viri Philoſophi dixerint: Ex omnibus animantibus hominem maximè naturæ ipſius inſtinctu atqve deſiderio, nihil ſolitarium amare, ſed ad

Exordium per παρέλ. ψ. à gnome.

cœtus &concilia cum qvadam immensâ voluptate trahi natumq; esse ad conjunctionem congregationemq; hominum & ad naturalem communitatem: is si mentis oculos ad omnes hominum ætates atqve ordines diligenter intuendos converterit, statim & philosophorum sententiam probabit: & neminem esse prorsus inveniet, qvi non æqvalium pariumqve suorum consuetudine atqve societate mirificè delectetur. Qvod si qvis fortassè reperiatur, qvi hominum congressus societatemqve refugiat, is vel communis omninò sensus expers est, & belluinis planè moribus vitam agit: vel heroicâ qvadam ac divinâ virtute naturam hominis exsuperat, ut non amplius hominum: sed jam Deorum commercio dignus esse videatur: qvales post homines natos, qvi diligenter annalium monumenta repetiverit, vel nullos, vel certè paucissimos fuisse comperiet. Qvi verò neq; philosophis credere vult, hominum esse naturâ congregabilem: neqve ad omnium ferè hominum consuetudinem respicit: is hodierno die sapientissimi atqve religiosissimi Antistitis hujus Octaviani Rovertæ, qvi civitatis nostræ magnum decus & ornamentum est, factum intuens, dubitare desinat: Hic enim cùm & acumine ingenii, & sapientiâ, & auctoritate plurimum valeat, ut neqve ad augendam eruditionem suam, neqve ad prudentiam amplificandam, neqve ad mores honestius confirmandos, hac nostrâ exercitatione qvicqvam indigeat: naturali tamen appetitioni repugnare nullo modo voluit. Sed cùm in Academia nostra nonnullas summæ suæ virtutis imagines non leviter impressas, sed exqvisitâ arte elaboratas, qvasi florere conspiceret: earum, ut sit, allectus amore, confestim ad hanc animorum similitudinem accedere, & in collegium

Αὐτισπερ ἀπόδοσιν. ἀντίθεσις aut Deus aut lapis est.

Neemonachi Qvia semper habent suos fratres.

Translatio θέσεως ad hypothesin.

Αἰτιολογία à conatu & honesto.

legium nostrum cooptari voluit: præsertim cùm exploratum habeat, & luce clarius intelligat, nostro huic ordini finem omnium optimum, qvem remis (ut ajunt) velisqve petamus, esse propositum. Cùm enim tria sint, qvæ in omni cœtu concilioq; sibi proponere homines ac seqvi soleant: honestum, utile, jucundum: illud plerunqve evenit, ut, prout unusqvisqve benè vel malè fuerit institutus, cùm in sociorum congregationem venit, ita sibi vel optimum finem, vel mediocrem, vel etiam levissimum proponat. Qvamobrem immanissimus qvisq; voluptatem, qvæ maximè est inimica virtuti, boniqve naturam fallaciter imitando adulterat, acerrimè seqvitur: neqve solùm honestis rebus, sed etiam necessariis anteponit. Qvin etiam eos, qvi adhuc in puerili ætate constituti sunt, qvi nihil dum per ætatem veræ laudis gustare potuerunt, alacres atqve gestientes videmus colludendi tantùm gratiâ cum æqvalibus congregari: neqve aliud ferè, cùm una conveniunt, cogitare, qvàm ut appetitioni suæ voluptatiqve satisfaciant: qvod pleriq; etiam juvenes atqve senes, malo cultu pravisq; opinionibus corrupti efficiunt. Verum hic finis voluptatis, qvamvis in omni sensu implicatus innatusqve sit, & à natura omni animantium generi tributus: tamen sapientissimi cujusq; hominis judicio levissimus omnium atqve abjectissimus est, & animo excelso ac præclaro prorsus indignus. Sunt alii qvidem indocti atqve agrestes, qvi anteferunt semper utilitatem honestati: qvibus tantùm qvæstus emolumentum, fructusqve proponitur, ad qvem toto impetu rapiuntur, & habendi cupiditate usqve eo cœcantur, ut eos omnis honestatis capiat oblivio: qvi sunt ab ingenuis ac bonis viris omninò vituperandi, vel potiùs

Consultationum objecta.

Φαινόμενον ἀγαθόν.

1. *Voluptas.*

Ἀποδέιωξις voluptatis.

2. *Utilitas.*

Φιλοκερδία, i.e. Sorditiee

tius contemnendi. Sed qve cum inopia præmantur honestis artibus rem familiarem amplificare contendunt; non illi qvidem optimum finem, sed mediocrem tamen & laudabilem seqvuntur. Rarum est qvoddam genus eorum, qvi tam humani expolitiqve sunt; ut rebus omnibus dignitatem anteponant; qvibus laus, honor, gloria, fides, justitia, omnisqve virtus proposita est, qvi ad concilia cœtusqve ea de causa libentissimè conveniunt, ut vitam suam sapienter instituant, ut animum excolant, ut omni genere virtutum efflorescant. Qvod hominum genus in terris; & hac mortali conditione, beatissimam illam cœlestium vitam qvodammodo repræsentat, & svavissimo nectare, purissimaqve Deorum Ambrosiâ perfruitur. Ecqvis est igitur vestrûm Academici, qvi non intelligat, hunc nobilissimum conventum nostrum, hunc lectissimorum hominum cœtum, hanc florentissimam congregationem non alicujus vulgaris voluptatis, vel utilitatis gratiâ fuisse constitutam: sed ingenuo tantùm qvodam & excellenti scientiæ, virtutis, honestatis amore, desiderioqve, non humano, sed planè divino? Siqvidem divinum est, mentem, cui regnum totius animi à natura tributum est, qva nihil est in homine melius aut præstantiùs, expolire atqve exornare. Eqvidem in hoc cætu nostro neminem prorsùs esse existimo; qvi non rerum cognitionem, sapientiam, dignitatem pluris, qvàm divitias; qvàm opes, qvàm omnia corporis & fortunæ ornamenta faciat: & qvi non omni studio, curâ, diligentiâ talis esse contendat; ut omni laude dignus existimetur. Qvod qvidem honestissimum desiderium nostrum cùm tu, Octaviane Roverta, Antistes ornatissime atqve optime, cognovisses qvam

3. Virtus & honestas.

Divinitatis æmulatio.

Comprobatio 3. objecti.

Αἰτιολογία à subjecti nobilitate.

ἐξεργασία.

Ἀπόδοσις cum apostrophe per ἀντιφορὰν.

qvamvis ad eam jampridem ſcientiam atqve ſapientiam pervenreis, ut ad ſummam abſolutionem perfectionemqve vel nulla tibi, vel certè minima fieri poſſit acceſſio, noſtrum tamen innumerum aggregari voluiſti: vel qvia nulla tibi major eſſe poteſt oblectatio, qvàm cùm in eruditorum hominum cœtu de rebus egregiis & cognitione digniſſimis aut ipſe loqveris, aut alios loqventes audis: vel qvia nobis civibus tuis, qvæ tua eſt in patriam ſingularis humanitas atqve benignitas, ad optimum illum, qvem nobis propoſuimus, veræ honeſtatis finem, te multum prodeſſe poſſe intelligis. Qvæ res profectò incredibilem nobis omnibus voluptatem attulit. Atqve ut intelligas, qvod fuerit omnium noſtrum judicium, cùm de te in Academiam recipiendo conſultaremus: qvæſo, ut me patientiſſimis auribus, ſicut hactenus feciſti, adhuc parumper audias. Dicam enim non tui laudandi gratiâ, cujus animum ab omni ambitione penitùs abhorrere ſentio? ſed teſtificandæ noſtra erga te obſervantiæ, qvemadmodum inter nos te abſente res geſta ſit. Propoſueram ego, ſi majori parti viſum ita fuiſſet, te paratum eſſe noſtram in ſocietatem venire, atqve in Academicorum albo conſcribi: incideramq; in laudum tuarum immortalitate digniſſimarum mentionem; cùm me interpellans hilari vultu Princeps noſter, confeſtim eam ſententiam dixit, qvam ad unum omnes maxima cum aſſenſione plauſuqve comprobavimus. Non diutius eſſe cunctandum, qvin te ſtatim admitteremus. Qvin enim, (inqvit) Academici, nobis optatius accidere poteſt, qvàm ut eum virum nobiscum habeamus, qvi omnibus optatis noſtris ſatisfacere facillimè poſſit ac valeat? Nam, ut video, tria ſunt, qvæ nos in hoc cœtu

ἀνθυποφορὰ ob cauſas impoſſibiles.

στάσις, ἢ τὸ κρινόμενον τὸ ſumma petiti- cum ἀξιώσει.

Πρότασις conſultationis. Per narratiunculum.

Ratio ſuffragii.

A reqvisitis tribus.
1. Scientia.
2. Eloqventia.
3. Prudentia.
Thesis.
Hypothesis.
Periλήπσων.
1. à Peritia omnigenâ.
à Philologia & Philosophia.

nostro nobis acqvirere magnopere desideramus: primùm; ut scienter intelligamus; alterum, ut polite eloqvamur; tertium, ut prudenter agamus. Qvæ tria si conseqvi potuerimus, tum demum nos vere homines esse putabimus: ad hæc enim natum est hominum genus: & qvi in his excellit, qvantum homines bestiis præstant, tantùm hominibus ipsis antecellit. Qvis autem est, qvi hæc omnia pleniùs ac perfectiùs omni sibi industria comparaverit, qvàm hic noster civis, de qvo sermo nobis institutus est, Octavianus Roverta? Nam primò, qvanta sit ejus rerum omnium tàm divinarum qvàm humanarum cognitio atqve intelligentia, testes omnes esse possunt, qvicunqve aliqvid de scientiis ac literis judicare sciunt; ut nihil tàm anceps aut dubium sit, nihil tàm involutum à naturâ, nihil tàm abstrusum atqve reconditum, vel in iis rebus, qvæ sensu percipiuntur, vel in iis, qvæ tantùm cogitatione menteqve comprehenduntur, qvod ille non in promptu semper habeat. Ex qva rerum tam multiplicium cognitione nascitur acerrimum, qvod maximè nos appetimus, de omni genere scriptorum judicium: qvo qvidem ille ferè cæteris omnibus antecedit. Jam qvantum dicendi facultate qvantum eloqventia valeat, vos, qvi eum freqventer audivistis, judicare facillimè potestis. Qvàm enim apertè, qvæ prima virtus est eloqventiæ, sensa mentis explicat! qvàm distinctè, qvam aptè, qvam ornatè cuncta eloqvitur! ut ab ejus ore, tanqvam Nestoris illius Homerici, melle dulcior fluat oratio: qvam totius corporis actio gravissima comitatur; ut eum audientes nulla unqvam satietas, nullus labor, nullum similitudinis fastidium capiat. Qvæ svavitas orationis & elegantia, qvod paucissimis

A Polyhistoria.

2. à Facundia.
Ἐξήγησις per dotes Eloqventiæ.

mis accidit, non tantùm in ſermone; ſed etiam in ejus ſcriptis eluceſcit. Age verò, qvis ejus vitæ integritatem ſanctitatemqve non agnoſcit? Longiſſima ſane opus eſſet oratione, vel potius volumine, ſi præclariſſimas ejus actiones, & verè Chriſtianas omnes explicare contenderem: ut omnia prudenter, juſtè, fortiter, temperatê conficiat: ut nihil in eo niſi pium & religioſum inveniatur, ut deniqve talis ſit, qvalem eſſe perfectum ſacrorum Antiſtitem, & ſummi Pontificis Legatum oporteat. Qvantum porrò celebritatis atqve gloriæ noſtro huic conſilio acceſſerit, ſi tàm eximium virum nobiſcum habuerimus? Hunc igitur, qvia niſi ſua ſponte ſeſe obtuliſſet, ſummis à nobis precibus rogandus fuiſſet, obviis ulnis excipiamus, hunc omni qvâ poſſumus, obſervantiâ proſeqvamur; hunc ſuſcipiamus, colamus, veneremur: cujus exemplo atqve doctrinâ, & acutè intelligere, & politè eloqvi & præclarè agere poſſimus: cujus deniqve præſentiâ maximam Academia noſtra gloriam conſeqvetur. Hæc poſtqvam à Principe noſtro dicta fuerunt, nemo fuit, qvin voce & ſignificatione maximum animi gaudium oſtenderit, qvin omnibus lætitiis inceſſerit, qvin album ſtatim calculum adjecerit. Sperat enim unusqviſqve noſtrûm, te moderatore, omni genere virtutis abundantiſſimo, ad exoptatam noſtri curriculi metam longè citiùs & faciliùs pervenire. Hoc noſtrum eſt de te judicium, Antiſtes religioſiſſime; noſtra ſpes, noſtra expectatio, ut ad eum finem, qvo velis paſſis omnes properamus, tu non tantùm ſis adjutor nobis; ſed etiam qvaſi gubernator in puppi ſedeas, clavumqve teneas. Nos enim ut pro omnibus pollicear, ſemper prõptos & alacres videbis, etiam reflantibus aliqvando ventis, tecum

3. A prudentia & rebus præclarè geſtis.

Concluſio cum repetitione ſuffragii & receptionis.

Narrationis & commendationis effectus.

Cum adhortatione.

Et reciproca pollicitatione

tamen constanti velificatione, ad tranqvillitatis atqve salutis animorum portum omni studio contendere. Qvare, qvod felix faustumqve sit omnibus nobis tibiqve, nobiscum Academicus esto. Tu verò, scriba noster, celebre, dulceqve nomen Octaviani Rovertæ Tarracinensis Episcopi, summiq; Pontificis legati in Academicorum albo nostris nominibus adscribito.

Conclusio universalis.

PRO JOANNE STIBIO, PONTIFICIS MAX. Commissario decumano, dum in Academiam Mediolanensem reciperetur

ORATIO VI.

Est planè ejusdem generis & similis argumenti cum antecedente. Ideoq; non opus est ambage.

Exordium προληπτικὸν à lege recens latâ.

ETsi benè & sapienter illud ex auctoritate Principis consilioqve eorum, qvi in Academia nostra cæteris prudentiâ præstant, mihi nuper decretum & constitutum fuisse videtur, Academici, ut qvos in collegium nostrũ cooptatos admittimus, nõ eos multis laudibus coràm extollamus, neq; magnopere exornemus; sed potiùs ad labores tolerandos, & subeundas vigilias adhortemur: tamen qvia perspicuum est, in adhortatione plurimùm valere, si laudes eos, qvos adhortari volueris: dabitis, ut spero, hanc mihi veniam, huic causæ vehementer accommodatam; ut dum hunc eximium præstantemq; virum

ἐπανόρθωσις per ἀντιλογίαν à fine.

virum Johannem Stibium, qvem propter egregiam & singularem virtutem Summus Pontifex Julius Tertius multis & magnis affecit honoribus, in Academiam nostram recipio, nonnulla breviter commemorem, qvæ vobis eum, nondum fortassè benè cognitum, paulò commendatiorem efficiant. Qvod si mihi non conceditis, ut speciatim singulas ejus virtutes, qvæ plurimæ sunt, accuratè persèqvar: istud saltem, qvod ad rem præsentem facit, hilari vultu concedite, ut generatim aliqva de summa ejus industria, studio, doctrinæ cupiditate dicere coram vobis ipso præsente liceat: priusqvam ad eam orationem accedo, qva illum adhortatione mea, jam sua sponte satis incitatum, magis etiam si fieri poterit, incendam atqve inflammem ad arduum honestatis atqve dignitatis collem, qvem maxima jam ex parte persvasit, nobiscum unà penitùs superandum. Maximâ enim profectò meipsum reprehensione dignum existimarem, si in hoc tàm excellenti viro in societatem nostram recipiendo; tàm exqvisitam ejus in omni genere virtutis industriam, tàm incredibilem optimarum artium cupiditatem tantùm ardorem mentis ad gloriam tacitus præterirem. Qvæ qvidem non obscuris aut incertis aliqvibus signis, sed apertissimis indiciis, & luce clarioribus argumentis intelliguntur. Nam qva ratione fieri potuisset, ut in ætate tàm juvenali tàm variam & multiplicem sibi scientiam acqvireret, ut Jurisconsultus factus sit egregius, & omnes Philosophiæ partes non leviter attigerit, & mansuetiores Musas non tantùm digustâris; sed etiam, ut poëticè de elegantissimo Poëta loqvar, se totum in Castalio fonte demersarit: nisi maximum ab ineunte pueritia fuisset in eo studium,

Cum ἀξιώσει & προτάσει.

Παράληψις cum excusatione.

Propositio tripertita.

Præteritionis redargutio, ob merita & dotes.

Comprobatio ab industria.

Per ἐγκυκλοπαιδείαν scientiarum.

Per αὔξησιν semel cœpti studii continuandi.

A reqvisitis studiosi.

1. Ἐξέτασις.

2. Φιληκοΐα.

3. Φιλοζητησις.

4. Ἀνάκρισις.

5. Εὐσχημοσύνη.

Ἐπάνοδος ad laboris con cathenatam satagentiam.

A poësi.

A critica.

maxima assiduitas, vehementissima ad omnes ingenuas artes animi applicatio? Qvid, qvòd jam per multos annos in publicis negotiis occupatus, & summo Pontifici variis in rebus honorificè deserviens; nunqvam tamen intermisit studia literarum? sed qvoties successiva aliqva tempora nancisci potuit, illa nunqvam interire passus est. Qvicqvid enim alii corporis voluptatibus tribuunt, id totum ipse sibi ad animum suum doctrinâ excolendum temporis sumpsit. Qvoties ego hunc audivi, cum in domo religiosissimi doctissimiqve sacrorum Antistitis Octaviani Rovertæ Tarracinensis Episcopi freqventes conveniremus; qvoties, inqvam, hunc audivi de reconditis atqve arduis rebus acutissimè atqve ingeniosissimè disputantem? Qvoties vidi summa cum attentatione, si qvid ab aliis diceretur, qvod ad eruditionem augendam aliqvo modo pertineret, audientem, annotantem, & si qvid dubitaret, interrogantem; si qvid parum scitè diceretur, acerrimè qvidem, sed cum incredibili tamen comitate atqve astantium voluptate, refellentem? Nihil hoc loco dicam, qvot & qvantæ in eo sint ingenii suavitates, qvàm amabiles atqve ingenui mores, qvàm immensa rerum omnium modestia. Tantùm enim de singulari ejus industria mihi hoc tempore dicendum esse proposui; qvæ cùm in omnibus honestissimis ejus actionibus, cùm etiam in scriptis elegantissimis maximè perspicitur. Qvamvis enim cum Bartolis & Baldis assiduè sit ei confligendum: tamen qvoties ab eis inducias aliqvas impetrare potest, tanto ingenii acumine, tantâ elegantiâ, tantoqve artificio & latina illa vetere, & Hetrusca hac recentiore lingva versibus ludit, ut planè poëtica mella fundere videatur. Qvod si qvid

accuratè

accuratè cogitatèqve ſcribit, illud ſic video probari, ut ad veterum ſcriptorum laudem perveniat. Sed qvid pluribus opus eſt argumentis? Annon hoc ipſum, qvod in Academiam noſtram admitti tantopere flagitavit, maximam ejus induſtriam oſtendit? Qvi cum abſit à patria ſua multis ac variis negotiis diſtractus, ut vel nullum ei, vel certè minimum otium ſuperſit: Sirenibus tamen Academiæ noſtræ longè magis ſalutaribus, qvàm ille qvondam fuerint, in qvas Ulyſſis ſocios incurriſſe ſcribit Homerus, aures patentes admovit; qvæ ſvaviſſimâ jucundiſſimâqve voce viros omnes induſtrios atqve præſtantes ita ad ſe ſub Ulyſſis nomine continenter advocant. Sed qvæſo, mihi hoc alacri animo concedite, Academici, ut in hac oratione, qvam pro dulciſſimo peneqve divino Poëta coram vobis habeo, liceat poëtarum verſibus & verbis, & figuris atqve etiam pronunciatione parumper exultare. His igitur verbis Sirenes Academiæ noſtræ, cùm alios plurimos ſcientiæ cupidos homines, tùm hunc eximium virum Johannem Stibium ſub Ulyſſis nomine ad ſeſe allexerunt, ut eum longè doctiorem & dulciorem poëtam efficiant:

Præciſio.

Ab ambitione honeſta.

Per προσωποποιΐαν.

O decus Argolicum, qvin puppim flectis Ulyſſes,
Auribus ut noſtros poſſis agnoſcere cantus!
Nam nemo hæc unqvam eſt tranſvectus cærula curſu,
Qvin prius aſtiterit, vocum dulcedine captus:
Poſt variis avido ſatiatus pectore Muſis
Doctior ad patrias lapſus pervenerit oras.

Hom. Od lib. 12. Cicero 5. de Finibus.

Qvare ſtatim his tàm jucundis vocibus allectus, & præcipuè ſcientiæ deſiderio, qvam illi noſtræ Sirenes pollicentur, qvæ qvidem viro ſapientiæ cupido patria ipſa multò carior eſſe ſolet, inflammatus; ſe totum huic concilio noſtro cœtuiqve tradidit, & noſtris

Concluſio principalis.

Apostrophe & aversio orationis ad candidatum

ſtri deinceps legibus atqve inſtitutis vivere decrevit. Nunc ad te me converto, Joannes Stibi, vir ornatiſſime atqve optime, ut id efficiam, qvod ſpectatores in theatro ludis Circenſibus efficere ſolent, cũ, ut poëta noſter ait, — *præcipiti certamine curſum*

Corripuere, ruuntq; effuſi carcere currus:
Cùm ſpes arrectæ juvenum, exaltantiaq; haurit
Corda pavor pulſans.

Illuſtratio à ſimili eqvorũ Circenſium.

Non enim tardos & negligentes, ſed eos, qvos longè cæteris promptiores & alacriores ad curſum vident, ſignificatione, plauſu, clamore ad victoriam adhortantur: & qvo propiùs ad metam accedere conſpiciunt; eò vehementiùs acclamationibus ſuis incendunt.

Ἀπόδοσις ſimilitudinis.

Sic ego te jampridem omnibus nervis & facultatibus optimarum artium ſtudiis deditum, oratione meâ ad eam, qvam proximè jam acceſſiſti, ſummæ laudis metam cohortabor.

Tranſitio ad alteram orationis partem

Hæc eſt enim una via, mihi crede, & laudis, & dignitatis, & honoris: primò, ſicuti facis, dies & noctes magna cum diligentia ingenuis artibus incumbere: deinde cum bonis viris & ſapientibus, & benè natura conſtitutis verſari, conſuetudinem habere, colloqvi, de rebus honeſtiſſimis diſſerere: tùm id unum eſſe optimum putare, qvod erit rectiſſimum: deniqve omnia fugiendæ turpitudinis atqve honeſtatis adipiſcendæ gratiâ conari.

1. Ab exemplo priſcorum.

Qvam viam ſecuti ſunt veteres illi ſapientiſſimi viri. Socrates, Plato, Xenocrates, qvi Academiam illuſtrârunt, aliiq; penè innumerabiles, qvi nomen ſuum in orbis terræ memoriam ſempiternam diſſeminârunt. In qva cùm hactenus maximos jam progreſſus feceris; nunc manibus pedibusqve nobiſcum tibi laborandum eſt, ut ad ſummum tandem aliqvando verticem evadamus; ubi qvemadmodum vetus ille Poëta ſapientiſſimè cecinit,

Plani-

Planities ignota jacet, tutiq; receptus.
Semper ubi fessæ valeant reqviescere mentes.

Hesiodus ut citatur infra in Orat. 15.

Hanc autem veræ felicitatis viam ea ratione facilè superare atqve perficere poterimus, si Majorum illud præceptum utilissimum diligentissimè servaverimus, qvi discipulis suis præcipere consveverunt, ut cum iter facerent, ne unqvam omninò respicerent; & illud Pythagoræ, qvi qvodam in symbolo suo per eandem viam reverti prohibet. Voluerunt enim prudentissimi viri nos admonere, ne cum honestatis dignitatisqve curriculum semel ingressi fuerimus, iterum ad corporis voluptates respiciamus; qvæ ita in omni sensu implicatæ insident, ut, cum qvis ad eas revertitur, non facilè postea divelli possit, sed earum desiderio qvodammodo contabescat: verasqve illas & sinceras animi voluptates amittat. Atqve hanc qvidem rem ingeniosissimi Poëtæ perqvam lepida nobis fabula significare voluerunt; cùm ajunt a Proserpina datam hanc legem & conditionem Orpheo fuisse, ut si vellet vivam Eurydicen suam, pro qva redimenda ad inferos descenderat, secum ad superos respicere; arduam ascensu viam invaderet, mortuamqve adhuc Eurydicen post terga secum traheret; neqve eam priùs amplecteretur, aut ullo modo respiceret, qvam toto itinere confecto, ex illis inferorum tenebris in apertam lucem devenisset: tunc enim demum fore, ut ejus redivivæ complexibus, qvantum vellet, frui commodissimè posset. At ille moræ impatiens, cùm nondum iter inceptum perfecisset, neq; omninò è tenebris emersisset:

Quo diutius, eò ducius.

Illustratio à fabula.

Restitit: Eurydicenq; suam jam luce sub ipsa
Immemor heu, victusq; animi, respexit, ibi omnis
Effusus labor, atq; immitis rapta tyranni.

Virg. 4. Georg.

Eædem

Aversio.
Unde Pythagoræ φιλοσοφία fuit μελέτη τ͂ θανάτȣ.

Fœdera. Qvod ne nobis etiam accidat, Academici, magnopere cavendum est. Ne, dum fugacem & vanam planeqve mortuam Euridycen, hoc est, corporis voluptatem, in tenebris mersam respicere ac perseqvi studemus: verissimam illam atqve immortalem, qvam ex præclarè gestis rebus emanare scimus animi voluptatem amittamus. Sed nihil est, ut ego qvidem existimo, periculi. Jam enim maxima ex parte nubem illam, qvæ, ut ait Poëtarum princeps Maro noster,

Lux intellectus est q. sol.

Mortales hebetat sensus, atq; humide circum
Caligat: qvæ nihil aliud est, qvàm rerum ignorantia, labore atqve industriâ nostrâ dispulimus: jam qvasi è sublimi atqve excelso loco innumerabilem hominum multitudinem videmus, in tenebricosa nocte constitutam errare, labi, decipi: ut in hoc cœtu nostro nos securi cum Lucretio clamare possimus:

O vanas hominum mentes! ô pectora cœca!
Qvalibus in tenebris vitæ qvantisq; periclis
Degitur hoc ævi, qvodcunq; est?

Illos autem, qvi disjecta erroris nebula nostram in societatem veniunt, cum hilaritate recipere, & ad hanc mentis claritatem atqve serenitatem erigere debemus. Qvare tu qvoqve, Joannes Stibi, non tantùm omni studio, labore, atq; industriâ debes ad clariorem qvotidiè lucem nobiscum aspirare; sed etiam pro viribus tuis aliis opitulari, qvos in hac communitate nostra vel ingenio, vel doctrinâ vel integritate vitæ videbis inferiores esse. Non enim ideo congregamur, ut nobis ipsis tantùm prodesse possimus, sed multò magis; ut vicissim alter alterius utilitati, atqve honestati serviamus. Hac enim ratione benè instituta, collegia conservantur, augentur

Conclusio generalis.
Cum repetita admonitione

Abusu collegiorum.

gentur, amplificantur, cùm omnes in commune bonum consulunt. Qvod te facturum non tantùm spero, sed etiam me ipsum Academicis omnibus pro te sponsorem atqve vadem offero. Novi enim ingenium tuum, novi industriam, novi probitatem. Nullum mihi dubium est, qvin te ita gesturus sis, ut nos omnes majorem in modum, in ordinem nostrum te receptum fuisse, gaudeamus. Surge igitur, & felici omine atqve auspicio in verba nostra jura: teqve nostris institutis ac legibus, qvamdiu fueris è Collegio nostro, promptè pariturum, sanctè religioseq; confirma.

Cum Vadimonii interpositione.

Apostrophe.

PRO HIERONYMO CROTTO JURISCONSULTO, Dum in Academiam Mediolanensem reciperetur.

ORATIO VII.

Coincidit cum prioribus jam duabus, ut videre est ex titulo.

SI qvantum animæ lætitiæ voluptatisqve capio, Academici, qvoties in hac tot eruditissimorum hominum frequentia, qvæ qvotidiè maximorum ingeniorum accessione fit illustrior, de recipiendo in Collegium nostrum aliqvo nobili viro verba facturus sum: tantum eloqventia dicendiqve facultate præsta-

Exordium à sui ipsius ingenio ad dicendũ prompto.

Per collationem.

præstarem efficerem profectò; ut nullius unqvam hominis orationem neqve jucundiorem nobis, neq gratiorem fuisse judicaretis. Incredibile enim dictu est; qvàm immenso meus animus gaudio cumuletur, qvantis incedam lætitiis, qvam magna voluptate perfruar; cùm & consensum hunc nostrum tàm honorificum video, in qvo plurima sunt florentissimorum ordinum lumina; & tàm multos alios præstantes esse viros intelligo, qvi nostrum in ordinem admitti, qvotidiè magnoperè flagitant. Sed omninò vereor, ne id fortassè mihi in dicendo accidat, qvod iis, qvi sæpenumero præ nimia lætitia sic auferuntur, ut vel tanqvam attoniti qvasi alienata mente penitùs obmutescant: vel suprà modum exultante animo, qvicqvid in buccam venerit, rudi atqve incomposito sermone balbutiant. Qvod si unqvam propè infinita, ac penè dixerim immoderata voluptas, animum meum qvasi titillavit: hodierno certo die, qvo virum omni genere laudis florentissimum Hieronymum Crottum Jurisconsultum in Academiam nostram, omnium suffragiis cooptatum, recipimus, sic afficior animo: ut in hoc jucundissimo conspectu vestro, tanqvam in cœlo cum DEIS immortalibus vitam agere beatissimam ipsi mihi videar. *Nam ego vitam Deorum* ut ait ille apud Comicum, *propterea sempiternam esse arbitror, qvod voluptates eorum propriæ sunt.* Sed unde potissimum exordium orationis meæ sumam? qvid primum aut postremum dicam Academici? Cùm enim tria tantùm esse videamur, qvibus in hoc dicendi genere, cùm aliqvem in ordinem nostrum admittimus, uti possimus: primum, ut eum pro dignitate sua laudemus: alterum ut ad labores & vigilias adhortemur: tertium, ut qvid

αἰτιολογία.

Ἀντίθεσις ab adverso eventu.

Ἀπόδοσις ad præsentem candidatum

Per ὑπερβολήν.

Propositio cum partitione triplici.

qvid illi deinceps agendum sit, admoneamus: omnia me hoc tempore verè deficiunt: ut non mediocriter verear, si eis uti velim, ne rem perabsurdam videar efficere. Qvid enim? Laudem ne virum hunc tam eximiâ singulariq; virtute præditum, ut nullius tantum sit flumen ingenii, nulla dicendi tanta copia, qvæ minimam ejus partem exornare satis pro dignitate posse videatur, adhorter ne ad labores omnium post homines natos laboriosissimum hominem? Admoneam ne eum, qvi prudentissima aliis consilia dare, atq; optimè cavere consuevit? Qvænam igitur mihi reliqva est oratio? Nulli (ut opinor) alia, nisi ea, qvæ forsitan omnibus nec opinata atq; auditu admirabilis apparebit: ut te, Hieronyme Crotte, præsentem alloqvar, & primò honestissimam istam vitæ tuæ institutionem, præstantissimasq; virtutes paulò liberiùs accusem, & licentius familiariusq; reprehendam: atqve ita novo qvodam dicendi genere veram adhortationi laudem, admonitioni fidelem adhortationem permisceam: ut si qvid in te forsitan esse cognoveris, qvod aliqvo modo meliùs conformari, & elegantiùs emendari possit, tu pro summa prudentia tua qvotidiano studio diligentiaq; perpolias. Sunt enim in optimis etiam ingeniis, ut in fertilissimis agris & fructuosissimis arboribus, qvædam interdum amputanda. Videre licet, agricolas, qvas cupiunt arbores ad speciosam magnitudinem evehere, non tantùm à radicibus stolones & virgulta subtrahere: sed etiã ramos omnes & frondes, qvæ è trunco pullulant, abscindere: ut qvi reliqvi fiunt rami, firmiores & venustiores efficiantur. Eodem modo velim te, Hieronyme, sublimen istum & excelsum animum tuum à minutioribus curis & officiis, qvibus ut clientibus

1. Ab Encomiô candidati.

2. A calcari ad industriam.

3. A commonitione.

Πρότασις ἐπανορθωτική. Propositionis finis & effectus.

Ratio à simili.

ἀπόδοσις.

A minori ad majus.

tuis

tuis inſervias, aſſiduè diſtineris, aliqvando prorſus
liberare : qvo divina vis ingenii tui majoribus &
Ratio. ſplendidioribus in rebus clarius eluceſcat. Nam
immenſa qvædam naturæ tuæ bonitas ab humaniſſi
mo animo profecta, ſæpenumero te ita commovet,
ut dum omnibus & civibus tuis & peregrinis atqve
advenis ſatisfacere temporibus ſuis majorem in
modum concupiſcis, nimium te qvodammodò
vulgarem præbeas. Qvo fit ut interdum animi tu
mirifica pulchritudo divinum vulgorem ſuum
tam minutis in rebus explicare non commodè poſ
ſit. Qvod facere non debes, ſed ad longè majora
Illuſtratio ab egregio ſimili præſtantioraqve animi ornamenta teipſum erigere
atqve ſuſtollere. Ut enim mulieres præſtantiſſim
corporis venuſtate facieqve formoſiſſimâ, licet ipſæ
ſuum nimium pulchritudinem agnoſcant, & in ea
mirificè ſibi placeant atqve glorientur : non tamen
ea contentæ, pretioſis etiam veſtibus exornare vo
lunt & argento, auro, margaritis undiqve ſplende
Virginum pulchrarum geſtus & affectiones. ſcere : qvoqve pulchriores & venuſtiores ſunt, eò
ſolent ambitioſiore cultu delectari, neqveunqvam
in publicum prodire, niſi priùs diligentiſſimè con
ſulto ſpeculo, in qvo ſuam intuentes & admirantes
imaginem cum qvadam animi dulcedine molliqve
ſuavitate, ita capitis ornamenta, capillos, ſuperci
lia, faciem, totum deniq; corpus accurratè compo
nunt, ut cùm domo tandem exeunt, qvacunqve in
cedunt, omnium in ſe oculos atqve ora convertant
& non tantùm fervidorum juvenum; ſed etiam
Ἀπόδοσις ſimilitudinis. plerumqve gelidorum ſenum pectora jucundo vul
nere ſaucient. Idem tibi, Hieronyme, diſpari in
genere cenſeo faciendum. Finxit enim te ipſa
Ratio. natura corpore nobiliſſimum, animo præſtantiſ
ſimum; ac honeſtatem, temperantiam; animi ma
gnitu

gnitudinem, ad omnes deniqve virtutes magnum hominem & excelsum: dedit tibi fortuna divitias, opes plurimas, cujusqve generis facultates, accessit his tot educatio disciplinaqve liberalis. Posteà labore atqve industriâ, ex qvo tempore factus es Jurisconsultus, cum in respondendo jure, tùm etiam aliis præclarissimis negotiis maximos tibi honores ac dignitates acqvisivisti: ut in hac florentissima civitate nostra paucissimi sint, qvi tibi vel nobilitate generis, qvo summo es natus, vel fortunæ commodis, vel eruditione, vel dignitate; vel omni genere virtutum anteponi jure possint. Qvid ergò? Dicam audacter, fretus humanitate tuâ, qvod sentio; licet fortassis hæc oratio mea mihi detrimento sit futura, si te à causis forensibus & clientum patrocinio, revocavero, qvi te causarum mearum acerrimum patronum ac defensorem habeam: sed nihil mihi tanti est: damnum etiam grave libentissimè patiar, modò te verissimæ laudis ac dignitatis studiosissimum habeam. Esto igitur in suscipiendis causis paulò ambitiosior: noli tàm officiosum, tàm comem, tàm humanam te omnibus præstare: noli tàm variis aliorum negotiis implicari: sed animi tui præclaram & eximiam pulchritudinem intuere, teqve in ea freqventer oblecta, eam unam, omnibus virtutum ornamentis adhibitis, qvotidiè magis atqve magis illustrare contende: neqve unqvam patiaris, ut qvicqvam ab animo tuo proficiscatur, qvod non eximium, excultum, expolitum, elaboratum & planè aureum esse videatur. Ne istud qvæso tàm excellens & illustre ingenium tuum tam freqventer sese efferat & ostendat: sed potiùs freqventer desiderium sui commoveat, & qvoties in publicum exire concupiscit,

Ab aria virtute.

1. A fortunæ bonis.

2. Animi.

3. Corporis.

Παῤῥησία.

Cum argumentis dissuasionum.

Concessio.

Correctio.

Ob animi bona excolenda

Existimatio qvi conservetur & concilietur major.

cupiscit, priùs in lucido mentis speculo suam imaginem intueatur, & omnes partes suas ita componat, ut & nativâ pulchritudine suâ & adhibitis ex industria ornamentis, omnes homines in admirationem & stuporem trahat. At fortassè dices: Nonne præclara qvædam res est & liberalis, & munifica, planeqve regia, opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis: qvod nos Jurisconsulti facimus, dum causas clientum suscipimus, & in judicio defendimus? Sit sane res aliis præclara, qvi nihil melius præstare possunt, qvàm Juris nodos & legum ænigmata versare: qvi lucri causâ in Bartoli Baldiqve commentariis, cum animi perpetua molestia consenescunt, qvi sæpè numero dum clientem suum nimis studiosè defendunt, æqvitatem & veritatem impugnanti, & lites atqve controversias immortales efficiunt: inqve his excogitationibus & curis omnes animi fructus & voluptates amittunt. Tibi verò, Hieronyme, qvid honoris aut dignitatis ista res afferre potest? Mitto enim de lucro dicere: primo qvia generosam istam mentem tuam, semper egregia, magnifica atqve immortalia facta spectantem, nulla unqvam nimia lucri cupiditas invasit: deinde qvia domina rerum fortuna tibi adeò benigna fuit, ut omnium bonorum copiis circumfluas? Non igitur ut rem familiarem amplifices, qvod unum pleriqvè student, in litigiosis Jurisconsultorum concertationibus tibi diutiùs est immorandum; ne optimam tibiipsi naturam & præstantissimam ad elegantiores omnes disciplinas indolem invidisse videaris. At dignitatem habet, consulentibus de jure respondere. Habeat sanè vel maximam: nihil enim repugno, ut fortassè truces aliqvos in me Bartolianos, tanqvam

trabro

ὑποφορά.

Ἀνθυποφορά. Per concessionem.

Plebei JCti, & rabulæ forenses.

Ἐπανόρθωσις. 1 Ob exiguum lucellum.

2. Ob famæ celebritatem.

crabrones asperrimos,irritem: qvamqvam multos eorum, & qvidem magni nominis, esse non me lateat, qvos vehementer professionis suæ pœniteat. Sed tu profectò, Hieronyme, pro tua præstanti prudentia vides, primò qvàm multi sint in hac civitate nostra Jurisconsulti; deinde qvam pauci magno sint in honore ac pretio: tùm qvot & qvantis assiduè molestiis conflictentur: postremò, qvod caput est, qvàm ferè nulli de se memoriam, qva se vixisse testentur, ullam derelinqvant.

Ἀντιθετισμὸν ἔνστασιν contrariorum exemplorum

Exime igitur te, è multorum numero, qvi rarissimum sortitus ingenium: qvære verum decus ac dignitatem, ad qvam te parens omnium Natura, vel potiùs Deus ipse formavit; libera tè à strepitu forensium controversiarum, qvæ clarissimam animi tui lucem obtenebrare qvodammodo videri possunt: ingredere illam, qvam tibi præclara naturæ tuæ munera patentem & facilem reddunt, immortalitatis viam: fac, ut aliqvando posteri sentiant, qvàm divinum fuerit ingenium tuum, qvàm felix memoria, qvàm acutum judicium, qvàm celeres animi motus, qvàm incredibilis eloqventia, qvàm deniqve rebus in omnibus gerendis admirabilis & expedita velocitas.

Conclusio principalis.

Nam illud tibi jurejurando affirmare non dubitârim, si te isto ingenii acumine tamqve firma memoria, relictis aliis occupationibus, totum optimarum artium studiis tradideris, & orationem tuam, qvæ torrentis modo prudenter & copiosè fertur ad illud absolutissimum Ciceronianæ eloqventiæ candorisqve exemplar omni diligentia conformaveris, talem brevi tempore evasurum, ut non tantùm eis, qvi nostro tempore vivunt, anteponi facilè possis: sed etiam antiqvitatis memoriam exuperes.

Conclusionis ratio ab effectu digniore.

Verùm nulla mihi dubitatio est, qvin ad

Præcisio.

hanc summæ dignitatis arcem, qvæ nobis omnibus proposita est, tu qvoqve nobiscum toto, qvod ajunt, corpore atqve omnibus unguiculis ascensurus sis. Vos autem, Academici, mecum una magnopere gaudete, qvod viro tàm præstante sit aucta societas nostra; qvi, si pro virili parte sua conatus fuerit, ut omninò facere constituit; communem hujus ordinis laudem & gloriam amplificare facilè possit ac valeat.

Cum voto.

MAGDALENÆ COMITIS, MATRIS SUÆ MORTUÆ LAUDATIO.

ORATIO VIII.

Est oratio funebris in exeqviis maternis. Ideoq; ad genus demonstrativum pertinet. Est pium omninò & liberos decet parentibus placidè demortuis justa facere; ut id ex qvarto Decalogi præcepto liqvet. Honora Patrem & matrem.

ETsi propter hanc acerbissimam & maximè luctuosam honestissimæ parentis nostræ Magdalenæ Comitis mortem, tàm ingens animum meum dolor invasit, tàm immensa ægritudo mentem occupavit, tantus ingenium mœror oppressit, ut nec apud me satis esse videar, nec aliqvam hujus tanti mali allevationem excogitare valeam, nec, qvid dicam, attendere facilè possim; tamen cùm tuam istam, Pa-

Exordium occupatorium cum affectu à re ipsa. Cum excusatione sui ob perturbationem.

ter optime, tàm gravem mœstitiam atqve afflictionem conspiciam, qvi charissimam & lectissimam conjugem amisisti: meam consternationem sentiam, qvi matre jucundissimâ privatus sum: harum qvatuor sororum infelicissimarum luctum & sqvalorem videam, qvibus alienissimo tempore dulcissima vitæ dux & moderatrix erepta est; tot cognatorum & affinium nostrorum, qvi in hoc funus prodierunt, tristitiam intuear: mihi profectò ipsi meoq; immenso dolori vim inferre constitui. Qvoniam ita tibi, Pater amantissime, ita vobis, propinqvi gratissimi, visum est, ut ego potissimum, qvem hæc tanta calamitas maximè perculit, tametsi neqve ætate neqve ingenio satis valeam, vos consolandi munus, qvi magis ipse consolandus sum, matrisq; meæ peractam sanctissimè vitam ornandi, qvo mortem ejus aliqvando leviùs feramus, partes susciperem: conabor igitur etiam contra sapientum hominum præcepta, qvi recenti vulneri medicinam adhiberi negant oportere, si qvo modo fieri poterit, in hac tàm mœsta concione nonnulla dire; qvæ fortassè, nisi veram rationem nostra hæc tàm ingens ægritudo vicerit, aliqvâ ex parte gravissimum dolorem nostrum sublevare poterunt. Sed heu me miserum & inf licem: Frustrà conor vestrum istum fletum reprimere, qvi ipse incredibili fletu conficior: frustrà laboro vestrum dolorem mitigare, qvi inusitato ipse dolore contabesco: frustrà esse forti animo contendo, qvi neqveam ab isto tàm miserabili spectaculo cogitationem ac mentem meam revocare: qvi paulò ante videbam totam domum nostram qvietam ac tranqvillam à præstanti matris prudentia rectissimè gubernari: patrem de rebus domesticis nihil solicitum, sed

Objectionis ratio.

Applicatio.

Propositio consolatoria.

Contrarii ratio.

Matrisfamiliâs vivent is munia.

potiùs securum sua foris negotia maximo commodo tractare: sorores, industriæ matris æmulatrices, alacri animo continenter operibus suis instare, me liberalium artium studiis & præceptoribus assiduam atque diligentiam operam dare. Nunc verò necopinato matris interitu, qvàm repentè mutata omnia? Universa domus penè destituta: luctu, sqvalore, lacrymis, funestis atratisqve vestibus deformata: plena omnia perturbationem, plena miseriarum. Qvid tibi pater ærumnossime fiet? qvi tot parvulis filiis oneratus, qvam tantoperè diligebas, fidelissimam laborum omnium & totius vitæ tuæ consortem à te divulsam & abstractam tàm importunè videas? O calamitosum & infelicem Patrem! Qvod enim tibi gravius aut acerbius vulnus accidere potuisset? qvod malum atrocius? qvæ tristior calamitas? qvæ miseria funestior? qvi tua ipsius morte, si qvo modo data facultas esset, conjugis vitam libentissimè redemisses. Qvid vobis infelicissimæ sorores? qvæ jam ea ætate estis, ut infortunium vestrum agnoscatis, & nullas ad resistendum dolori vires habeatis. Siccine crudeli fato visum est, ut vobis ista ætate tam tenera, qvæ maximè maternis consiliis indigebatis, qvæ nullam adhuc, aut certè minimam ad domum regendam habere prudentiam potest, ea mater, qvæ tàm honestè vos alere, tàm pudicè educare, tanta industriâ vos exercere instituerat, qvæ deniqve omnia piæ sanctæqve matris officia proseqvebatur: ea, inqvam mater, qva una acqviescebatis, (proh dolor!) hoc tam alieno tempore vobis, mihi, parenti nostro, præter omnem expectationem erepta sit? Certè non tàm ferreus esse possum, ut aut vos à lachrymis oratione meâ tàm citò retraham, aut ego

Affectus à materno amore.

Exclamatio.

Apostrophe ad sorores.

ego vobiscum non effusiùs illachrymem, cùm præsertim coram intuear hunc calamitosissimum parentem nostrum, non sine justissima causa maximoperè dolentem ac mœrentem, qvi tàm fida socia, tàm cara conjuge, tàm diligenti matrefamiliàs orbatus sit. Qvi licet ea mente sit atqve sapientia, ut nulli fortunæ, qvamvis adversæ, cedendum esse arbitretur, sed omnia potiùs humana moderatè esse toleranda judicet: tamen nihil de se suaqve miseria cogitans, cùm ad vestram ætatem respicit; cùm ad familiæ destitutionem, cùm ad communem omnium nostrum fletum ac mœrorem; facere nullo modo potest, qvin ingentibus doloris facibus incendatur atqve discrucietur. Ego verò cum recordor, qva matre privatus sim, qvæ me usqve ab infantia tàm religiosè semper instituit, tàm amanter optimis moribus erudivit, tàm ardenter ad ingenuas artes excitavit, tàm liberaliter educavit, tanta cum industria, labore, diligentiâ me ad hanc usqve ætatem perduxit; immensam qvandam atqve infinitam animo tristitiam percipio: qvod hoc potissimum tempore, cùm aliqvos ex me fructus, aliqvam ex studiis meis consolationem ac lætitiam percipere debuisset, è vita discesserit. Hoc me dolore conficit, hoc me maximè perturbat, hoc acerbè cruciat, qvod à me nihil hactenus, Mater sanctissima atqve optima, præter labores & molestias recepisti; dum nulli sumtui parcis; dum in re familiari tenuissima, meis tamen studiis, qvantum satis sit, assiduè subministrat; dum me interdum remissiorem ad scientiarum & virtutum cursum excitas. O spes fallaces, inanesq́; cogitationes nostras! Qvoties ego te, Mater, variis propter temporum acerbitatem iniqvitatemqve casibus

àSympathei-a inter conjuges.

Translatio luctus à patre in liberorum amorem.

Φιλοστοργία.

τὸ ἀντιπελαργεῖν.

Excusatio à spe decollatâ.

Exclamatio in eventu contrario per qvæstionem.

afflictam, consolatus sum? qvoties tibi præsenti multa pollicitus? qvoties ex profectu meo te diuturnam aliqvando voluptatem percepturam frustrà vaticinatus sum: Qvæ cum ego certissima fore crederem, atqve hac inani spe multum oblectaret, nunc ex improviso omnia, qvasi turbine aliqvo labefactata, corruerunt. Hunc ego diem tàm funestum & lacrimabilem, tàm brevi futurum unqvam existimâssem? Hunc ne igitur fletum ego, mater, has inanes lacrimas, pro tot laboribus & ærumnis, qvas pro me sæpissimè pertulisti, tibi restituo? Suntne hæc promissa mea, qvibus te frequenter onerabam? qvibus jactabam, fore aliqvando, ut ætas tua jam ingravescens, in adolescentia mea conqviesceret: Tu me summa cum molestia, mater educâsti: noctes & dies, ut mihi studendi otium suppeditares, elaborâsti: tibi ego jam nihil præter luctum & lacrymas, & hæc inania funeris munera restituere possum. Non eqvidem ego te dicam infelicem, mater; qvæ tàm religiosè, tàm integrè, tàm castè, tàm piè semper adhunc extremum usqve vitæ tuæ diem, qvamvis in perpetuis ferè molestiis propter temporum iniqvitatem, vixisti: sed nos potiùs calamitosos & miseros, qvos tàm alieno tempore deseruisti. Tu relictis hujus vitæ, qvæ potius mors est appellanda, miseriis, cœlestem in locum subvolâsti, ubi ævo sempiterno beata perfrueris: nos tui desiderio contubascentes ærumnosam vitam ducimus. Verùm si fieri potest, pater, sorores, cognati, affines immensum hunc dolorem aliqvantulum comprimamus, mollierem nostri animi partem coërceamus, rationem ipsam optimam ducem seqvamur. Qvid enim est, qvod diutiùs lugeamus, pater optime? Qvid opus est, ut vos ampliùs affictetis, sorores

Et q. q̃uandam Ironiam.

Baculi senectutis liberi Parentibus.

A dispari.

Contrarium per collationem.

Ratio.

Correctio nimii luctus.

sorores charissimæ? Mater qvidem nostra florenti adhuc ætate, qvippe qvæ nondum ad qvadragesimum annum pervenerat, diem suum obivit: sed ad vitam longè beatiorem transmigravit. Qvamobrem illi nihil mali prorsus accidit: qvicqvid fuit in ejus morte mali, in eam nihil, in nos totum redundavit. Sed cum perspicuum sit, fletum hunc nostrum nihil omninò nobis prodesse posse: tandem animos & cogitationes nostras à lachrymis ad matris honestissimam vitam intuendam erigamus; & immortali Deo potiùs gratias agamus, qvòd talem nobis matrem dederit; qvàm indignemur, qvod eandem nobis abstulerit. Adeste igitur, qvæso, animis omnes, & paulisper mecum fletum & lacrymas cohibete; dum breviter ea recenseo, qvæ fuerunt in parente nostra summoperè laudanda: ut ad ejus potiùs imitationem animos excitemus, qvàm ipsam jam fato functam, diutiùs lugeamus. Magdalenæ parenti nostræ paternum & maternum genus ab antiqvissima Comitum familia deductum est: qvi ab Amphortio Desiderii Longobardorum Regis sororis filio, nostri generis auctore, prognati sunt. Is enim cùm ab avunculo Desiderio totam hanc regionem dono accepisset, Majoragium vicum extruxit, atqve in eo turrim, cujus adhuc in domo nostra post septingentos atqve amplius annos qvædam extant vestigia atq; fundamenta. Qvod autem extiterint è familia Comitum & arte militari præstantes, & omni scientiarum genere clari viri, nihil opus est, ut hoc tempore commemorem: cùm permulti sint annales, atqve Historiæ Mediolanensium, qvæ hoc apertissimè testentur. Nam satis ad laudem Matri nostræ, qvatenus ad genus attinet, existimo, qvòd patrem habuerit Primum Comitem;

Ratio à permutatione meliore.

2. Ab absurdo & supervacuo.

Petitio cum propositione laudis maternæ per locos personarum.

1. A stirpe seu prosapia illustri.

2. A Parentibus Generosis

A Patre. qvi per se qvidem egregius atqve excellens vir fuit, sed propter singulares atqve eximias filiorum suorum & filiarum virtutes longè factus est clarior atqve illustrior. *A matre.* Habuit enim mater nostra, qvod pleriqve meministis, qvinq; fratres, omnes qvidem eximios & præstanti virtute præditos, sed duos *3. ab agnatis.* præcipuè, Petrum & Jacobum, viros eruditissimos, atqve in omni literarum genere plurimum ac diu exercitatos, longeqve cæteris æqvalibus suis ante- *1. Petrus excellens orator.* cellentes. Nam Petrus avunculus noster, per multos annos Mediolani summâ cum gloria bonas literas & artem oratoriam publicè docuit. Qvi cùm elegantiæ sermonis, & latini candoris maximè studiosus esset, politiores literas, propè jam injuria temporum amissas, restituit; ad veterum scriptorum imitationem eloqventiæqve gloriam Mediola- *2. Jacobus insignis sacerdos.* nensem juventutem excitavit. Jacobus autem ejus frater Sacerdotio insignis, qvamvis assiduè literarum studiis operam daret, & ut erat, doctissimus haberetur, tamen ad religiosam potiùs vitam, in *Tres alii institores.* qva tantum excelluit, ut mirum omnibus esse videretur, qvam ad scientiæ gloriam adspiravit. Reliqvi verò tres avunculi nostri, homines navi & industrii, variis in urbibus summa cum fide negotiis & mercaturis incubuerunt. E qvorum numero Aloysio, hujus eruditissimi viri Primii Comitis, consobrini nostri pater, non sine summa laude, reiqve *3. à vita genere per enumerationem virtutum muliebrium.* militaris magna scientia sæpiùs ordines duxit. His qvinqve fratribus tam egregiis viris mater nostra felix ac fortunata videri potuisset; nisi, cùm maximè florerent, qvasi fatali qvadam calamitate omnes amisisset. Nam ipsa cum esset omnium natu minima paterna in domo, qvam Primus ejus parens prisca illa severitate atqve religione gubernat, hone-

stissim

ſtiſſimè educat; tantum, vivente adhuc matre ſua Heliſabetha Sacca, lectiſſima fœmina matronaqve diligentiſſima, profecit, ut poſt matris mortem parvula relicta, qvippe qvo duodecimum tantùm annum attigerat, ſenili qvadam prudentia domum regere cœperit; neq; enim erat alia hærilis qvæ res domeſticas eo tempore curaret, fœmina: cùm ejus ſoror Catharina, vivente adhuc matre, nupſiſſet. Itaq; mater noſtra circiter annos qvatuor domeſtica negotia ſemper qvidem virginali cum verecundia, ſed tam accuratè, tam ſedulò, tàm cautè, tractavit, ut & parenti & fratribus omnem domeſticarum rerum moleſtiam penitùs adimeret. Non enim puellari levitate, ſed matronali conſtantia cuncta adminiſtrabat. Et qvamvis onus totius regendæ atq; alendæ familiæ ipſa una puella ſuſtineret: nullo tamen labore aut moleſtia frangebatur; ſed alacri ſemper animo, & blando vultu, facieqve lætâ, & renidenti ore ſuis operibus continenter inſtabat: cùm interim ita vitam ſuam inſtitueret, ut pie ſanctèq; viveret, & divinis rebus intereſſe qvotidiè contenderet: atqve in pauperes, qvantum ejus facultas ferret benigna atq; liberalis eſſet: nihilqve audire aut ferre poſſet, qvod à Chriſtiana religione atqve caſtiſſimis auribus abhorrere aliqvo modo videretur. Qvæ res partim ab ejus optimo prudentiſſimoqve ingenio, partim à ſevera parentum educatione ſanctaqve inſtitutione proveniebant. Qva enim temperantia, Dii boni! qva abſtinentia vivebat! Vinum aut nunqvam, aut certè rariſſimè deguſtabat atqve id adeo dilutum, ut ne vini qvidem ſaporem retineret. Lautiores omnes epulas omninò reſpuebat: panem, pomis, oleribus ipſa ferè contenta: fratribus tamen ſuis ac cæteris domeſticis opiparè ſplendideqve menſam apparebat. Hoc enim

Qvæ eſt cura domeſtica.

4. Ab induſtria.

5. à Pietate.

6. ab Educatione.

7. à Frugalitate & temperantia.

enim à matre sua prudentissima fœmina se didicisse prædicabat: Virorum propriam virtutem esse fortitudinem, fœminarum sobrietatem ac temperantiam. Qvare propter eam, qva utebatur, in victu continentiam, firmâ semper valetudine fruebatur. Et qvamvis ita parce sobrieqve viveret: tamen adeo liberali atqve honestâ facie splendebat, cum qvadam nativi candoris & ruboris svavitate: ut qvicunqve eam aspicerent, ejus venustatem magnopere commendarent. Rarissimè tamen in publicum prodibat: ac nisi cum Sacrorum gratia templa Deorum immortalium matutinis horis freqventaret, intra domesticos parietes sese continebat. Proprium enim ac suum esse munus, à parente & fratribus didicerat, domum sedulò custodire, & qvæ domi essent jam à viris acqvisita, diligenter conservare: qvod cum omni studio, cura, diligentiâ faceret: ita tamen erat in tuenda re familiari diligens, ut omnis abesset prorsus ab ea illiberalitatis atqve avaritiæ suspicio. Nam qvæcunqve jam condiderat, atqve reposuerat: cum opus esse videret, tam hilari fronte promebat, ut & parens & fratres ejus alacritate liberalitateqve majorem in modum lætarentur. Qvid de ejus pudore verecundiaqve dicam? qvæ tanta erat, ut, si qvando fortè notâsset, ab aliqvo viro se paulò intentius aspici, statim incredibili rubore perfunderetur; & qvamprimùm commodè atq; honestè posset, sese adspectui subtraheret. Qvin effusiùs ridere non modò ab externis nunqvam hominibus, sed ne à parente qvidem & fratribus suis unqvam visa est. Ab inani verborum profluentia, muliebriqve loqvacitate usqve adeò abstinebat, ut ne cum æqvalibus qvidem suis diutiùs aut copiosiùs loqveretur: sed rerum utilium & honestarum

8. à Pulchritudine corporis.

9. à pudicitia, smaragdo virginea.

10. à taciturnitate.

rum

rum auditione contenta, silentio atqve taciturnitate mirificè gaudebat atqve oblectabatur. Neqve enim cum aliqvid semel audivisset, qvod ad vitæ honestatem attineret, unqvam amplius oblivisceba tur. Memini ego, cùm de fratre suo, doctissimo viro, Petro Comite loqveretur, solitam dicere: cum is Mediolano, ubi publicè Oratoriam artem profiteretur, in Catellianum, domum ac patriam suam aliqvando veniret, se qvadam ejus admiratione ductam; qvæcunqve ille dixisset, diligentissimè semper audivisse, atqve memoriæ mandâsse: illudqve præter cætera, cum vix decimum annum ageret, ab eo didicisse: Maximam esse fœminæ virtutem, si qvam paucissima loqveretur: qvod ita dictum esset à qvodam Græco sapiente: Mulierem ornat silentium: atqve hanc fuisse causam, cur postea semper taciturnitate fuerit oblectata. Cum igitur in ea virginali ætate ita viveret, & omnibus, qvi eam agnoscerent, perqvam amabiles mores suos vehementissimè probaret, & esset qvasi qvoddam antiqvi pudoris pudicitiæqve veteris exemplar; tu Juliane pater, hac fama impulsus, pro ea, qvæ tibi cum ejus parente atqve fratribus summa intercedebat familiaritas & amicitia, qvamvis adhuc esses admodum adolescens, in uxorem tibi petere decrevisti. Qvam rem, cùm propter veterem familiæ dignitatem atqve necessitudinem, qvod ab eadem Comitum gente natus esses, tum propter singularem atqve egregiam virtutem tuam facilè impetrâsti. Nec verò postqvam viro copulata liberius vivendi potestatem nacta videretur, à pristinis illis suis sanctissimis moribus latum unqvam (qvod ajunt) ungvem discessit; uni se viro suo ornabat, unum amabat, uni placere studebat: neq; conviviis, qvod pleræq; novæ nuptæ

Meliùs audire, qvàm multa effutire.

Γυναικὶ πάσῃ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.

Effectus dotum virginearum, id est, honestum conjugium.

Continuatio virtutum.

nuptæ solent, aut choreis, aut ludis publicis capiebatur; sed ea potius omnia, tanqvam flagitiorum irritamenta, detestabatur. Simplex erat in ejus ornatu mundicia, non affectata, non exqvisita nimis; sed qvæ castum & pudicum animum apertissimè præ se ferret. Et qvamvis in omnibus suis actionibus, & in omni sermone maximè puram & integram mentem ostenderet; tamen in domestico victu atqve consuetudine, tantâ ingenii suavitate, tantâ comitate atqve affabilitate prædita erat, ut te felicem & fortunatum, pater, tali conjuge sæpissimè prædicares. Nunqvam enim tibi se opponebat, nunqvam adversabatur, nunqvam contradicebat: sed cum te plus sapere, plus intelligere persuasum haberet, omnibus in rebus tuæ voluntati libentissimè morem gerere contendebat. Qvicqvid tibi vel boni vel mali evenisset, id eo vultu atqve eo animo accipiebat, perinde qvasi non tibi tantùm, sed sibi etiam evenisset. De te uno loqvi, de uno cogitare, ab eo pendere perpetuò solebat: neqve cum alio viro, qvamvis amico atqve necessario, aut paulò hilariùs ridere, aut familiarius colloqvi fas esse arbitrabatur. Res verò domesticas tantâ cum diligentiâ tractabat omnes, tam accuratè custodiebat; qvasi de minimis etiam qvibusq; rationem esset aliqvando reddîtura. Qvid illud? qvanti tandem æstimandum est? qvantoperè celebrandum à me præcipuè, qvi à tali matre me procreatum & nutritum esse, non tantùm summè lætari, sed etiam magnoperè gloriari soleo: qvod omnes filios suos, qvos tibi, pater, novem enixa est, te sæpiùs reclamante & contrà nitente, proprio lacte nutrire voluit: neqve unqvam passa est, qvamvis interdum esset parum firma valetudine nutricem præter se aliqvam filiis suis adhiberi. Qva una in

1. A munditie muliebri.

2. Ab affabilitate.

3. Ab obseqvio

4. Ab amore conjugali.

5. A cura rei domesticæ.

Exaggeratio à singulari facto.

re voluntati tuæ, pater, in tota vita sua refragata est. Tu enim ejus saluti valetudiniqve prospiciebas: qvod periculosum esse censeres, ad labores ac dolores, qvos in gestando utero atqve enitendo pertulisset, grave etiam atqve difficile nutriendo munus accedere: sed illa se totam atqve integram velle matrem filiorum suorum esse prædicabat: neqve suæ spei, sui sangvinis, suæ vitæ partem cum alia muliere communicare, qvo deinde filii vel duas se habere matres crederent, vel maternum amorem in nutrices transfunderint. Nam eas matres penè impias appellabat, qvæ cum lacte suo filios satis commodè nutrire possent, eos tamen, ne laborem nutriendi sentirent, ab sese ablegare in animum inducerent. An ideò nobis fœminis (ajebat) cùm uterum gestamus, ita volente rerum omnium procreatrice natura, primùm ubera turgescere incipiunt: deinde post partum lac enascitur, ut ab eo postea filios nostros, qvos proprio sangvine prius aluimus, statim natos, & vagitu suo nostram opem implorantes, rejiciamus, proprioqve ac suo nutrimento privemus? Qvorsum igitur in sinu mammas gestemus, si nunqvam eis usuræ penitùs sumus? Qvorsum edito partu, confestim ubera lacte complentur, si natos nostros eo spolienus? &, qvamprimum ut exarescant, efficimus? An non hoc est maximam liberis nostris injuriam inferre, si non eis alimentum cum ipsis natum præbeamus? Non ita me docuit Petrus Comes, vir excellentissimus, frater meus: qvi mihi sæpe narravit id, qvod omninò verissimum esse censeo: Longe plurimum referre, cujus lacte filii nutriantur: qvoniam unà cum nutricis lacte, mores qvoqve ejus & ingenium pleriqve sugere soleant: & qvanqvam à bonis parentibus orti sint, sæpenumerò tamen

Soboli lacte matris immulget.

Ratio facti, id est, lactationis propriæ.

1. A natura ipsa ductrice & doctrice.

2. Ab indigno.

Galenus in lib. qvòd animi mores seqvantur temperamentum corporis.

tamen in nutricum vitia atqve flagitia degenerare. Qvare nullo modo patiar ego, ut propter lactis alimentum à nobis atqve à parentibus nostris hominibus honestissimis, filii mei degenerent: aut nutricem potiùs alienam qvàm matrem propriam agnoscere statim atqve adamare condiscant. His atqve hujusmodi multis aliis rationibus adducta, cum tres masculos, & sex fœmellas pepererit, omnes proprio lacte nutrivit. Itaqve factum est, ut cum non esset admodum robusto corpore, sed imbecilli ac delicato, propter assiduum & rerum domesticarum & nutriendorum filiorum laborem, varios in morbos inciderit, & proximis annis superioribus minus prosperâ valetudine fuerit. Non tamen ab officio suo cessavit unqvam: neqve eam vel secunda vel adversa fortuna ab honestissimæ instituto vitæ cursu revocavit. Qva enim cura, qva solicitudine, qvo studio nos filios suos educabat? qva humanitate, qva comitate, qva indulgentia, qvæ recta & honesta essent, admonebat? qva dicendi severitate, qvo verborum pondere, qva castigatione, si qvid à nobis non rectè commissum fuisset, reprehendebat. Neqve enim ejus in nos animadversio unqvam ultra verba procedebat. Nam ingenuorum animos non verberibus, (ajebat) sed verbis, modo acrioribus, modò mitioribus fieri solere meliores. Qvare plus ipsa verbo uno paulò graviori proficiebat, qvàm cæteræ matronæ multis plagis potuissent. Qva qvidem docendi & castigandi moderatione facilè conseqvebatur, ut eam omnes & vehementer amaremus, & plurimùm vereremur. In domo autem nihil prorsus neqve visu fœdum, neqve auditu obscœnum esse patiebatur; nihil qvod aliqvo modo liberorum suorum animos posset ab honestate detorqvere. Jam vero

Conclusio facti laudabilis & pia matre digni.

Contrarium ob lactationis incommoda.

Correctio perregressum ad educationis indefessæ studium.

Educationis modus.

A castitate & integritate.

verò qvotidiè nos adhortabatur, ut veris bonis animum exornare ſtuderemus. Virtutem unam eſſe dicebat hominis propriam & ſtabilem poſſeſſionem: cætera omnia fluxa eſſe & fragilia. Qvocirca præcipiebat, ut nihil niſi de virtute cogitaremus. Sed me præter cæteros; qvem ad literas propenſo eſſe animo videbat, fratris ſui Petri Comitis exemplo freqventer ad ingenuarum artium ſtudia incendebat: de illo me præſente ſæpiſſimè loqvebatur, ejus doctrinam extollebat, honores & gloriam prædicabat; ut talis evadere conarer, hortabatur. Verum inprimis nos omnes ad immortalis DEI cultum & religionem excitabat: neqve qvenqvam noſtrûm matutinis horis è cubiculo priùs exire patiebatur, qvàm flexis ſuppliciter genibus, Deo preces piè ac religioſè fudiſſemus: idem etiam veſperi, cùm eſſemus cubitum ituri, fieri præcipiebat: ſiqvidem affirmabat, homini religioſo ac devoto nihil mali, neqve viventi neqve mortuo evenire poſſe. Summam igitur lætitiam & incredibilem voluptatem ex profectu noſtro capiebat. Nullus enim ex tot filiis erat, qvi non fideliſſimis atqve amantiſſimis ejus conſiliis parere omni diligentiâ ſtuderet, & qvi non illi rebus in omnibus obſeqvi contenderet. Itaqve cùm cæteræ matronæ ſuos ornatus, gemmas, uniones, torqves, armillas, precioſas veſtes oſtentarent; ipſa dicebat, Filios ſuos tam benè & liberaliter educatos, eſſe ſuas opes, ſua ornamenta, ſuas delicias. Et qvamvis omnes aqvaliter amaret: in me tamen, neſcio qvo modo, propenſiori eſſe animo videbatur: qvod ex docilitate meâ, qva mirificè gaudebat, me tantum in literis profecturum ſperebat, ut aliqvando fratris ſui gloriæ reſpondere poſſem. Memini enim decem abhinc annos, cum

Ab inſtigatione ad virtutem.

Specialiter per hypotheſin.

A religionis ſtudio & ardore.

Fructus educationis bonæ.

Collatio in impari longè.

Specialiter rurſus per hypotheſin.

Ratio ab eventu non frustraneo. adhuc admodùm puer essem, & vix duodecimum annum attigissem PetrusqveComes, ejus frater diem suum obiisset: qvamvis ex fratris interitu, qvem unicè diligebat, gravissimum dolorem accepisset; tamen eum dolorem ita consolari solita, qvod diceret, sesperare futurum, ut brevi tempore frater suus in me reviviscеret. *Effectus spei facta.* Qvæ spes ejus & prædicatio longè majores, ut verè dicam, mihi stimulos ad discendum addidit, & magis optimarum artium studia me semper deinceps accendit & inflammavit, qvàm omnes omnium præceptorum admonitiones & adhortationes. *Correctio ob impedimenta interjecta.* Qvod nisi postea tam turbulenta tempora subsecuta fuissent, fortasse multò magis in bonis literis, qvàm hactenus feci, proficere potuissem. Sed cùm in mentem venit, qvot miseriis & calamitatibus, proximis superioribus annis conflictati fuerimus, qvàm turbulentis tempestatibus propter ingentes bellorum tumultus exagitati simus: cùm recordor, qvantâ etiam nunc in rerum omnium perturbatione versemur: beneactum cum eis esse existimo, qvi ea mente, eâ religione, eâ fide, qva modo parens nostra, cum morte vitam commutarunt: *Exaggeratio impedientium per enumerationem.* Qvas enim calamitates non pertulimus? qvas miserias non vidimus? qvæ mala non experti sumus? qvibus tamen omnibus in molestiis laboriosa mater nostra se ita semper gessit, talem animi magnitudinem ostendit, ut non modò ipsa consolatione non egeret, sed alios etiam, ultrò consolaretur, & ad fortiter omnia perpetienda multis rationibus animaret. *Ratio per experientiam in bellica strage,* Cum enim hostium impetu longè lateqve vastatis agris omnibus, depopulatâ regione nostrâ, direptâ domo, rebus ad usum vitæ necessariis spoliati nos in montes & sylvas abdidissemus, ne crudelissimis hostibus præda fieremus:

In ea solicitudine mater novem filiis circundata, qvi omnes fame frigoreqve confecti, miserabiliter lachrymabant:(qvamvis enim pecuniæ non deessent, tamen neqve panis usqvam, neqve cibi ulli reperiebantur)non se tamen,ut pleræqve aliæ solebant, fletu muliebri conficiebat; sed potiùs & ipsa animum ultrò colligebat: & te, pater, præsentem cùm propter ingentes illas miserias paulò demissiore animo videreris, ad constantiam, ad patientiam, ad perseverantiam excitabat, & nostrum fletum ac lachrymas, spe fortunæ melioris, qvàm poterat blandissimè,solebat. Qvid ea mentis altitudo parentis nostræ, qvàm admirabilis ac divina fuit? cùm tu, pater maximoperè solicitus, ne propter inediam penitùs in desertis illis locis deficeremus atqve interiremus, ubi passim fame enectorum projecta cadavera conspiciebantur, in proximos vicos, ut nobis cibos qværeres cum pecuniis descendisses, & statim ab hostibus interceptus atqve captus fuisses. Qvàm calamitosus, Dii immortales, qvàm infelix, qvàm ater ille nobis dies fuit! qvàm ipsa etiam sola cogitatione horribilis! Relicta erat mater in solitudine, sine ulla prorsus aut cognatorum aut affinium, aut sociorum ope,qvi vel fame interierant, vel in hostium potestatem devenerant,vel in alias solitudines aufugerant: aderamus nos filii longâ inediâ & diutinâ fame penè enecti, reditum tuum, pater, magnâ cum aviditate expectantes, & eo ipso die sperantes aliqvid te tandum nobis allaturum, qvo vescentes famem aliqvantulum allevaremus: cùm subitò nuncius acerbissimus affertur, te captum ab hostibus, spoliatum pecuniis,&in vincula conjectũ fuisse. Pro deûm hominumqvè fidem! qvæ fuit in hac tàm ingenti calamitate matris nostræ constantia? qvæ

Affectus vehementis specimen.

Super exaggeratio in graviore casu ob majorem constantiã.

Cum narratione.

Exclamatio in re magna & mira.

mulier hoc acceptò tàm repentino, tàm gravi, tàm acerbo nuncio, non ſtatim ejulatum immenſum edidiſſet? non ululatu & gemitibus totam eam ſolitudinem repleviſſet? non ſibi genas & faciem laceràſſet? non Divos & Divas omnes crudeles appellaſſet? non animum deniqve prorſus deſpondiſſet? At mater nihil hujusmodi commiſit: ſed cùm nos omnes largo fletu totam irrigare faciem & corpus videret, & miſerando gemitu vociferationeqve ſupremum animi dolorem teſtari; diu qvidem præ mœrore nos incredibili commiſeratione reſpiciens, nihil elocuta eſt; deinde verò magno qvodam ab imo pectore deducto ſuſpirio: Nolite (inqvit) omninò deſperare, atqve animum demittere, dulciſſimi filii mei: fortaſſe DEUS propter aliqvod delictum noſtrum hanc etiam novam calamitatem reliqvis adjecit. Sed benè habet. Qvod pater veſter non, ut alii plurimi, fuit ab hoſtibus interfectus, ſed tantùm in vincula conjectus, hoc à divina providentia factum eſſe, pro certo habeamus. Neqve enim omninò Deus nos deſtituet; non patietur nos hac miſeria diutiùs affligari: vobis brevi patrem veſtrum incolumem, mihi credite, reſtituet: vos tantùm certam fidem & perſvaſionem animò concipite, atqve hoc ab immortali DEO beneficium, hanc gratiam, hoc munus religioſis precibus mecum efflagitare. Neqve enim mihi dubium eſt, qvin DEUS pro ſua immenſa clementia miſericordiaqve noſtras ſit preces auditurus. Qvæ cùm dixiſſet, nos omnes juſſit flexis in terram genibus, ad cœlum manus extollere; ac primò delictorum veniam à Deo Cœleſtibusqve omnibus humiliter petere; deinde pro ſalute patris & reſtitutione vota nuncupata. Qvæ cum omnia qvanta potuiſſemus maxima re-

Adumbratio per meram effictionem. *Contrarii oſtenſio.*

Apoſtrophe ad liberos.

Oratio matris ſuaſoria.

A promiſſis divinis.

Pſal. 50, 15.

ma religione fecissemus; post multam noctem nos langventes & penitùs afflictos, in lectulo sub qvadam arbore collocavit, ipsa verò totam noctem insomnem duxit, neqve unqvam Deo preces fundere cessavit. Ecce autem sub auroram tu, pater, qvasi de cœlo missus derepentè nobis adfuisti, summaqve cum lachrymis permixta lætitia, qvemadmodum custodes fefellisset, atqve ex hostium manibus mirabiliter elapsus fuisset, enarrâsti: illudqve flens addidisti, te nullo modo existimare; humano consilio tuo, aut propriâ industriâ, sed divino potius auxilio tam facilè crudelissimis hostibus ereptum fuisse.

Ab eventu per θαυμασμόν. θεὸς ἀπὸ μηχανῆς.

Tùm verò mater te complexa, atqve ad nos conversa, En, inqvit, carissimi filii! qvàm citò vobis parentem vestrum Deus elargitus est, qvoniam ad eum totâ mente confugistis! Qvod si vos piè religioseqve gerere perseverabitis, etiam à reliqvis malis omnibus nos qvamprimum liberabit. Hunc igitur animum, hanc constantiam, hanc mentis altitudinem in illis tam immensis atq; intolerabilibus miseriis mater ostendit.

Admonitio materna de precum vi.

Cùm verò jam mitiora tempora successissent, & hostes qvidem è regionibus nostris abiissent: sed propter agrorum vastitatem, & domorum direptionem atqve incendia, qvæ præcesserant, intoleranda fames ubiqve dominaretur, & passim homines in compitis ac publicis viis prostrati, propter inediam miserrimè perirent: tuqve pater, pro tua singulari industria longisqvis è regionibus satis abundanter pro tempore familiæ tuæ cibos procurares; nobis qvotidiè mater blandâ oratione pioqve sermone suadebat, ut earum, qvæ paulò ante fuerunt, calamitatum memores, gratum pro meritis, ab immortali Deo nobis concessis, animum ostenderemus: & qvando nihil Deo gratius

Transitio ad latiorem statum paulò.

Ab actione gratiarum.

fieri possit, qvàm egentibus hominibus subvenire, nostro comedendi desiderio aliqvid subtraheremus, qvod esurientibus, & fame confectis ac pereuntibus vicinis largiremur. Itaqve nobis ejus oratione persvasis, eo modo panem manè vesperiqve distribuebat, ut prima portio semper alicui magis indigenti vicino servaretur, qvorum propter incredibilem annonæ caritatem erat infinita propè multitudo. Qvare posteà multi paulò etiam ditiores cum pertristis illa fames qvievisset, se vitam suam & filiorum matris nostræ benignitati debere, atqve acceptam ferre, palàm fatebantur; qvibus cùm in tota regione nullus esset cibus, divitiæ suæ nihil omninò prodesse potuissent. Sed nimis longum esset, omnia percensere numerando, qvibus mater nostra non solùm magnoperè laudabilis, sed etiam plurimum admirabilis fuit. Hæc autem à me non ideo commemorantur, qvia sperem oratione meâ satis pro meritis atqve dignitate posse illam exornari; qvod longè majoris ingenii atq; eloqventiæ munus esset: verùm ut honestissimè sanctissimeqve peractam ab ea vitam recolentes, mortem ejus aliqvanto mitiùs feramus: cùm apud animos nostros statutum atq; exploratum habeamus, omnibus, qvi tam religiosè Christianeqve vixerint, ut illa semper à teneris (ut ajunt) unguiculis ad hoc usqve tempus vixit, certum ac definitum in cœlo esse locum, ubi sempiternis seculorum ætatibus jucundissimâ purissimaqve voluptate perfruantur. Qvod qvidem illa tàm firmiter credebat, ut sic è vita discesserit, & rebus humanis exempta sit, qvasi à diuturno carcere solveretur, & ab obscurissimis tenebris ad clarissimam lucem evolaret. Cùm enim acutissimâ febre correpta fuisset, & jam se morti proximam

A liberalitate.

Præteritio.

Excusatio filii ad matrē.

Ratio.

Ab eventu & obitu.

mam esse cognosceret, nihil sibi priùs faciendum, putavit; qvàm ut optimum Sacerdotem accersiri juberet, cui de more Christiano peccata sua confiteretur, & à qvo panem illum cœlestem ac divinum, per qvem nobis verissimum Christi corpus admirabili mysterio communicatur deinceps acciperet; & qvi deniqve sibi omnia, qvæ ab Ecclesia Christiana jampridem optimè sunt instituta, Sacramenta subministraret. Qvibus omnibus summa cum religione ceremoniaqve peractis, postea non recusavit, qvo minùs etiam, si nobis ita placeret, Medicos adhiberemus. Verùm magis atqve magis ingravescente morbo, cum nullam ampliùs spem superesse intelligeret, & nos omnes qvasi attonitos esse videret, ac de sua vita maximè sollicitos: ultrò blandè consolari cœpit, benigneqve rogare, ne suum ab hac vita discessum multis lachrymis proseqveremur: sibi enim jam paratam esse perpetuam alterius vitæ qvietem ac tranqvillitatem: ad qvam ita volente atq; jubente Deo, libentissimè transmigraret: neqve alia de causa mortem sibi paulò graviorem videri, nisi qvia parvos adhuc filios, relinqveret, qvi suâ præsentia suoqve auxilio plurimum indigerent. Tùm verò te, pater, apprensa dextera, multum obsecravit, ut communium filiorum deinceps totam curam susciperes, & eum laborem, qvem ipsa majori ex parte subire consuevisset, tu unus postea totum haud gravatè sustineres. Vobis autem, inqvit, ô filii charissimi, qvoniam certum habeo fore vos semper, sicut hactenus fuistis, parentis vestri monitis obtemperantes, nihil aliud moriens mando aut præcipio, nisi qvod jam sæpissimè præcepi: ut qvoad vixeritis, Dei cultum & pietatē cæteris reb9 omnib. anteponatis: Deū omnia videre, omnia procurare, bona bonis,

Ben-Syra c. 38.
Declinatio ad mortem.
Ante mortem peracta.
Pietas.

mala malis dare certissimum habeatis. Omnia vobis benè & feliciter evenient. si religiosè pieqve Deum colueritis, atqve ea, qvæ a majoribus nostris, Christianæ religionis auctoribus præcepta atqve instituta sunt, diligentissimè observaveritis. Sic enim & parenti huic vestro satisfacietis, & mortem mihi leviorem efficietis, & vobis bona omnia comparabitis. Hæc cùm dixisset: iterum accersito Sacerdote rogavit, ut sacrato sibi oleo, prout mos est, corpus inungeret, & animam suam jam è corpore exeuntem, immortali Deo commendaret. Hunc habuit finem atqve exitum religiosissimè acta matris nostræ vita: prosperum qvidem illi ac felicem, si qva est Deo religiosè justeqve viventium cura, qvam esse maximum pro comperto habemus: nobis autem adversum & calamitosum. Illa enim horum infelicium temporum miserias & humanæ vitæ calamitates atqve molestias deseruit, jamqve ad salutis ac tranqvillitatis portum pervenit: nos autem matre optima spoliati, maximis molestiarum procellis agitamur, & luctu sqvaloreqve conficimur: neqve ullum adhuc miseriarum finem prospicimus. Sed non committam, ut dolori diutiùs indulgeamus, aut oratione mea vobis mœrorem, qvem pro viribus allevari constitui, magis augere, qvàm imminuere videar. Non est, mihi crede, pater optime, qvod ejus mortem, qvæ omne vitæ suæ curriculum maximâ cum honestate, fide, religione confecit, tàm graviter ferendum putemus: satis enim diu luximus, satis habenas fletui laxavimus. Nam qvamvis per ætatem & naturæ legem multos adhuc annos summâ cum utilitate & commoditate nostra mater vivere potuisset: tamen non tàm cogitandum est, qvid nobis commodum atqve utile fuerit, qvàm

Mors piorum placida.

Conclusio per ἀντίθεσιν in permutata fortuna.

Correctio cum reditu ad consolationem.

Ratio à Dei voluntate & nutu.

qvam qvid immortali Deo placuerit, & qvid ipsi matri nostræ expedierit. Cùm enim satis jam ad cœlestem gloriam acqvirendam & immortalitatem vixisset, voluit eam Deus in cœlum ad se revocare. Nihil porrò est hoc tempore, qvod eam ad diutiùs vivendum invitare magnoperè posset, præter filiorum curam & amorem, qvo maximè tenebatur: sed adeò jam infirma erat, & tanta corporis imbecillitate premebatur, ut freqventissimis morbis affligeretur, & propter tàm varias & tâm odiosas ac molestias horum infelicium temporum perturbationes nullem neqve diurnæ, neq; nocturnæ qvietis partem percipere poterat. Benè igitur cum ea, benè, inqvam, actum est; qvoniam omnibus tandem miseriis liberata, præclaris suis actionibus & virtutibus præparata in cœlo præmia consecuta est. Qvare si nobis cordi est, qvod illi gratum sit, efficere: cupit illa nos suo potiùs bono gaudere, qvàm nostro malo tristari: qvæ pro mortali hujus vitæ conditione, proqve tàm crebris calamitatibus, qvas animo qvidem constanti, sed jam tandem fatigato ferebat, immortalem ac sempiternam beatitudinem adepta est; nobis autem, inficiari nemo potest, qvin malum qvidem gravissimum accideret. Sed postqvam ita Deo placuit, & id jam immutari nullo nostro dolore aut fletu potest; omnem, si qvo modo fieri potest, sin minùs, majorem saltem mœroris partem â nobis fortissimè rejiciamus. Qvod qvidem te, pater optimè, pro tua singulari virtute atqve sapientia sine ulla dubitatione facturum credo. Vos autem, sorores carissimæ, qvarum ætas ad resistendum dolori adhuc est imbecillior, ita cogitate: Matrem nostram nolle nos ampliùs mortem suam deflere; cùm longe nunc feliciùs vivat, qvàm

2. Ab inconveniente.

Conclusionis repetitio.

Apostrophe ad sorores.

anteà cum nobiscum vivere videbatur : sed eam putate nobis jubere, ut jam tandem à fletu mentes nostras ad imitandas ejus præclaras ac honestas actiones revocemus. Qvod si, dum ea viveret semper ejus præceptis libentissimè paruistis : videte, ne hoc tempore, cum ad beatiorem vitam transierit, non ei parere vobis turpissimum sit. Jubet igitur mater, ut jam tandem à lachrymis abstineatis : & ea potiùs freqventer animo repetatis, qvæ nobis honestè vivendi præcepta vivens tradidit, suisq; vestigiis, qvantum vestra facultas fert, insistere contendatis. Hoc ei multò gratius, multoqve jucundius erit, qvàm sit immensus iste dolor vester. At vobis cognati & affines, qvi præsentia vestrâ nostrum hoc funus honestare voluistis, & vestro mœrore declarastis, qvàm molesta vobis acciderit hæc nostra calamitas, faxit Deus Optimus Maximus, ut omnia benè & feliciter eveniant, talisq; fletus ac dolor vel nunqvam, vel saltem rarissimè contingat.

A majore ad minus.

Gratiarum actio.

LUTI ENCOMIUM.
ORATIO IX.

Hæc oratio non tàm artificiosa est, qvàm ingeniosa in argumento vili & abjecto, minusq; laudabili, id est, in luti commendatione occupata, estq; ferè cum illa vulgari qvæstiuncula eadem; Cui bono stramen? Sic Cardanus podagram, Erasmus calvitiem laudarunt. Qvapropter dum utilitates luti potiss. recenset; meritò, pertinet ad genus demonstrativum.

PLU-

PLurimis in rebus imperitæ multitudinis & vulgarium hominum ignorantiam, ac mentis cœcitatem licet intueri, Qvirites; qvi tàm præcipiti ac temerario in rebus ferè omnibus judicio utātur, & cogitationes suas ita distrahi patiuntur, ut ea sæpissimè vituperent, qvæ maximè laudanda esse videantur: contraq; sæpenumerò mirificè probent, qvæ plurimum essent improbanda. Qvotus enim qvisqve reperitur, qvi saluberrimis potiùs, qvam jucundissimis cibis delectetur? aut qvi malit cum abstinentia sanus esse, qvàm cùm intemperantia semper ægrotare? Similis est etiam opinionum ratio. Trahitur sua qvisqve cogitatione, eaqve laudat qvæ putat esse magnifica, vituperatqve contraria: sed pauci admodum rerum naturas verè perspiciunt, & ad id tantùm omnes qvod in præsentia utile esse videtur, toto impetu rapiuntur; cætera, qvæ sunt è sensibus remota, non ita diligenter considerant. Qvamobrem cùm falsis opinionibus tantoperè fallantur homines, nulla repentè spernenda est oratio, qvæ vulgi sit opinioni contraria: qvamvis enim initio propter insolentiam absurda esse videatur, tamen exitu plerunqve utilissimo atqve jucundissimo concluditur. Sed vobis adhortatione meâ nihil opus esse intelligo, qvos jam erectos omnes, cum hilaritate qvadam expectare video, qvid hac nova atqve admirabili causa de Luto, hoc est, de re, qvemadmodum fortassè vos existimatis, tàm humili atqve abjecta, dicturus accesserim. Hoc enim ita naturâ comparatum est, ut insignis semper novitas mortalium animos erigat, atqve excitet: qvæ si talis est ut eos audita commovere possit, affectos aut summa jucunditate, aut ingenii tristitiâ derelinqvit. Ac mihi qvidem, Qvirites, hoc unum erit in hac oratio-

Exordium refutatoriū temerario à vulgi judicio

Ratio.

Agnome.

Conclusio.

Correctio cum propositione & insinuatione.

Petitio.

oratione studium, ut qvæcunqve dixero, non solùm jucunda, sed etiam admiranda vobis esse videantur. Qvod si qvis mihi DEUS vestram ad me audiendum benevolentiam conciliàrit, efficiam profectò, ut intelligatis, nihil esse lutô nobilius, nihil preciosius, nihil utilius, nihil deniqve magis necessarium: modò qvam opinionem jam vestris mentibus comprehendistis, eam si ratio convellet ac labefactabit, si deniqve veritas extorqvebit; libenti & æqvo animo remittatis. Tunc certè præclara illa qvorundam hominum ingenia, negligentiæ nomine condemnanda esse judicabitis, qvi cum eloqventia sua genus humanum ab hoc tanto errore liberare possent, ne rem adeò pretiosam & excellentem aspernaretur, maluerint in nugis qvibusdam puerilibus, & anilibus fabulis otium suum frustrà consumere, dum alius qvartanam febrim, alius calvitium, alius muscam, alius item aliqvid ridiculum laudat. Qvin etiam novissimè (si Diis placet) inventus est, qvi stultitiam & scarabeum laudârit; & qvi asinum ad astra laudibus evehere conatus sit. Qvæ posteaqvam in vulgus disseminata fuerunt encomia: Superest (inqvit vir qvidam è populo) ut lutum etiam laudetur. Qvàm ego vocem cùm audivissem, qvi jam antea sæpiùs luti virtutes animo reputaveram: addidissetqve vir ille: Fortassè veriùs hoc posset, & magis jure laudari: statim hominis solertiam exosculatus sum, & ejus sententiam magnoperè comprobavi. Qvorsum enim qvis ingenium aut dicendi facultatem ostentet; ubi non opus esse videatur? Ibi sunt eloqventiæ vires expromendæ, ubi vel innocentes ab iniqva criminatione liberentur: vel ab hominum mentibus falsæ opiniones revellantur, qvæ magnam huma-

Reprómissio.

Per excusationem ab exemplis.

Applicatio.

Contrarii ratio. Qvia in refrivola & vana.

ma-

mano generi perniciem atqve ingentes calamitates apportare sæpenumerò solent: qvemadmodum apud Platonem Socrates sapientissimè disserit. Qvæ me ratio potissimum adhanc causam impulit, ut hæc, qvæ jam penitùs insedit & inveteravit in animis hominum opinio, si fieri potest evellatur; & jam tandem intelligant homines, qvòd in omni seculorum memoria semper antea latuit, nihil universo cœli ambitu contineri, qvod utilitate atqve excellentia Lutum antecedat. Qvod qvamvis incredibile primo aspectu esse videatur, tamen cum rationes meas diligentiùs audieritis, vos ipsi sponte vestra verissimum esse non dubitabitis confiteri. Primum igitur mihi videtur de nobili atqve excelso Luti genere, deinde de præstantia, tandem de utilitate esse dicendum, Genus est enim ejusmodi qvod antiqvitate ac nobilitate, qvæcunqve in terris gignuntur, antecellit. In qvo declarando, si fortassè paulò altiùs exorsus, repetere memoriam antiqvitatis visus fuerò, ignoscite. Qvirites: hoc enim ipsius rei magnitudo postulat, qvæ me breviter orationem perstringere non sinit. Anteqvam cœli rotunda conversio fieret, cùm nondum esset humanum genus procreatum, neqve ullæ adhuc in terris essent animantes, non herbæ, non frutices, non arbores, nulla deniqve rerum earum, qvæ è terra nascuntur, species ac forma;

Propositio, Luti laus.

A triplici loco.

I. Ab origine & antiqvitate.

Comprobatio per narrationem mundi creationis.

Unus erat toto naturæ vultus in orbe;
Qvem dixère Chaos, rudis indigestaq; moles:

Horum qvatuor omnia gignentium corporum, terræ, aqvæ, aëris, ignis, natura permixta erat, neqve unum ab altero dignosci poterat: cùm tamen maxima esset inter ea discordia. Siqvidem

Elementorū discors concordia.

Frigida

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis.
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Donec ratio Dei sempiterna propter incredibilem sapientiam suam agnovit, qvam excellentium rerum esset in eis naturis materia, si probus artifex accessisset. Itaqve cùm ipse Deus probitate maximè præstaret, naturas illas, non tranqvillas & qvietas sed immoderatè agitatas & fluitantes assumsit; easqve ex inordinatis in ordinem adduxit. Hoc enim judicabat esse præstantiùs, Et superiorem igni locum tribuit, qvia levissimum omnium esse videbat: proximum aëri; tertium aqvæ; qvartum & ultimum in medio totius mundi, qvo gravia omnia deferrentur; terræ tradidit; ubi cujusqve generis, vel inanimi, vel inanimantis, vel muti, vel loqventis origo est; ubi vita, ubi interitus, ubi ex alio in illud assidua vicissitudo atqve immutatio. Nam ex terra gignuntur omnia, rursúsqve in eam omnia recidunt: atqve ita freqventer immutata, corrupta, deinde rursùs generata, vicissitudine qvadam æternitatem obtinent. Hîc mihi fortè succlamat aliqvis, cui hæc, qvæ commemoro, diphthera, qvod ajunt, Saturniqve rebus antiqviora videatur: Qvid ista tàm obsoleta tamqve rancida prosunt ad Luti tui laudes, & genus celebrandum: Jam profectô intelligetis, Qvirites, non hæc sine maxima causa me tàm ex alto repetiisse. Hanc enim, qvam nos terram, & rerum omnium parentem ac procreatricem appellamus: cui locus omnium honorificentissimus in medio datus est: qvæ nos gignit, alit ac sustinet, qvæ deniqve non tantùm hominum, sed etiam immortalium Deorum domicilium gratissimum est, nihil aliud, qvàm Lutum, & totius cœli reliqvorumqve omnium elementorum purgamentum

Elementorũ τάξις & sedes.

Eorundem contrarietas & corruptio q. per κυκλογένεσιν.

Objectio per instantiam.

Solutio.

1. A situ sive loco.

Terra centrum mundi.

tum esse perspicuum est. Nam cùm constituisset Deus bonis omnibus explere mundum, mali nihil admiscere; qvoad naturæ pateretur: in medio totius, locum præstantissimum, ubi generatio fieret, elegit, qvo facilè & cœlum ipsum & reliqvæ naturæ demittere semina sua, detractionesq; confecti & consumpti alimenti possent. Hac de causa factum est, ut qvecunqve gravia sunt & solida, naturæ ipsius instinctu atq; impetu medium mundi locum petant: neqve qvicqvam omninò gravitate præditum potest alibi, qvam in medio, consistere: qvoniam semper ex vi naturæ premitur qvod grave est: qvis autem est, qvi nesciat, lutum esse gravissimum, ideoqve necessariò fieri, ut in medio mundi loco perpetuo consistat? Qvod cũ terræ proprium sit, verè concludi potest: terram nihil aliud esse, qvàm lutum. Ignoscite, Qvirites, si vobis nimium videor agere philosophicè. Nam in hoc uno rei cardo vertitur, unde lutum generari putemus, aut qvid ipsum esse statuamus: qvod si rectè semel intellectum fuerit, cætera deinde omnia facillima videbuntur. Sed ad rem redeamus. Cùm igitur in loco maximè omnium honorifico, hoc est, ἐν τῷ μέσῳ, ut ajunt Philosophi, terra sit, cætera autem omnia circumsistant, & eam qvasi custodiæ gratiâ muniant: & qvicqvid habent purgamenti atqve fecis, in eam procreandi causâ demittant: nemini dubium esse potest: qvin aut tota, aut saltem ex maxima parte terra reliqvorum corporum purgamentum atqve lutum sit. Sed ne fortassè nobis idem qvod Sophistis accidat, qvi solent ex iis, qvæ probabilia videntur, neqve sunt, argumenta sua concludere: qværenda est ex gravissimis auctoribus Luti definitio, qvæ nihil aliud est, qvam involutæ rei, atqve obscuræ naturæ explicatio. Sic enim facilè,

Gravia omnia deorsum vergunt.

Conclusio.

Regressus per repetitionem rationis à situ.

3. A definitione.

qvod

Per Platonis autoritatem

qvod qværimus, luti genus inveniemus. Qvis autem post homines natos fuit unqvam Platone gravior? qvis intelligentior? qvis sapientior? Eqvidem hujus ego singulis verbis, centum aliorum testimonia dignè comparari posse, non existimo. Is igitur optimus definiendi magister in Theætro, sub ejus persona, qvem semper gravissimum introducit, h. e. Lutum ita definivit: Γῆ ὑγρῷ φυραθεῖσα πηλὸς ἂν εἴη.

Natalis luti.

Lutum, inqvit, terra est humore permista. Jam igitur Luti præclarissimum genus invenimus, hoc est, terram & humorem; ut humor Luti pater sit, terra verò mater.

Exaggeratio à præstantia duûm Elementorum à qva & terra.

Qvis autem adeò rerum ignorans est, qvis tàm imperitus, tàm rudis, qvin intelligat, qvanta terræ sit & humoris excellentia? Nam humor ille est, qvem post conditum orbem Deus Opt. Max. rerum omnium generationi præfecit, ut sine ejus auctoritate nihil qvicqvam omninò gigneretur: qvem non tantùm iis, qvæ è terra nascuntur, sed etiam sempiternis illis ignibus, qvæ sidera vocamus, alimentum præstare voluit. Persuasum enim habent pleriqve Philosophi, Solem, Lunam, cœterasqve Stellas omnes humore pasci. Qvid, qvod tanta est humoris excellentia, ut per eum solum Dei jurare soleant; & eum iratum habere magnoperè caveant; qvippe qvi præclarè intelligant, qvanta sit ejus apud summum DEUM auctoritas, cui tanta sit administratio demandata, ut omnia gignat atqve nutriat.

Per Etymologiam aqva, q. à qva omnia.

Hac de causa sapientissimus vir Thales Milesius; humorem rerum omnium parentem esse pronunciavit.

Pindarus ὕδωρ ἄριστον.

Qvid autem de terra dicam? qvam non tantùm hominem; sed etiam Deorum matrem esse dicunt.

Præritio.

Itaqve plurima Telluri apud sapientes illos veteres dicata fuisse

templa

templa legimus: eamqve inter summos Deos fuisse cultam & honoratam. Sed mihi neqvaqvam omnes humoris & terræ laudes commemorandæ sunt, qvæ sunt prorsùs innumerabiles atqve infinitæ, neq; vobis, ut opinor, ignotæ. Satis est, hoc tempore docuisse, natum esse lutum ab iis parentibus, qvi omnium præstantissimi atqve excellentissimi esse videantur. Hoc se genere, hoc sangvine procreatum esse Lutum gloriatur.

Repetitio argumenti à prosapia vetusta.

Transitio ad II. à nobilitate Luti.

Nunc ejus etiam præstantiam atqve excellentiam videamus. Qvæ tanta est, ut non modo parentibus suis, humori ac terræ, non cedat: sed eos etiam longo intervallo superet.

Ratio.

Qvamvis enim, ut jam anteà diximus, humore generationi præsit, & sine ejus auctoritate nihil gignatur: tamen nihil ei sua potestas proderit, nisi terræ commixtus lutum procreet, unde postea nascuntur omnia. Qvis enim non intelligit, nihil inveniri posse, qvod non ex luto generetur? Deme lutum ex hac admirabili mundi machina; non jam erit id, qvod proverbio dicitur, ver ex anno tollere: sed idem, qvod solem extingvere, aut Deos è cœlo diripere.

Probatio per enumerationem.

Qvid enim fiet? qvid nascetur: qvid procreabitur? qvis non omnia videt statim interitura? Nam unde genus hominum? unde tot animantium terrestrium aqvatilium, volucrium genera? unde tot arborum formæ? tot herbarum species? tam varii flores? tot jucundi fructus? tot frumenta? tot segetes? Annon omnia primò vitam, deinde etiam vivendi facultatem Luto acceptam ferunt?

Prosyllogisticè.

Principia qvid?

Nam si tandem omnia, qvemadmodum Philosophi docent, in idem abeunt, ex qvo prius constituta fuerant, & qvotidiè videmus, qvicqvid interit, in lutum converti: profectò lutum rerum omnium principium esse necesse est: de qvo sanè, nisi planè in Physicis (ut ait

Cicero) plumbei sumus, dubitare non possumus. Qvis enim nescit illud in scholis ab omnibus Philosophis tantopere jactatum & celebratum theorema, qvod ab Aristotele summo naturæ interprete sumserunt: Uniuscujusqve rei interitum atqve corruptelam, alterius esse ortum ac generationem ? Atqve in hoc qvidem, cum in aliis pleriq; rebus mirandum in modum dissenti ãt, & pene inter se digladientur Philosophi, mirum qvàm conveniant, ut ullus unqvam aliter sensisse videatur. Omnem autem alicujus rei corruptionem à nobis Lutum appellari nemo est, qvin intelligat: ex qvo cum omnia gigni Philosophi dicant: idem est, ac si clarissima voce prædicarent, rerum omnium parentem esse Lutum. Qvid adhæc contradici potest? Non nos contortis fallaciter argumentis; aut falsis conclusionibus hæc tàm vera colligimus: sed ab ipsa natura rationes nostras accipimus: ipsa nobis hæc argumenta suppeditat: ipsa nobis manus injicit, & paulum consistere jubet, atqve hæc diligentius explanare: cupit hunc errorem ex hominum mentibus radicitùs evellere: cupit eximias uti virtutes, omnibus notas ac planas fieri: ut tandem aliqvando desinant homines ei maledicere, parentemqve rerum omnium & auctorem suspiciant, ac revereantur. Qvemadmodum igitur figulus ex argilla vasa sua format & effingit: ita natura illa melior, qvem Deum vocamus, ad omnium rerum creationem luto semper utitur. Itaqve vir optimus ac sanctissimus Agapetus, ad Justinianum Imperatorem scribens, admonet, ut ne qvis majorum nobilitate glorietur, qvoniam nulla est in ortu differentia: Omnes enim, inqvit, tàm qvi Reges sunt & Imperatores, qvàm qvi humili & obscuro loco nati

Finis corruptionis seu meta Arist. in Meteor. l. 4.

Exageratio ab ipsa natura αὐτοδιδάκτῳ.

Illustratio à simili.

Ἐπὶ προγόνων εὐγενείᾳ μηδεὶς ἐναβρυνέσθω. Πηλὸν γὰρ ἔχουσι πάντες

nati ſunt, eundem primum parentem, lutum habent. Sed qvid multorum teſtimoniis opus eſt, cum nobis ipſa veritas Sacris in literis apertè dicat, & clara voce teſtetur, ex luto fuiſſe homines primo conformatos? Qvod ideo de hominibus potiſſimum ſcriptum eſt, non qvod ipſi ſoli ſint ex Luto procreari; ſed ne qvisqvam parentem ſuum poſſet ignorare. Qvod etiam Homerus, omnis Philoſophiæ pater, intellexiſſe mihi videtur, graviſſimus, & ſapientisſimus auctor, à qvo, ceu fonte perenni qvicqvid in omni doctrina eximium eſt, emanavit; qvi cum Iliade ſua Menelaum Græcorum ignaviam increpantem refert, qvod cum Hectore ſingulos ad certamen provocante nemo congredi auderet: his verbis uſus eſt:

προπάτορα τοῦ γένους.
Præteritio.
Gen. 2.
Ab autoritate ſcripturâ S. S. A teſtimonio Homeri.
Iliad. 7.

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα
γένοισθε

Optat enim ut intereant, atqve ideo precatur, ut in humorem & terram convertantur; hoc eſt, in idem diſſolvantur, ex qvo prius conſtituti fuerant. Sic enim acutisſimus Philoſophus Alexander Aphrodiſæus Homeri ſententiam interpretatur. Ex terra (inqvit) & humore gignuntur omnia, & in terram atqve humorem omnia diſſolvuntur. Qvod etiam ſenſit Epichar. Siculus, cum dixit: ἀπῆλθεν ὅθεν ἦλθε, γᾶ μὲν εἰς γᾶν πνεῦμα δ' ἄνω: Deniqve etiam Ariſtoteles in Rhet. indicat, olim eos, qvi ſervos ſe profiteri vellent, terram & aqvam domino tradere ſolitos; tanqvam omnium rerum jure ſeſe abdicantes? Qvæ cum ita ſint, jam profectò, Qvirites, ipeſpicuum eſt, qvàm magnus exornandi Luti campus nobis apertus ſit; qvàm amplè, qvam graviter, qvam copioſè Luti laudes exeqvi poſſimus.

Origo corporis humani.
Lib. 1. pro L. 77.
Plutarch. in Conſolat. ad Apollonium Lib. 2. citante Eraſmo in Adagio Aqva & terra reddamini

Συμπέρασμα laudis luti primum.

Cum enim, ut omnes eruditi censent, ex terra atq; humore qvicqvid est ubiqve preciosum, qvicqvid eximium, qvicqvid utile, generetur; cumq; (qvod caput est) etiam nos ipsi, cum cæteris animantibus, ex eadem terra atqve humore fingamur, terra verò humore permista lutum sit, ut ex Platonis auctoritate paulò ante demonstravimus: qvod ingenium inveniri tàm sublimè potest, qvæ lingva tàm volubilis, qvæ dicendi copia tàm præcellens, qvæ minimam earum laudum partem, qvibus lutum dignissimum est, recensere commemorando possit? Etenim, si magnum qviddam assecuti videntur ii, qvi rem aliqvam pretiosam, ut argentum, aut aurum, aut aliqvid ejusmodi satis egregiè laudârint, si difficillimum esse fatentur omnes, oratione res honestas atqve laudabiles posse vincere: qvid tandem in Luto laudando, qvod unum omnia complexum est, qvanta difficultas existimanda est? Si qvis enim ejus præstantiam animo diligentissimè volvat, is nimirum intelliget, majus esse qviddam, non modò qvam homines opinentur, sed etiam qvàm cujusqvam eloqventia capere possit, perfectè Lutum exornare velle; tantoqve esse difficilius, idem rectè laudare, qvanto rebus omnibus preciosis & præstantibus antecellit. Hic non Isocratis jucunditate, non Lysiæ subtilitate, non Hyperidis acumine, non Æschinis sonitu, non Demosthenis vi, sed divina qvadam potiùs opus esset eloqventia (& dicendi flumine) qvæ nunqvam antehac audita, nunqvam nata, nunqvam excogitata fuisset. Non enim hac in oratione sic nobis agendum, ut in reliqvis exornationibus agi solet: majore qvadam ingenii sublimitate, uberiore dicendi facultate, graviori modo utendum est. Solent enim reliqvis in rebus exornandis

Per θαυμασμὸν σὺν ἐρωτήσει.

Αἰτιολογία κατὰ σύγκρισιν.

Lutum aliis rebus præstantius.

Per αὔξησιν.

nandis Oratores semper aliqvam adhibere contentionem atq; comparationem, ut rem eam, qvam laudant, altera, qvæ tamen egregia sit, longè præstantiorem esse demonstrent: qva rerum inter se collatione plurimum florere atqve enitescere solet oratio. Sed qvid est ex omnibus rebus, qvæ cœlo continentur, tàm eximium, tàm excellens, tàm rarum, qvod si Luto compareretur, non statim vilissimum atqve abjectissimum esse videatur? Ponite ante oculos, qvicqvid ubiqve pretiosum est; ponite argentum, aurum, gemmas, margaritas: qvid? an non in mentem vobis venit, unde hæc omnia nata sint. Nonne paulò ante docuimus, ex luto, qvæcunq; in terris nascuntur, omnia procreari? Hæc omnia, qvæ tantoperè mirantur homines, qvæ magis, qvàm propriam vitam amant, qvæ diligentissimè custodiunt: pecuniæ, thesauri, divitiæ, facultates, qvi rectè reputat, lutum planè esse intelligit. Qvàm igitur absurdum fuerit, si qvis unum aliqvem terræ fructum è luto natum velit ipsi rerum omnium parenti luto comparare? Proh deum atqve hominum fidem! qvis adhuc de Luti præstantia dubitare potest, qvis non illud ad astra tollat? qvis non divinis laudibus efferat? cum intelligat è luto tot egregios viros, tot Reges & Imperatores, tot ingenia præstantissima, tot sapientes, tot Philosophos esse profectos. Qvid? annon tot egregiæ substructiones, tot oppida clarissima, tot nobilissimæ civitates jacerent prorsùs omnes, neqve earum extarent vestigia, nisi lutum priùs extitisset? Qvid, ut minima commemorem, tot herbarum genera, depellendis corporum morbis utilissimæ? qvid frumenta? qvid glandiferas ac fructuosas arbores? an non in lucem omnes Lutum edit? Qvot animantium genera?

Collationis dilucidatio.

ἐπιφώνημα.

Transitio ad III. argumentum.

I. *Ab utili.*

qvam pulchra? qvam variæ? qvæ naturæ totius varietas? qvot hominum species? Hæc omnia Lutum edit; fovet, exhilarat. O mortalium genus ingratissimum! O detestabilem perfidiam! O mentem penitùs execrandam! Ergo qvod te procreat, qvod nutrit, qvod educat, qvod omnem jucunditatem affert, id tu negligis? conculcas? aspernaris? Sine qvo ne unum qvidem diem vitam agere potes? id à te non aliter atqve rem abjectissimam rejicis? Qvod tibi lucis hujus atqve vitæ causa est, id apud de commorari non sinis? Qvod omne tibi commodum, omnem voluptatem præstat, id abigis, expellis, exterminas? Proh Dii immortales! non intelligitis homines, cùm lutum contemnitis, vos, qvidqvid in terris bonum est, contemnere (non intelligitis parentem vestrum vos negligere, cùm lutum negligitis? non venit in mentem, qvæ vestra fuerit creatio? unde nati sitis? ex qva materia conditi? Formavit, inqvit Moses, Deus hominem ex limo terræ. Vide, qvantò sit te Lutum præstantius, qvantò ipso luto sis inferior. Qvid supra lutum cristas tollis? qvid exeris cornua? qvid superbis? Ex limo terræ creatus es. Ecqvid hoc intelligis? ecqvid consideras? ecqvid genitorem tuum agnoscis? Qvid aliud est, ex limo terræ, qvàm ex purgamento luti, cùm initio docuerimus, terram ipsam esse Lutum? Jam tuum, homo superbissimè parentem agnosce: non aspernare, cujus ex genere prognatus es: reverere, qvod tibi vivendi causa fuit. Se teipsum aliqvid existimas, si rerum generationem honestam esse tibi persuades, si qvid in orbe terrarum utile atqve honestum esse credis: cur non id utilissimum & honestissimum esse, à qvo nata sint omnia, confiteris? Nati sunt homines è luto

Ἐπίπληξις.

Repetitio rationis I. ab origine.

Homo è rubra gleba conditus.

Adhortatio ad modestiam.

Homo ab humo.

natæ pecudes, natæ arbores, nata frumenta, natum, deniqve qvicqvid in terris invenitur. Et qvisqvam dubitavit id esse preciosissimum dicere, à qvo sunt omnia qvæ preciosa sunt! De luto sumus, in luto vivimus, à luto pascimur, in lutum convertemur; itaqve nihil à scarabeis in hac parte differemus, & tamen excellentiam Luti non agnoscimus: imò tanqvam rem immundissimam repudiamus. Cur? qvia falsa trahimur opinione: neqve rectâ animi ratione res definimus. At cœteras res amplectimur: aurum, vestes, frumenta, pecunias & id genus cætera, magna cum diligentiâ conservamus: qva de causa? Qvia præsentem videmus utilitatem; sed unde sint hæc omnia, qvæ tantoperè diligimus, nemo considerat. Qvid illud est, qvod in arce centum clavibus clausum tam accuratè servas? Lutum. Qvid est, qvod in horreis tuis studiosissimè congregas? Lutum. Qvid in Apothecis & doliis tam cupidè custodis? Lutum. In summa, qvicqvid amas, qvicqvid amplecteris, qvicqvid observas, qvo factus es, qvo vestiris, qvo pasceris, Lutum est. I nunc, & illud improba, qvo carere nullo modo possis, nisi planè velis ex hac vita demigrare. Nam in te qvidem nihil est Luto præstantius, præter animum generi humano Deorum munere datum: qvi si bonus fuerit, atqve omni virtutum genere cumulatus, non dubium, qvin divinus sit, & felix ac beatus; sin autem malus & sceleribus imbutus, non solùm Luto est inferior; sed etiam rerum infimarum omnium vilissimus & abjectissimus. Reliqva omnia mutantur, & vicissitudine qvadam oriuntur & intereunt, eamqve mutationem & vicissitudinem omnem lutum efficit; qvod & Philosophorum auctoritate, & Physica

Bruta & omnia terra nascentia è luto.

Exageratio in avaritiam

Homo constat ex anima & corpore.

ratione, & divinæ etiam Scripturæ testimonio facilè comprobatur.

Conclusio, Lutum meritò laudari.

Qvare jam profectò videtis, Qvirites, qvem mihi aditum ad Luti laudes patefecerim, qvàm patentem campum habeam, in qvo plurimùm exultare possit oratio: sed mihi sigillatim omnia complecti nec animus est, nec si esset, ego par essem oneri sustinendo. Nam si qvis perfectè Lutum exornare voluerit, cum per singula, qvæ in orbe terrarum laudabilia reperiuntur, ire necesse est: qvam rem qvis, nisi planè sit insanus, præstare se posse commodè speret?

Præteritio.

Itaqve licet ea, qvæ Luto constant, maximâ laude digna esse videantur: tamen ne nimiùm longa sumatur oratio, prætermittere omnia constitui. Sed me hercle certò scio, vos intelligere, Qvirites, qvantum ex Luti laudibus abscîderim. Possem enim argentum & aurum celebrare; possem uniones, gemmas, qvicqvid ubiqve putatur esse præciosum, possem ipsos homines, omne genus animantum, possem herbas, segetes, arbores, omne deniqve possem in encomio Luti nominare: cùm omnia, qvemadmodum antea diximus, ex eo promanârint;

Transitio ad aliam luti laudem.

sed me reprimam; mâlo enim ut veram aliqvam Luti laudem à me desideritis, qvàm falsam, effictamqve esse existimetis. Qvare lutum ipsum per se solùm consideremus: cujus tàm eximia virtus est; ut Deum etiam immortalem ad sese plurimum amandum alliciat.

Objectio.

Sed ne fortasse vestrum aliqvis hoc esse maledictum aut convitium in Deum arbitretur, qvòd ab eo lutum vehementer amari dixerim:

Solutio.

ejus opinioni mihi satisfaciendum esse judico, cùm ut omnes vos ab hoc errore liberem, tùm ut etiam hac occasione Luti virtutes, qvæ

Petitio.

jam in oblivionem planè concesserant, tandem aliqvando magis atqve magis eminere atqve apparere inci-

incipiant. Verùm ad ea, qvæ dicturus sum, reficite qvæso animos vestros, Qvirites: nova qvædam, & ante hunc diem inaudita proferre in lucem molior: sed mihi vestro erecto atqve attento animo opus est: si qvid enim attentionis fortè remiseritis nullo modo fieri poterit, ut hæc, qvæ jam aggredior dicere mysteria intelligatis. Nam proh deûm atq; hominum fidem, non in mentem vobis venit, qvanta res, & qvanti ponderis agatur? Agitur de summa Luti existimatione; id autem ejusmodi est, ut nihil omninò dici gravius, aut excogitari possit. Cùm enim omnes ferè mortales immeritissimo Lutum odio proseqvantur, qvamvis paucissimi sint, qvi, qvo sit in illud animo Deus, intelligant: qvid futurum putatis, si semel in animis hominum hæc opinio prorsùs insederit, Lutum à Deo non diligi? Qvis enim illud eximium esse credat, qvod Deus amare non videatur? Qvis non potiùs id vile & abjectum putet, qvod à Deo reprobetur? Qvod si certissimis argumentis, Lutum & à Deo diligi, & cæteris omnibus rebus, qvæ in terris creatæ sint, anteponi docuero: qvid erit causæ, cur non etiam nos id omnium rerum excellentissimum judicemus? Jam igitur vos illud mirificum vestræ mentis acumen intendite; ego rem ipsam aggredior. Principio cùm à Luto discessum est, nihil in terris homine præstantiùs inveniri, nemo est, qvi dubitet. Qvin etiam illud omnes boni confitentur, hominem ex omnibus animantibus à Deo plurimum amari. Qvod etiam ipsa ratio nos credere penè cogit. Videmus enim, qvæcunq; in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari; videmus etiam ac sentimus, Dei providentiam in hominibus adjuvandis & custodiendis semper excubare. Non

Attentio.

Comprobatio ab exemplo divino.

Ab amore Dei in genus humanum.

Omnia propter hominē facta.

Dei Filius HomoFactus nostri causa

ignoramus, à Deo proprium Filium, ut ab erroribus homines & ab æternis suppliciis liberaret, è cœlo demissum, & vinculis ac verberibus, atq; omni supplicio excruciatum, ac necatum fuisse. Sed innumerabilia Dei sunt erga homines summi amoris indicia: cùm præsertim etiam ad imaginem & similitudinem suam, ut Sacræ literæ testantur, eos creare voluerit, & rationis atqve consilii participes effecerit. Videamus igitur, ex qva materia Deus hoc animal, sui simile, ratione præditum, providum, sagax, acutum, multiplex, memor, plenum consilii, qvod maria, terras, cælum mente atq; cogitatione complectitur: qvod unum ex tot animantium generibus, sibi ratione ac sapientia socium assumsit; videamus (inqvam) ex qva Deus hoc animal materia finxerit, credibile est, prǽstantissimũ omniũ animal ex ea materia, qvę Deo maximè grata esset, conformatum fuisse. Qvid igitur ajunt Sacræ literæ? Unde formatum hominem ab initio commemorant? Non ex argento, qvod ab omnibus pretiosum existimatur; non ex auro, qvod plurimi homines majore, qvam Deum ipsum, amore proseqvuntur: non ex smaragdis, unionibus, chrysolithis, aut aliis id genus lapillis, qvi preciosissimi creduntur: sed ex limo terræ, hoc est, è Luti flore. Qvid amplius postulatis? Obsecro vos, Qvirites, hoc Dei factum vobiscum diligentiùs perpendite: tum facilius statuetis, qvanta luti sit excellentia. Deus optimus Maximus qvi pro summa sua sapientia, rerum omnium naturas, etiam anteqvàm eas crearet, optimè noverat, qvi facillimè, qvid cuiqve præstet, & exqvisitissimè discernit: cum simile sibi, & ratione, ac lege socium vellet animal procreare: lutum ex omnibus rebus potissimùm elegit, ex

Ab origine Hominis.

Homo unde factus per antithesin.

DEI consilium & liberrima voluntas hominem condendi è luto.

qvo

qvo formaret eum animantem, qvem cæteris omnibus præficere ſtatuerat. Cujus rei qvid aliud in cauſa fuiſſe dicimus, præter mirificam qvandam Luti præſtantiam, qvæ Deum etiam ipſum ad ſeſe amandum allexerit? Veniant nunc irriſores hujus orationis, & illud ſanctiſſimi varis atqve Regis Davidis interpretentur: De ſtercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui. Qvid eſt, qvæſo, qvod de ſtercore pauperem erigit? qvid eſt, qvod eum cum principibus ſuis collocat? niſi qvod luto ſummoperè delectatur, & eos plurimùm diligit, qvod omni ſtudio curaqve lutum obſervare videt? Qvid hoc loco mihi reſpondebitis, ô luti Vituperatores? Huc, qvæſo, mecum in arenam deſcendite; conferte pedem, vibrate tela, promite veſtram illam maledicam orationem. Qvid præliantes, ut ajunt, à muro judicatis: cur, infixo jaculo, Parthorum more fugitis? cur in portu ſpernitis tempeſtatem? Facile eſt accuſare, nullo defendente? facile vituperare, nullo contradicente. Huc adeſte, ſi qvid eſt in pectore roboris: & in me, Luto patrocinante, criminationes veſtras exponite. Efficiam profectò, ut intelligatis, longè aliud eſſe, contra veritatem, ipſa præſente, diſſerere, qvàm ad ventos verba facere, & innocenti nulla cauſa, nulla ratione maledicere. Cur enim obſecro Lutum improbatis? qvo crimine damnatis? cui culpæ Lutum affine judicatis? Tacent & ora pallor albus occupat. Proh Dii immortales, tantáne qvenqvam mentis caligine circumfundi! tantis erroribus excœcari! ut qvod imprimis Deus diligit, id audeat improbare: qvod præſtantiſſimum eſſe Deus cenſet, id exiſtimet eſſe viliſſimum. Malum eſt, boni viri judicio non

A teſtimonio.

Expoſtulatio cum adverſariis.

Qvi tacet conſentire videtur.

Refutatio eorundem.

Γνώμη.

non acqviescere: pejus est, verum amici condemnare judicium: pessimum verò, parentis sui sententiam optimam non admittere. Qvid dicam, qvantum tandem scelus existimandum sit, immortalis Dei judicium vituperare? Sed jam qverelarum satis: Id, qvod instituimus, persequamur. Non enim in hac re solùm amorem suum erga Lutum Deus indicavit: sed aliis etiam qvàm plurimis, qvas hoc tempore singulas enumerare non necesse est. Unum etiam aut alterum erga Lutum divinæ benevolentiæ signum commemorabo: deinde ad alia vertam orationem meam. Jam plurima Dei filius (ut in sacris Historiis legimus) admiranda suæ divinitatis indicia dederat, & qvotidiè magis erga homines incredibilem amorem ostendebat: dum alios dæmonibus oppressos liberaret: alios jam vita functos à mortuis excitaret: surdis auditum, mutis locutionem, ægrotis integram valetudinem redderet: sed illud etiam restare videbatur, ut in hominum parentem Lutum aliqvid benevolentiæ suæ signum ostenderet. Ecce autem cùm per qvandam regionem iter faceret, hominum ab ipso natali die cœcum reperit: qvem cùm vidisset: venisse tempus existimans, ut eundem se esse ostenderet, qvi mundi initio genus humanum ex luto formaverat, & ut luti præstantiam omnibus notam faceret: qvid fecit? expuit in terram, & propriis manibus lutum composuit: atqve eo luto cœci illius oculos perunxit: qvo facto, confestim ille nunqvam anteà gustatum videndi sensum accepit. Qvis igitur non intelligit, omnium hominum conservatorem Christum hoc suo facto declarâsse, Luto nihil prorsùs esse nobilius; ex qvo visum, sensuum omnium excellentissimum, reformavit? Multa alia priùs & egre-

Reversio per transitionem ad reliqva.

Collatio beneficiorum Jesu Christi in homines.

Abusu in medicina supernaturali.

Conclusio per interrogationem.

egregia facinora gesserat, innumerabiles & varios morbos depulerat: nullo unqvam pharmaco, nullis herbis, nullâ arte medicâ usus est: sermone tantùm aut tractu morborum genus omne profligebat. Itaqve nemini dubium esse potest, qvin hunc etiam cœcum, si voluisset, uno verbo sanare potuisset. Cur igitur luto potissimum ejus oculos unxit & sanavit? Non alia qvidem (ut opinor) de causa, nisi ut Luti præstantiam atqve nobilitatem indicaret, & parentis sui mortales admoneret. Qvanto enim qvis Luto parenti suo similior efficitur, tantò major atqve beatior esse solet. Sed hoc obsecro mysterium, Qvirites, diligenter advertite. Qva enim in re vera est ac summa felicitas? nempe opinor in eo, si qvis plurimum â Deo diligatur: qvis autem vehementiùs amatur à Deo, qvàm qvi Luti naturam, qvoad ejus fieri potest, imitatur, & qvid præclarè intelligit, qvantæcunqve ei fiunt accessiones & fortunæ & dignitatis, ex Luto se ad eas ascendisse, & non ita multò post ab eis ad Lutum se rediturum? Hoc est, qvod ubiqve Deus præcipit, ut qvi voluerit omnium effici maximus & felicissimus, is primò minimus & abjectissimus fiat. Qvid aliud sacris in literis magis, qvàm summisso commendatur? Volvite divinos libros, nullam in eis penè dixerim paginam invenietis, in qva non humilitas & abjectio majorem in modum comprobetur. Atqve illi demum soli felices ac beati futuri prædicantur, qvi se Lutum esse cognoverint. Sed qvam hujus rei causam aliam afferre qvisqvam potest, præter singularem qvandam Dei erga Lutum benevolentiam? Age verò, qvis unqvam ex omnium seculorum memoria Deo gratior fuit, qvâm Hebræus Jobus? atqvi hunc divinis in historiis legimus, non tantùm in luto, sed

Ratio.

Humilitatis iterata commendatio.

Humus hominem admoneat suæ sortis.

Ab exemplo D. Jobi.

Exageratio Filii Dei ab xemplo. etiam in ſterqvilinio ſedere ſolitum. Qvid? qvod ipſe Dei Filius à vate ſanctisſimo ita loqvens inducitur: Ego vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis. Qvid enim aliud eſt plebis *Pſal. 22.* abjectio, qvàm lutum? Clamat igitur Dei filius cum hoc noſtrum terrenum atq; mortale corpus asſumpſiſſet, ſe lutum eſſe factum: qvin etiam ſubmisſionis gratiâ, ſe filium hominis, hoc eſt, luti nepotem *Concluſio priorum rationum.* freqventer appellabat Sed jam ſatis, ut opinor, à nobis declaratum eſt, nihil in toto mundi complexu Luto eſſe præſtantius, nihil excellentius: cujus tanta auctoritas eſt, ut ſine eo nihil qvicqvam in terris fiat, qvod omnia generet; alat, augeat, ex qvo precioſiſſimæ qvæqve res originem trahant, unde nos etiam ipſi formati ſimus: qvod deniq; majorem *Tranſitio ad ultimum ab utili.* in modum à Deo diligatur. Reſtat, ut etiam de ejusdem utilitate verba faciamus. Qvæ qvamvis ex iis, qvæ dicta ſunt, maxima cognoſci posſit: tamen, ut clarius etiam eluceat, & de illa dubitare nemo posſit; ad ea, qvæ ſuperſunt, aggrediar. Vos verò pau- *Repetita petitio.* liſper etiam, dum huic orationi meæ coronidem imponam, non tantum aures, ſed etiam mentes atq; animos veſtros accommodate Non enim me hercle ita nunc agam, qvaſi uni alicui aut alteri rei tantùm *Cum attentione.* utilitatem afferre Lutum dicam; qvod in cæteris rebus exornandis præcipuum eſſe judicatur. Nihil in hac oratione vulgare, nihil demiſſum expectetis: omnia ſumma, omnia præſtantisſima. Nihil in omni rerum natura dico eſſe, nihil toto cœlo contineri, neq; parvum, neq; magnum, modo ſit animatum, cui rei Lutum non utilisſimum eſſe videatur. Cum enim in rebus, qvæ ex intima atqve na- *Declaratio utilitatis.* turali motione vitam habent, animarum tria genera dicantur inveniri: qvarum una vitam tantum

nutri

nutrientem,sine sensu, corpori subministrat; & herbas,frutices.arbores educit, alit atqve auget: altera non solum vitam, sed etiam sentiendi atqve ingrediendi vim cunctis animantibus suppeditat: tertia omnium perfectissima atqve optima solis hominibus intelligendi, cogitandi, reminiscendi virtutum affert; his omnibus viventium generibus plurimam utilitatem afferre Lutum ad vitæ commoditatem ostendemus. Sed ne fortassis aliqva cadat in nomen ambiguitas; qvoniam multis cognominibus Lutum est decoratum, ea mihi declaranda esse censeo, qvò facilius omnes ejus utilitates perspici possint. Atq; illud primò sciendum, omnem à nobis putrefactionem atqve corruptionem Lutum appellari, sive ea sit in animante detractio confecti consumtiqve cibi: sive sit humoris & terræ permistio: sive qvocunq; alio modo res aliqva putrida facta sit: hanc etiam communi vocabulo fimum atqve limum nuncupare consvevimus: an agricolis verò lætamen dicitur: ob id credo, qvoniam ut paulò post ostendemus, lætari agros faciat. Qvod autem in corpore gignitur animalium, id communiter stercus vocatur: unde stercorari dicunrur agri, cùm eo Luti genere vestiuntur. Sed generatim Lutum omne, cœnum etiam dicitur, qvæ sane Græca est appellatio: qvam si latine velis interpretari, commune significat. Nihil enim Luto communius, qvod, ut dicere institueram, rebus omnibus animatis maximam afferre solet utilitatem. Primùm enim, Qvirites, qvis vestrûm est, qvin intelligat, Luto segetes atqve omnia sata majorem in modum exhilarari? Nam tellus ipsa, rerum omnium parens, nisi Luti filii sui præsidio sustentetur, vires integras iis rebus, qvæ nascuntur ex ea, subministrare nullo

Per collationem.

Distinctio Synonymorum.

Ambiguitas vocis.

I. *A commoditate in agris excolendis.*

nullo modo poteſt: unde factum eſt hominum ſolertia, ut agri, qvò fœcundiores eſſent, Luto veſtirentur: qvæ res ab agricolis ſtercoratio nuncupatur. Cujus tantam utilitatem eſſe ſentiunt omnes, ut qvamvis primum auctorem ignorent, tamen eum propter hanc ſolam inventionem in Deorum numero collocandum eſſe cenſeant? Scribit enim Macrobius, à Romannis Saturnum fuiſſe Stercutium vocitatum, & eo nomine pro Deo cultum: qvod primus ſtercore fœcunditatem agris comparavit. Sed Auguſtinus in libris de Civitate Dei, Pici patrem Stercon fuiſſe ſcribit, à qvo peritiſſimo agricola ſit inventum, ut fimo animalium agri fœcundi fierent; atqve ab ejus nomine ſtercus dictum. At verò (Plinius inqvit) Italia regi ſuo Stercutio, Fauni filio, ob inventum ſtercorationis, immortalitatem dedit. Sunt qvi dicant, Augiam regem in Græcia ſtercorationem primùm excogitaviſſe, qvam Hercules in Italia deinde divulgârit: unde nata fabula ſit, Augiæ ſtabulum ab Hercule fuiſſe repurgatum, Illud certè conſtat ſtercorationis auctorem ab antiqvis indigitatum, & Stercutium nuncupatum fuiſſe: & meritò: qvid enim in tota agricultura ſtercoratione utilius? de qva doctus Heſiodus, ut apud Ciceronem aitCato, ne verbum qvidem fecit, cum de cultura agri ſcriberet: unde vehementer à doctis atqve intelligentibus viris improbatur. Nam Homerus, qvi multis, ut mihi videtur, ante ſeculis fuit, Laertem lenientem deſiderium, qvod capiebat è filio colentem agrum, & eum ſtercorantem facit. Hac de cauſa vir ille ſapientiſſimus Cato, cùm de re ruſtica ſcriberet, præceptum optimum his qvidem verbis reliqvit: Sterqvilinium magnum ſtude ut habeas: ſtercus ſedulò

Inventor hujus primus.

1. Saturnus.

2. Stercos.

3. Stercutius.

4. Cato diligens agricola

confer-

conserva. Videtis ne, qvanta cura stercoris gravissimo viro Catoni fuerit? Qvis enim nescit, qvantò lætiores veniant in agris stercoratis segetes, & qvantò messem afferant uberiorem? Hoc nimirum illud est, qvod agricolæ cum agnovissent, Luto cognomen indiderunt: &, qvod lætissimas fruges faciat, lætamen vocitârunt. Itaqve magnum ejus rationem habere solent, & magno studio atq; diligentiâ colligunt, qvo suos qvisqve agros, qvàm fieri potest optimè, vestiant. Qvin etiam lutum undiqve venantur, & in vasis (qvod ego hisce oculis vidi) accuratissimè collectum, domum portare non dubitant: cumqve maximè strenuum atqve industrium existimant, qvi plurimum ex eo diligentissimè collegerit. Neqve satis habent illud colligere, qvod sponte natum invenerint: sed artem etiam, & diligentem curam adhibent, ut qvam plurimum fieri potest augeatur. Qvare non sine causa præter cæteros omnes mortales, agricolæ sanctitatis & justitiæ laudem adepti sunt: ut etiam in operibus suis ingeniosissimi viri Poëtæ finxerint, apud agricolas longissimo tempore Deos habitâsse, cùm propter hominum scelera de civitatibus expulsi fuissent. Qvæ qvidem fictio nihil aliud mihi significare videtur, qvàm longè sapientiores agricolas esse, qvàm cives: nam qvotidiè ferè lutum ex civitatibus in agros exportatur. Qvod si verum est id, qvod proverbio dicitur, Deum esse illum, qvi mortales adjuvat: nemini dubium esse potest, qvin Lutum maximum numen sit, qvod pulsum è civitatibus apud agricolas habitet. Qvid autem utilitatis frugibus Lutum afferat, id in agris ipsis verno tempore, cùm propè, ut spicas incipiant emittere, videre licet. Ibi tùm benè stercoratos agros aspicias hilares luxu-

Latamen agrorum.

Fimus fœcundiss. & optimus qvi pedibus heri in agrum defertur.

Rustica vita optima & antiqvissima

Lutum exulat ab urbibus.

2. Commoditas in segete & messe.

riare, segetes in eis magnitudine præcellentes, viriditate conspicuas, culmo crassiore, calamo longiore, spica prominentiore, qvæ jam eo tempore non dubium spem uberrimi fructus afferat.

Contrariorum ratio in sterilitate ob Luti defectum.

Confer huic alium à luto non adjutum campum; vides primo qvasi tristitiam soli, culmorum raritatem ac tenuitatem, segetes humiles, qvodam pallore suffusas, ante tempus arescentes, spicis minimis, aut nullis. Illîc vides eximiam ubiqve lætitiam, hîc autem sqvalidam tristitiam? illic messis abundantissimæ spem maximam: hic omnis annonæ desperationem. Ecqvid intelligitis, Qvirites, in qvorum usum atqve utilitatem cedat hæc frugum abundantia? ecqvid agnoscitis, qvanta sit in hac parte Luti potentia? Non adeò vos tardo aut hebeti puto esse ingenio; qvin hæc facillimè cognoscatis.

3. Ab usu in arboribus & stirpibus.

Desinite Luto vestros agros obducere, tùm demum facilius statuetis, qvid Luti præsentia conducat, & qvid absentia detrimenti ferat. Jam verò non frumentis tantùm, sed etiam arboribus Lutum maximè prodest. Qvis est enim, qvi nesciat, vites, ut reliqva genera prætermittam, qvantò magis stercorantur, tantò copiosiorem afferre vindemiam? Nam Luti succus ille pingvis & uvidus, qvem hebetes & imperiti homines vilissimnm & sordidissimum esse judicant iu suavissimum vini saporem convertitur.

Digressio in Viri laudes.

Qvod ne fortassè meum esse commentum putetis, summus Philosophus & rerum naturalium diligentissimus indagator Empedoles hoc affirmat, ut Aristoteles in Topicis autor est cujus hæc verba notavimus: οἶνος ὕδωρ ἐςὶ σεσηπτὸς καθάπερ Εμπεδοκλῆς φησὶ, σαπὲν ἐν ξύλῳ ὕδωρ. Vinum igitur nihil aliud Empedocles ajebat esse, qvam aqvæ putrefactionem in vitibus. Qvid autem

autem aliud est aqvæ putrefactio, qvam Luti succus? Ergo qvod tantâ cum jucunditate bibimus, qvod tantam nobis lætitiam affert, tantam voluptatem, qvod tam svave est; tàm dulce, tam jucundũ, Qvod (ut ait Horatius) curas abigit, qvod cum spe divite manat, luti succus est. Qvid autem attinet hoc loco vini laudes commemorare, cum paucissimi reperiãtur homines, qvi non illud majorem in modum appetant, & avidissimè bibant? Qvid enim esset inter homines lætitiæ, qvid hilaritatis, qvid voluptatis, qvid ingenii, nisi vinum esset? Nam vini magnus amator Horatius eleganter ita clamat:

Vini commoda & fructus.

Vinum & musica lætificant cor hominis.

Fœcundi calices qvem non fecêre disertum?
Vina ferè dulces oluerunt mane Camœnæ.
Laudibus arguitur vini, vinosus Homerus.

Deniqve vir sapientissimus Cato vino tantoperè delectabatur, ut ebrius sæpenumerò fieret. Sed neminem prorsus esse arbitror, qvin intelligat, rem utilissimam & optimam esse vinum: qvare si qvis hunc Deum liberum amat, qvem qvis non vehementer amat? is etiam lutum, ejus parentem, ut plurimum amet necesse est. Jam verò qvantum hortis, oleribus, viretis Lutum utile sit, ne commemorandum qvidem esse censeo: cùm ignotum nemini sit, eum demùm hortum feracem fieri solere, ea olera tenera & ampla perpetuò videri, maximam in eis viretis amœnitatem semper esse, qvæ luto fuerint optimè saturata. Qvis nescit, olitores adeò luti studiosos esse, ut civitates etiam cum gerris & sportulis peragrantes, illud accuratissimè colligant atq; etiam pretio freqventissimè comparent? Qvis non magnoperè lætetur atq; exhilaretur, cum pingvis horti vultum aspexerit, qvẽ luto diligens olitor saturârit? qvid illo virore speciosius? qvid illa amœnitate jucundius?

Conclusio hujus 3. usus in vinea & vitibus.

4 Commoditas in hortis & herbis.

Industria rusticorum.

Hic ingentes brassicæ solido caule brachia latè fun-
dunt : illic virentes amplo capite porri subalbe-
scunt : hîc longè diffusæ betæ luxuriant : illîc cibo-
rum reqvies lactuca crispantur: hîc gravis cucurbi-
ta ventrem in longum porrigit : illîc asparagi su
luto tenerrimi caput amplissimum exerunt. Sed n
ego stultus, qvi singula proseqvi velim : cùm om
nem hunc sermonem possim uno verbo conclude-
re. Qvicqvid enim in hortis nascitur, id luto mi-
rificè delectatur, alitur, augetur. Seqvitur, ut ani-
mantibus etiam cujusqve generis utilissimum es
Lutum ostendam. Atqve illa ratio potissimum a-
nimum meum inducit, ut conjunctim de hominib
atqve belluis agendum esse arbitrer, qvod neutru
genus video sine luto posse diem unum vivere, H
mihi, Poëtarum more, lingvas centum oraqve cen-
tum, & ferream vocem in mentem venit exoptare
tantam enim rem & tam egregiam nullus verbo-
rum splendor, nulla sententiarum gravitas, nulla
vis eloqventiæ, nulla deniq; animi contentio dig
posset explicare. Mihi qvidem certè voluntas n
deest : ut cætera in dicendo digna re, digna volu
tate suppetant, elaborandum est. Etenim hæ
qvam dicturus sum, luti utilitas ejusmodi est,
qvamvis verissima sit , tamen propè incredibil
esse videatur. Qvis enim ita facilè credat, unive
sos homines, omnes tàm agrestes qvàm domestic
belluas, luto vitam acceptam ferre oportere ? Q
igitur faciam? cùm jamdudum de luti eximia vir
te dixerim; cùm jam propè vim omnem verboru
effuderim ; cùm jam qvicqvid in me facultatis era
in dicendo consumserim, neqve illud omninò pr
viderim , ut aliqvid ad hunc locum mihi obser
rem. Qvibus igitur verbis rem tantam aggredia

Præcisio.

Transitio ad V. utilitatem in brutis.

Hyperbole.

Immoratio in re eadem.

Absq; luto nullum animal vivere potest.

Opino

)pinor, unus modus atqve una ratio eſt. Hanc luti
ım magnam utilitatem in medio ponam. Qvæ per
: tàm clara eſt atqve perſpicua, ut nullius hominis
d eam amplificandam oratio reqviratur; vos ipſi
ro veſtra prudentia, qvanta ſit, videre facillimè
oteritis. Niſi fortè hoc non intelligitis, Qvirites,
vod, ut omnibus cognitum eſt, ſic à pauciſſimis
onſiderari ſolet; vos, niſi ventris onus deponatis,
: comedatis, nullo modo poſſe vivere. Sed cur tan-
em riſum non continetis? Non eqvidem dixi, ven-
ris onus vos comeſſe oportere; ſed ὕστερον πρό-
τερον Homericè locutus ſum. Omnem enim ani-
nantem ventrem priùs explere neceſſe eſt; deinde
tiam exinanire. Sed ne ſolertiam meam rideatis,
vi hoc excogitarim; videte, qvàm pauci hoc ad-
'ertant, neqve expleri ventrem, neq; exinaniri ſine
uto poſſe. At dicet fortaſſè qviſpiam! Ego verò ſine
uto vivere poſſum, neqve unqvam luto ventri va-
:uo ſatisfeci? Qvid? illud, qvo veſceris, unde natum
it non intelligis? tamnè citò prioris orationis ob-
itus es? An non meminiſti, fruges omnes, vinum,
:æteraqve omnia qvibus utuntur homines, ex luto
nata fuiſſe demonſtratum? Qvi tibi cibus, qvæ po-
:io, qvi victus, ſi lutum non ſit, adeſſe poteſt. Proh
deûm atqve hominum fidem? tu ſine luto vivere
diem unum poſſes? qva re obſecro, aut qvo cibo
ventris egeſtatem ſublevares? Panem ſcimus è fru-
gibus confici, qvæ ſine luto naſci non poſſunt; po-
ma omnia de luto nata docuimus. Carnes, ais, de-
vorarem. Jam verò te non poſſum ſtultitię non con-
demnare. Carnes comederes? qvas, obſecro, car-
nes? nempè aut volucrum, aut aqvatilium, aut terre-
ſtrium animalium: qvod autem horum eſt animal,
qvod ſine luto vitam agere poſſit? Mitto jam de re-

Excrementa lutoſa in homine.

Objectio.

Solutio.

Alimenta è luto nata.

Præteritio.

 liqvis

liqvis dicere hoc unum primo, qvod omnium maximum est; qvalis hominum esset vita sine Luto? non eqvidem possum, qvod animo concipio, verbis exprimere; sed qvantò minus eloqventiâ valeo, tantò diutiùs in hoc insistam, in qvo summam Luti utilitatem video non posse denegari. Veniant omnes Oratores, Sophistæ, Philosophi, Theologi: qvid tandem contra hanc orationem meam afferre poterunt? An erit eorum qvisqvam tam impudens, qvi negare audeat homines, pecudes, volucres, pisces, omne genus animantum, luto solo vitam propagare. Qvamvis erit fortassè aliqvis, qvi cum semel omnes rationis metas transgressus fuerit, etiam apertè veritati contradicere, & Soli, qvod ajunt, tenebras offundere non dubitabit. Cæterum si carnes & cupedias ei detrahas, mare statim (ut dicitur) cœlo permiscebit. Sed non video, qva ratione possit huic hominum generi persuaderi, sine luto nullam esse vitam; nisi validissimis pharmacis, qvæ vim habeant expurgandi, multos dies exinaniantur, deinde cibus eis triduo denegetur: tunc demum intelligere incipient, atqve alta voce clamare, nullo modo se diutiùs sine Luto vivere posse. Qvam enim impudentis est, id inficiari, qvod abscondi non possit? Nullum est anni tempus, seu vigiles, seu dormias sive ambules, sive sedeas, qvo non semper tecum lutum habeas; qvod si fortassè casu aliqvo paulo abundantius egeratur, statim infirmus ac debilis efficeris, nec pedes, nec manus, nec ulla corporis pars satis officium suum facit: qvin etiam sæpissimè nimio fluxu multi mortales intereunt, qvem Græci morbum διάῤῥοιαν appellare solent. Et erit aliqvis, qvi luto spoliatum vi-

Probatio per industriam.

Comprobatio ab eventu & effectu.

Alvi fluxus nimius mortis causa.

ver-

rere se posse diutiùs existimet, cùm sola ejus imminutione videat statim homines fatò concedere? Quod autem de hominibus dico, idem etiam de cæteris animantibus intellectum volo; qvorum nullum adempto luto superesse ullo modo potest: cibus enim omnis in ipso stomacho, priusqvam pareat atqve nutriat, ut in lutum convertatur necesse est. Unde perspicuum est, non tantùm utile Lutum esse; sed etiam omninò necessarium. Videte, Qvirites, qvàm simpliciter, qvàm non fucatè, qvàm non artificiosè, vobiscum agam, ut nihil subdolè, nihil versutè dicam; ut nulla, fallaci conclusione, nullis mendaciis utar? ut artis illius phaleratæ prorsus obliviscar; ut nihil deniq; dicam, quod non mihi paulatim suggerat ipsa veritas. Nullam enim hactenus de luti necessitate mentionem feci: cum tamen, qvamvis utilissimum sit, longè magis necessarium esse, quam utile videatur. Id enim à nobis utile solet appellari, qvod ad usum corporis aliquo modo potest accomodari, de quo fructus aliqui percipiuntur: necessarium autem sine quo nullo modo esse possumus: itaq; cum sine Luto nullus ex omnibus animantib. omninò possit esse, quemadmodum apertissimè demonstratum est, sequitur, ut prorsùs esse necessarium ad cujusq; animantis salutem concludendum sit. Qua in re stultitiam hominum admirari maximè licet; qui, quod omnium maximè necessarium est, oderunt, atqve rejiciunt qvod autem mare (qvod ajunt) malorum secum adfert, id obviis (ut dicitur) ulnis amplectuntur. Qvis enim est, qvi non lutum spernat, & aurum diligat? Atqvi lutum jam videtis præsentia sua vitam, absentia non dubiam mortem

Conclusio.

Transitio ad necessitatem Luti.

Utilis definitio.

Necessarii.

A contrariis.

Probatio, qvòd lutum ad vitam sit necessarium.

præstare: qvo fit, ut ad vitam conservandam sit omninò necessarium: aurum autem, si qvis rectè consideret, ad nullam vitæ commoditatem conducere prorsus inveniet; qvin potiùs ingentium ac propè innumerabilium malorum sæpenumerò causam esse. Hinc enim cædes, incendia, rapinæ, bella intestina, civitatum direptiones, agrorum vastitates, tumultus, insidiæ, fraudes, patriæ proditiones, qvicqvid dici aut excogitari sceleris potest: cùm interim à luto nihil mali, nihil detrimenti, sed ut ab optimo parente, vitam, fortunas, commoda, voluptates habeamus. Qvod si qvid etiam aliud, præter lutum, utile fortasse reperitur, qvod fieri posse non inficior: id tamen qvicqvid est utilitatis, acceptum ferri luto necesse est; qvoniam ab eo, sicuti antea docui, cuncta proveniunt. Age verò, qvale sit in cæteris etiam rebus erga homines lutum, videamus. Non enim solùm nos educat, alit & oblectat; verùm etiam ita sese rebus omnibus accommodat, ut nihil sit, in qvo nobis prodesse non possit. Qvis enim ignorat, ædificandi rationem omnem propè luto constare? Qvis non intelligit, nullam posse civitatem sine luto, nullum oppidum, nullam domum extrui, nulla Deis immortalibus templa dedicari? Qvis non videt, cæmentum, bitumen, cretam, calcem, cætera, qvibus omnes fieri substructiones solent, lutum esse? Jam non longius ab instituto digrediar in declamando, ne me putetis aliqvid Rhetorum more confingere. Sed profectò videtis, Qvirites, qvem orationis splendorem prætermittam? Possem enim dicendo subjicere oculis qvod ornamentum, qvæ vetustas, qvæ dignitas terrarum orbi deesse videretur, nisi essent domus nisi oppida, nisi civitates: nam aut in sylvis fera-

Oppositio.

Auri sacra fames qvid efficiat.

Declaratio uberior utilitatis luti.

In ædificando.

Præteritio.

rum

rum more pervagari, aut in cavernis aut terræ foraminibus, ut TriglodItæ feruntur, habitare necesse esset. Sed qvoniam ad finem jam spectet oratio mea, tantùm unum illud addam, qvod à multis etiam antiqvis eruditissimis viris animadversum est, esse mirificam qvandam in luto vim ad omnes è langventi corpore morbos depellendos, pleni sunt omnes Medicorum libri, plena omnia pharmacorum, qvæ de luto componuntur. Qvod si qvis mihi fidem minimè habendam putet, Plinium legat & Galenum, & qvicunqve de arte Medica scripserunt: tùm demum intelliget, qvid ægris corporibus utilitatis lutum afferat. Qvid? qvòd etiam ea luti species, qvam nos maximè fugimus, qvæ de nostro egeritur corpore, maximi est usus in medendo Nam Plinius certe stercus hominis inter magna morborum remedia connumerat. Et Dioscorides tradit, hominis & canis stercus, cùm exaruerit, melle permixtum & gutturi annexum, anginis mederi, cura nunqvam fallente: qvod etiam mihi belluæ qvædam intelligere præclarè videntur. Nam pantheram ajunt, cùm aconitum gustaverit, qvod venenum est ei lethiferum ac perniciosum, hominis stercus diligentissimè qværere; qvo degustato, facillime sanatur. Jam upupam tradit Aristoteles ex hominis stercore sibi nidum construere: credo, qvod in eo maximam & sibi & pullis suis utilitatem experiatur. Has tam singulares & eximias Luti virtutes etiam à majoribus nostris, qvamvis rusticanis hominibus, aliqvo modo perspectas & cognitas fuisse, facilè crediderim: qvippe qvi mutato nomine atqve genere Lutum divinis honoribus dignati sint. Cùm enim viderent summum Deorum Jovem marem esse, Lutum etiam suum eo ge-

Transitio ad ultimum argumentum ab usu Medico.

Faeces alvi cui bono.

Album græcum.

Exaggeratio à superstitioso ritu rusticanorum.

Stercutius & Saturnus.

nere insigniri voluerunt, Stercutiumqve deum appellârunt: cumq; de luto viderent omnia creari, Jovem etiam ipsum ex eo prognatum esse crediderunt, itaqve Stercutium & Saturnum eundem esse dicebant, atqve hac (ut opinor) de causa pedes lecti, in qvo Flamen Dialis cubaret, luto tenui, sicut Gellius scribit, circumlitos esse oportebat. Neqve verò expectetis à me, Qvirites, ut hac extremâ orationis parte, qvod à Rhetoribus fieri solet, ea repetam amplificando, qvæ de Luti laudibus â me commemorata sunt. Qvid enim ea repetam aut amplificando, qvæ de Luti laudibus à me commemorata sunt. Qvid enim ea repertam aut amplificem, qvæ ne semel qvidem satis pro rei dignitate potuerint explicari? Qvid? an iterum ea dicam, qvæ nemo penitùs inficiari potest? nihil esse Luto nobilius qvod à clarissimis parentibus terra atqve humore natum sit, qvibus Deus in se rerum omnium curam atqve administrationem demandavit: nihil esse Lutò præstantius: unde qvicqvid est in orbe terrarum eximium generetur: unde non tantùm belluæ, sed etiam homines ipsi formati sint: qvod ab immortali Deo mirificè diligatur. An iterum commemorem, utile atq; necessarium esse Lutum? qvod nullum animal eo privatum, vivere diutiùs potest? qvod eo frumenta, segetes, arbores nutriantur & fœcundiores efficiantur? qvod ex luto fiant, qvæcunqve sint ad victum necessaria? qvod ex luto civitates, oppida, domus, templa construantur? An iterum ut tantasqve luti utilitates, qvas nemo cogitatione, nedum oratione complecti potest, exponere contendam? Non faciam, Qvirites, non diutiùs incredibiles atqve divinas Luti laudes ingenii mei culpâ diminuam; Qvamobrem hanc ultimam ora-

Conclusio cum repetitione præcipuarum rationum.

1. A borigine.

2. Ab utili & necessario.

Conclusio.

orationis partem integram cogitationi vestræ totam relinqvam. Vos qvicqvid excellens esse existimatis, qvicqvid in rerum natura pretiosum, qvicqvid amplum, qvicqvid magnificum, ante oculos ponite. Ponite ante oculos hanc admirabilem naturæ varietatem, tot & tam egregios terrarum fœtus, tot animantium genera, tot res & tàm varias ad usum hominum procreatas, ipsos deniqve homines: & cum diligentissimè rerum omnium præstantiam atqve utilitatem consideraveritis: tunc ad Lutum mentium vestrarum aciem revolvite: & cogitate, nisi Lutum esset, nihil earum rerum tàm excellentium potuisse generari: tùm faciliùs apud vos ipsos statuetis, qvantis laudum præconiis dignissimum esse putandum sit: & qvantoperè fallantur homines in opinionibus suis: tunc omninò decernetis, non esse temerè cuiqvam assentiendum, cùm in hac re luce clarius videatis, universos ferè mortales maximoperè decipi.

Apostrophe ad auditores.

PRO SE IN SENATU MEDIOLANENSI; CUM DE mutatione nominis à Fabio Lupo & Macrino nigro fuisset accusatus.

ORATIO X.

Hæc spectat ad genus Judiciale. Disceptatur n. hic cum adversariis, & calumniantibus aut cavillatoribus, jurene Majoragius nomen prius Maria in Marcum mutare potuerit? Num verò ideò crimen falsi admiserit? Sed excusat se, qvòd id nullo dolo malo fecerit, cùm idem legibus sit concessum; & exempla qvoq; prostent magnorum virorum, qvi idē fecerint; eò qvòd ut in sexu discrimen est: ita etiam in nominibus & cognominibus masculinis & fœmininis.

Exordium à sui ipsius personâ & vitæ genere.

CUm ita vitæ meæ rationes ab ineunte ætate suscepissem, Patres conscripti, ut & parentum meorum optimorum hominum consiliis, & præceptorum, qvos mihi plures & eos perqvàm eruditos habere contigit, institutionibus; & naturæ etiam ipsius instinctu, qvam semper, tanqvam optimam ducem mihi seqvendam esse censui; qvæcunqve facerem, omnia fugiendæ turpitudinis, & honestatis adipiscendæ causa mihi facienda esse statuerem; ut non otio, sed labori, non libidini, sed industriæ, non inertiæ,

Boni & docti viri munus.

sed

sed ingenuis artibus me natum existimarem: sperabam fore, ut non solùm ab adversariorum meorum accusationibus, qvos ego semper, propter eam, qvæ cum eis mihi est, collegii societatem, & colui, & observavi: sed etiam à malevolorum hominum voculis, & ab omni deniq; reprehensione totius vitæ meæ cursus tutus essem perpetuò futurus. Qvid enim aut accusatorum calumnias: aut obtrectatorum maledictiones ille pertimescat, qvi rectæ voluntatis conscientiâ munitus, primò neminem unqvam spontè læserit; deinde pro virili parte qvam plurimis semper prodesse studuerit? Sed profectò nihil est tàm integrum, qvod non frangere: nihil tàm sanctum, qvod non violare, nihil deniq; tàm munitum, qvod non expugnare vel nocendi cupiditas, vel invidia conetur. Si qvis enim diligentissimè qværat, P. C. nihil aliud in causa fuisse reperiet, cur adversarii mei tàm in me acriter exarserint, tàm infensi infestiqve sint, ut omni contemeliâ me invadant, de me famaqve mea detrahant, me accusandum vobis esse censeant: nisi qvia tàm brevi tempore præter spem atqve expectationem suam, hac in literarum professione, qva sibi maximè placebant, in qva primas obtinebant, & se perpetuò regnaturos opinabantur, se dignitate videnta me beneficio vestro superatos. Hoc est, qvod eos assiduè torqvet, qvo dies noctesqve cruciantur, qvo penitùs disrumpuntur. Nam usqve eo lædendi cupiditate cœci contra famam dignitatemqve meam feruntur, ut dum me nimis cupidè atqve importunè insectantur; vobis etiam, P.C. petulantur & improbè maledicant: neqve satis advertant aut cogitent, me fine ope vestra, sine auxilio, sine auctoritate neqvaqvam ad hunc dignitatis gradum ascendere

Votum boni eventus ex vita honestè acta.

Ratio.

Oppositio à contrario boni eventu.

Ratio.

Qvia virtuti invidia comes.

Exaggeratio obtrectationis.

dere

Translatio ejusdem in alios.

dere potuisse. Qvò fit, ut dum mihi procacitate lingvæ nocere student, dum in me virus acerbitatis suæ vomunt, eodem tempore vestrum etiam de me judicium perspicuè condemnent. Qvicqvid enim est in me dignitatis, qvicqvid gloriæ, qvicqvid honoris, id à vobis P. C. me totum accepisse non solum grato animo cognosco, sed etiam libentissimè prædico. Vos me novum hominem ex umbra, qvod ajunt, in solem eduxistis. Vos hanc mihi amplissimam atqve honestissimam utriusqve Lingvæ publicè docendæ provinciam vestra sponte demandastis. Vos mihi liberos vestros atqve universam Mediolanensem juventutem erudiendam commisistis. Vos iidem postea, cùm propter bellorum tumultus, intermissis literarum studiis, ab hac urbe discessissem, amplificato stipendio me revocandum anno superiore censuistis. Neqve hoc imprudentissimi homines adversarii mei considerant, vos sapientissimos & Reipubl. amantissimos viros neqvaqvam ad hoc munus me revocaturos fuisse, nisi probum virum, & tali dignum officio indicavissetis. Sed cùm nullum in me scelus, nullum flagitium, nullam petulantiam, nullum ejusmodi crimen, qvo meum nomen pobabili de causa deferrent; ne fingendo qvidem excogitare potuissent; propterea qvòd ego semper ab ineunte ætate, qvoad facultas mea tulit, innocentiam atqve integritatem vitæ complexus sum: videte qvo tandem incredibili nocendi studio progressi fuerint. Hanc unam levem & prorsus inanem accusationem, qvemadmodum vos eam pro summa vestra prudentia judicaturos spero, qvod ipse mihi nomen immutarim, suscipere non dubitarunt; ut, si qvo modo

Qvidqvid clienti infertur, inferri videtur patrono.

Commemoratio beneficiorum in se collatorum.

Ab absurdo.

Propositio & status.

modo fieri posset, vestram à me benevolentiam, qvam in me singularem semper, ostendistis, vestrosqve animos à dignitate mea, cui semper hactenus magnoperè favistis, abalienarent. in eam enim spem atq; opinionem venerant, fore, ut ista sua tàm populari actione statim opprimeret; & penè prius à vobis condemnarer, qvam abeis reus fierem. Nam me propter eorum hostilem impetum adeò timore præterritum existimabant, ut apud vos, qvorum animos assiduis in me criminationibus accendere, atqve inflammare conati fuerant, pro me ipso dicere nihil prorsus auderem. Sed illud eos omninò fugit, P.C: magnam vim esse conscientiæ, qvod ait Orator, in utramqve partem · ut neqve timeant, qvi nihil commiserint: & pœnam semper ante oculos versari putent, qvi peccarint. Hæc igitur una res innocentiæ meæ fidem cuiqve vestrum facere debet, qvod nulla sceleris conscientia territus, simul atqve mihi dies dicta est, nihil recusavi, qvo minus vadimonium obirem, & vestro me judicio, nullâ interposita morâ, committerem: qvamvis multa esse, qvæ contra me facerent hoc tempore, non ignorarem. Primùm adversariorum meorum summa gratia, qva plurimùm eos in hac civitate posse non mirum est: cùm multos nobiles cives simulatione probitatis devinctos consuetudine suâ teneant, apud qvos se Deos in docendo faciant, & eruditionem atq; doctrinam suam majorem in modum extollant & amplificent: qva certè scientiæ opinione, multorum gratiam & favorem aucupantur. Deinde incredibilis eorundem audacia, profluentiaqve loqvendi, qva mortalibus omnibus antecellunt: ut nihil tàm incredibile esse videa-

Accusationis iniqva intentio.

Contrarium.

Παῤῥησία ob innocentiam

Enumeratio causarum accusationis.

1. Favor emendicatus & fucatus.

2. Temeritas.

videatur, qvod in qvemvis hominem impudentissimè fingendo dicere non audeant. Mihi verò, qvod vos, P.C. non ignorare certò scio, mirificus qvidam à natura pudor insitus est: ut cum in alienis etiam caussis initio dicendi commoveri soleam; tùm hoc tempore, qvo mihi pro me dicendum est, etsi rectâ conscientia fretus audenti animo in hunc locum venerim: tamen facere non possum, qvin aliqvo timore concutiat. Sępe enim mihi venit in mentem subvereri, ne si fortè de me, meæqve vitæ rationibus aliqva dicere conatus fuero, in arrogantiæ suspicionem incidam: qvam in hoc orationis meæ principio, P.C. maximè velim à vobis deprecari: ut qvæ mihi de me necessariò dicenda sunt in hac causa, non ea me mea sponte, qvi ab omni penitus ostentatione semper alienus fui; sed ab adversariis coactum, ne turpi judicio victus abeam, commemorare existimetis. Nam si pudoris atqve naturæ meæ rationem habere voluero, nihil ut de me liberè, nihil magnificè dicere audeam, nullam afferre causam potero, cur me vos dignum existimaveritis, qvem ad hoc tàm amplum tamqve honestum publicè docendi munus elegeritis. Huic accedit opinio qvædam, qvæ jam penitus insedit atqve inveteravit in omnium ferè mentibus; Non nisi alicujus fraudis atqve malitiæ causâ solere nomen immmutari. Qva in re maximè sese extulit atqve exultavit adversariorum oratio: usqve eò, ut hoc uno nomine se putent effecisse, ut me qvam cupidissimè vos P.C. damnaturi sitis. Sed, ut spero & opto, nunqvam improbitate suâ, nunqvam conviciis & calumniis suis efficient, ut vos ista prudentia atqve sapientia, tàm levi criminatione ducti, civem eum, in qvem tot ac tanta jampridem beneficia contulistis, qvem ve-

1. Pudor & verecundia.

Ratio. Qvia propria laus sordet.

Petitio per insinuationē.

Extenuatio ob modestiam.

2. Præpostera opinio, q. crimē falsi esset.

Declinatio criminis.

stra

ſtra ſponte tantis honoribus condecorâſtis, innocentem adverſariorum crudelitati jugulandum tradatis. Quæ eſt enim iſta accuſatio, qua ſe ſperant apud vos non tantùm omni me dignitate ſpoliare; ſed etiam, ſi fieri poteſt, infra mortuos amandare? quàm levis? quàm nugatoria? quàm indigna veſtris auribus, veſtroq; conſpectu? Quid eſt, quod in me reprehendatis, boni accuſatores? An me fortaſſè nefarium aliquod, aut impium, aut ſceleſtum perpetrâſſe coarguitis? Nihil minùs. Quid ergò? Tibi; ajunt, nomen immutâſti. Cùm enim priùs ab omnibus Antonius Maria dicereris, nunc te Marcum Antonium vocari jubes. En crimen. En accuſatio. Digna verò cauſa, propter quam tantas iſti Tragœdias excitent, me inſectentur, exagitent, ex hominum numero ejiciendum atq; exterminandum eſſe clamitent. Nihil enim aliud in me tàm longo ſermone ſuo, tot odioſis nugis adverſarii reprehenderunt; niſi quod unam in nomine meo ſyllabam immutârim, atq; ex Maria Marcum fecerim. Equidem eum eſſe me gaudeo. P. C. in quem, cum maximè cuperent adverſarii; ne veriſimile quidem ullum crimen fingere potuerunt. Tota enim eorum accuſatio, quemadmodum audiviſtis, in nominis mutati reprehenſione verſata eſt: nihil de moribus, nihil de honeſtatis fama detraxit. Quod ab iſtis non ideò factum eſt, quia deeſſet illis maledicendi cupiditas: ſemper enim maledici conviciatores & fuerunt, & habiti ſunt: ſed quia nimis impudenter & apertè mentiri veriti ſunt; cùm nihil omninò, quod probabiliter accuſare poſſent, invenirent. Benè habet. Jacta ſunt optima defenſionis meæ fundamenta. Neq; enim vereor, ne fraudis alicujus aut malitiæ gratiâ nomen à me quiſquam

1. Argumentum à levitate & vilitate.

Facti narratio.

Εἰρωνεία.

Litera aut ſyllaba non facit errorem, ajunt JCti.

Calumniare audacter, ſemper aliquid hæret.

2. Ab innocentia.

Quia non malo animo aut dolo.

Vir bonus accusari nõ debet.

vestrum immutatum existimet: cùm propè adversariorum confessione vir bonus atque integer jam judicatus esse videar. Nam qui accusator nihil in ejus vitam dicit, quem accusat: is planè virum probum atq; honestum se accusare confitetur. Itaq; mihi facilis ab adversariis & expedita ratio defensionis proposita est: quoniam, ut ipsi tacendo confitentur, omnis abest à me meisq; moribus fraudis atq; malitiæ suspicio. Sed ut faciliùs intelligere possitis P. C. quod jam vobis penè persuasum esse

Repetita petitio.

certum habeo, nihil hac in re malitiosè; nihil improbè gestum à me fuisse: date mihi hanc veniam, accommodatam huic causæ: mihi ad vincendum propè necessariam; vobis, quemadmodum spero, non molestam: ut apud vos de meipso & de superiore vita mea paulò liberiùs aliqua dicam. Sic

Uterq; & reus & actor judicii admittendi.

Probatio à genere seu familia paterna.

enim & verum ex me audietis, & mores meos purgatos probatosque esse intelligetis, & de tota hujus causæ ratione liquidiùs & apertiùs judicare poteritis. Julianus Comes, homo cùm innocentia atq; integritate vitæ, tùm officio, fide, auctoritate sui municipii facile Princeps, mihi pater fuit, P. C. qui cùm Majoragium vicum habitaret, atq; ita se cõmiter liberaliterque gereret, ut vicinis omnibus gratus & charus haberetur; cognomen à loco sortitus est, & Majoragius appellatus. Is cùm adhuc

Per narrationem deducta.

Liberorum nomen sæpè patris imponitur.

esset adolescens, uxorem duxit ex antiqua nobiliq; Comitum familia, Magdalenam nomine, lectissimam & honestissimam fœminam; ex qua cum primo tres filias suscepisset, tandem etiam me quarto loco suscepit: quem ex patris sui nomine qui mortem jampridem obierat, (sicut à plerisque fieri solet) Antonium appellavit: ut in filio patrem à mortuis quodammodo revocare videretur. Hoc

enim

enim præcipuè nomine semper delectata fuisse familia nostra videtur. Nam & apud majores nostros clarissimos Comites, permulti fuerunt, & hoc etiam tempore complures in ea sunt Antonii. Cùm igitur magna quadam cum diligentia atque cura, quæ me unicum habebat masculum, mater educaret, & quotidiè vota faceret, ut vivax & superstes essem: boni ominis gratiâ, quemadmodum ex ipsa sæpè audivi, nomini meo Mariam addidit: ut sanctissimum illud divinæ matris nomen, materna quadam pietate muliebrique religione mihi additum, gratiorem ex nomine meo sonum atque amabiliorem ad ipsius matris aures apportaret. Eam enim sæpissimè commemini dicere, se Mariæ nomine mirandum in modum solitam esse recreari. Hinc igitur accidit, ut ab incunabulis usq; non à matre solùm, quæ mihi nomen illud addiderat; sed etiam à patre atq; ab omnibus vicinis Antonius Maria semper vocatus fuerim. Neq; enim unquam alio nomine me passa est mater, quoad vixit, appellari: neq; pater, cùm hoc parvi esse momenti judicaret, in ea re matris voluntati refragari voluit. Ab his initiis profectus ut primùm per ætatem mihi licuit & Latinis & Græcis literis ad humanitatem informari: statim à parente, qui me quàm doctissimum fieri vehementissimè cupiebat, quamvis ei non admodum ampla rei familiaris copia suppeteret, erudiendus doctissimo præceptori traditus sum. Sed cùm aliquos jam in literis progressus facere cœpissem: postea temporum injuria, quæ diu maximè perturbata atque tumultuosa fuerunt, effectum est, ut per annos ampliùs octo, tametsi literarum essem amantissimus, nihil tamen in eis operæ, nihil studii

Occasio Agnominis additi.

Superstitio pontificia.

2. Ab Educatione.

3. A peregrinatione.

ponere potuerint: donec tandem cùm paulò quietiora tempora succesissent à Primo Comite consobrino meo, doctissimo viro, Novocomum, quæ Romanorum colonia fuit, ubi tunc ipse publicè docebat, magna sanè cum humanitate atq; benevolentia perductus sum. Ibi cùm aliquod tempus operam Primo dedissem, qui me cùm studiosè, tùm peramanter erudire contendebat, & ipsius præceptoris judicio tantum jam in literis profecissem, ut non tantùm Latinos & Græcos auctores per me ipsum intelligere; sed aliis etiam interpretari facilè possem, Mediolanum in antiquam majorum meorum patriam & civitatem veni, vivente adhuc Francisco Sfortia Mediolanensium duce ac principe. Statim Fanniani, cùm adhuc ignotus in hac urbe penitus essem, me domum suam receperunt: eaq; comitate atq; liberalitate erga me longo tempore usi sunt, ut huic Lancilloto Fanniano; viro summa virtute, fide, religione prædito, non minùs quàm parenti me debere & sentiam, & libentissimè prædicem.

4. Ab industria indefessa in studiis.

Fui apud hunc annos circiter quinq; quo quidem tempore literarum studiis adeò vehementem operam dedi, ut totum illud quinquennium in labore atq; contentione animi contriverim, ut me non quies, non remissio, non æqualium studia, non ludi, non convivia delectârint.

Comprobatio per testimonia magnorum virorum.

Testis est vir iste gravissimus atq; ornatissimus Lancillotus Fannianus, patronus meus: qui mihi adest, de me sollicitus est, meum honorem atq; existimationem tuetur. Qui cùm in studiis literarum me continenter versari videret, magno quodã cum amore sæpissimè reprehendere solebat, quòd acquirendæ scientiæ desiderio, propriæ salutis oblivíscerer. Testes sunt omnes, qui me norant eo tempore, ut

non ſemel propter nimis aſsiduum ſtudium, cùm in gravisſimos morbos incidiſſem, de vitæ periculo dimicârim. Erat autem ſtudiis meis ille finis propoſitus, ut, ſi quo modo fieri poſſet, amiſſa jampridem in hac civitate dicendi ratio & declamandi conſvetudo per me reſtitueretur. Itaq; non tantum ipſe propè quotidianâ dicendi exercitatione utebar: ſed etiam nobilisſimos adoleſcentes incredibili quadam cum animi voluptate propter eorum excellens ingenium more veterum aſsiduè declamantes audiebam: & eorum dictionem, quantum per me fieri poterat, ad illius divinæ Ciceronis eloquentiæ modum atq; exemplar informabam. Neq; tamen intereà cæterarum artium ingenuarum ſtudia prætermittebam. Nam eodem tempore ab Arunte Bataleo ingenioſisſimo & acutisſimo viro in Dialectica ſtudioſisſimè exercebar; quæ, quod ait Cicero, quaſi contracta & aſtricta eloquentia putanda eſt: & in Mathematicis diſciplinis Hieronymo Cardano, Philoſopho Medicoq; peritisſimo, & noſtri temporis Mathematicorum facilè principi dabam operam. Sed cùm propter novam docendi rationem meam maximus quotidiè nobilisſimorum adoleſcentium concurſus ad me fieret: nam & vos, P. C. & cæteri cives noſtri de me jam eam opinionem conceperant, ut mihi rectisſimè filios ſuos committi exiſtimarent: cogitare cœpi, longè mihi & ad famam clarius, & ad erudiendam juventutem commodiùs fore, ſi publicè docendi provinciam à Gymnaſiarchis noſtris mihi demandari procurâſſem. Quam in ſpem & cognitionem adductus ſum, poſtquam vir ſapientisſimus Philippus Saccus, hujus publici conſilii auctor, & veſtri ordinis Princeps, me ad eam provinciam petendam invitavit,

A fine ſtudiorum.

Et quidem in exercitio Oratorio.

Non neglectis aliis ſcientiis.

6. A vitæ genere & nova muneris functione.

Fautores & promotores ad novam provinciam.

vitavit, suamq; suffragationem, omnium potentissimam & probatissimam, mihi sua sponte peramanter obtulit. Hujus igitur præcipuè opera, tùm etiam studio atque favore clarissimi & amplissimi viri Francisci Sfondrati; qui cùm eo tempore Mediolani primarius senator haberetur, & Caroli Quinti Imperatoris consiliarius esset, summum dignitatis gradum obtinebat; magno consensu totius ordinis vestri cùm vix sextum ac vigesimum annum attigissem, ad Oratoriam artem publicè docendam electus sum. Quo quidem munere duos annos ita perfunctus sum, ut (ne quid arrogantius de me dicam) nemo diligentiam aut industriam meam desiderârit. Quin potiùs ita noctes & dies in omnium doctrinarum meditatione versabar, ut non tantùm propinqui atq; necessarii mei; sed etiam multi ex vobis, P.C. me sæpissimè reprehenderent, quòd nimios magnos labores & viribus meis impares assumere non dubitarem. Ardebam enim (ut ingenuè fatear) incredibili gloriæ cupiditate, quam in adolescente nequaquam esse vituperandam sapientes omnes existimant. Nullum igitur omninò diem esse patiebar, in quo non aut publicè docerem; aut privatè mecum ipse meditarer, & vel scriberem, vel declamarem: frequenter autem eodem die hæc omnia faciebam. Interim cùm apud nos maxima esset belli suspicio; quoniam ingentes Gallorum copiæ jam Alpes transcenderant, atq; in Taurinis consederant; omnes publici bonarum artium Professores, ut fit in ejusmodi temporibus, dimissi sunt, & studia literarum intermissa. Quare cùm jam biennium in publico versatus fuissem, & meum in hac urbe nomen celebrari cœpisset: *Mediolano* sum

Functionis diligenter obita commendatio.

Exaggeratio diligentiæ nimiæ.

Interruptio professionis ob bella.

ſum profectus; ea tamen cogitatione atq; mente, ut quoniam bellum non ſemper fore ſperabam, ad eandem publicè docendi provinciam inſtructior atque eruditior aliquando reverterer. Itaque cùm Ferrariam acceſsiſſem, & præclarè intelligerem, quantam huic meæ profeſsioni utilitatem vel mediocris Juris civilis cognitio poſsit afferre: propter multos, qui paſsim occurrunt in probatis auctoribus, locos, ex intima Jurisprudentia decerptos atque delibatos; oblatam mihi præclaram occaſionem repudiare nolui; ſed eodem ardore animi, quo reliqua ſtudia complecti ſolitus fueram, etiam Jus civile ſum amplexus. Itaque Andreæ Alciato civi noſtro, Juriſconſultorum omnium non tantùm hujus ætatis, ſed etiam veterum penè principi, qui proximis quatuor ſuperioribus annis Ferrariæ Jus civile profeſſus eſt, multum operæ dedi. Sed quia memineram, non idcircò me Juris civilis ſtudium amplexum fuiſſe, ut aliquando conſulentibus de Jure poſſem reſpondere; ſed tantùm, ut faciliùs bonos auctores intelligerem: ideò ſummum etiam Philoſophum Vincentium Magium eodem tempore audiebam. Semper enim admirabili quodam ad Philoſophiam ſtudio concitatus fui: neque id unquam ſtudium, cùm ab ineunte ætate complexus fuiſſem, mihi dimittendum eſſe cenſui. Erant in manibus eo tempore mihi lucubrationes quædam, quas, ut amicis id à me flagitantibus obſequerer, in lucem emittere cogitabam. Sed incertus animo ferebar, quomodo meum in eis nomen inſcriberem. Nam in verborum delectu, quod C. Cæſar eloquentiæ principium eſſe dictitabat, adeò diligens, & penè dixerim ſuperſtitioſus eram, ut nullum

Juris ſtudium oratorio conjunctum.

Item philoſophia.

7. A rebus geſtis, id eſt, ſcriptis edendis.

omninò verbum, nullam verborum conjunctionem, nullam dicendi formulam admittendam mihi esse censerem, quam non apud veteres Latinos atq; probatos auctores invenissem. Id igitur in nomine meo præcipuè servandum esse statuebam, ne, cùm Latinæ linguæ candorem & elegantiam profiterer, aliquis mihi barbarum nomen & inusitatum aliquando posset objicere; atq; eò magis, quod mihi nullo modo convenire videbatur; ut muliebre nomen cum virili conjungeretur. Quis enim apud antiquos unquam talem nominis conjunctionem vel legit, vel audivit, ut quis à viro & muliere nominaretur? Legimus quidem, à belluis quosdam aliquo eventu cognomina fœminea tulisse, ut Asinæ, Scrofæ, Merulæ, Lamiæ dicerentur; sed qui à mulieribus cognomen duxerit, neminem omninò legimus. Itaq; cùm de hâc re diu deliberâssem, tandem nomen illud Maria, quod, ut initio dixi, fuerat adventitium & à matre additum, mihi dimittendum esse statui. Neq; id tamen sine doctissimorum hominum consilio: qui, quod infra perspicuè demonstrabimus, omnino mihi licere confirmabant, non tantùm, quod mihi displicuisset, nomen repudiare; sed etiam, quod placuisset, vel prænomen, vel cognomen assumere. Quæ res effecit (dicam enim non derivandi criminis gratià, P.C. sed ut sciatis, quod factum est) ut me Marcum Antonium inscribere non dubitarem: assumto etiam à patre Majoragii cognomine; quod ille, quemadmodum antea docui, sortitus à vico Majoragio fuerat. Primùm igitur Ferrariæ, cùm orationes quædam meæ, defensionesq; Ciceronis contra Cælium Calcagninum in lucem venissent; ex earum inscriptione Marcus Antonius Majoragius

Erudito Viro qualis stylus.

Applicatio ad causam nominis mutati ab absurdo & contra morē priscum.

Ab exemplo & quidem suasu aliorum.

A primo initio nominis mutati.

gius ab omnibus, qui me nôrant, vocari cœptus sum. Deinde cùm, quantum mihi satis esse videretur, Alciatum audivissem: & hac in civitate, restincto jam belli tumultu, studia literarum instaurari intellexissem; mihi statim redeundum esse Mediolanum censui, ut intermissum publicè docendi munus iterum aggrederer. Quod haud ita multò post longè majori, quàm anteà, stipendio atq; existimatione vestro sum beneficio consecutus. Hoc adversariis meis adeò molestum atq; grave visum est, ut omni primò ratione conati sint efficere, ne pristinum locum meum & dignitatem recuperarem: deinde cùm præter opinionem illis evenisset, ut vos, P. C. me tàm liberaliter, tamq; benignè reciperetis, nunquam apud Cives Mediolanenses de fama atq; doctrina mea detrahere cessârunt: donec tandem, cùm aliud nihil criminis, quod aut verum esse, aut verisimile videretur, excogitare potuissent, hanc immutati nominis actionem in me suscitârunt. Hic est exactæ vitæ meæ cursus, P. C. hæc studiorum meorum ratio; hoc duorum & triginta annorum, quibus hactenus vixi, spacium: in quo nulla fraus, nullum notabile vitium, nulla insignis malitia reperitur. Illud unum ab adversariis, in omnem vitam meam studiosè cupideq; perquirentibus, gravius est reprehensum; quòd in nomine meo Mariam in Marcum permutârim. Quod quidem per se, nullo adjuncto scelere, nullo dolo, nulla fraude, quam leve sit atq; ridiculum crimē, puto vestrum penitùs ignorare neminem. Intelligo P. C. totam adversariorum accusationem tres in partes distributam fuisse: & in hujus facti mei reprehensione, unam earum, quod contra leges atq; instituta majorum, alteram, quod contra omnium con-

Reversio & refutatio calumniatorum.

Ex mera invidia, cui comes gloria.

Probatio per contrarium ex vita aliter & non nisi honestè acta.

Status & ars causæ.

Distributio tripertita argumentorum criminantium.

Ab honesto. suetudinem; tertiam, quod contra decus atq; honestatem sit, esse versatam. Quibus singulis ordine

6. A more. mihi respondendum esse arbitror: ut si fortè ali-

8. A decoro, quid oratione suâ se perfecisse existimant, hæc illis opinio detrahatur: & jam tandem intelligant,

Singulorum refutatio. aliud esse verè atq; justè accusare; quod in hominem innocentem minimè facere potuerunt: aliud improbè atq; maledicè conviciari, quod nomen in tota sua accusatione consecuti sunt. Ac mihi qui-

C. Q. sit contra leges. dem in hac prima parte non admodum laborandum esse video. Quoniam, etsi contra leges hoc à me factum adversarii dixerint; nullam tamen penitùs neq; divinam neq; humanam legem proferre potuerunt, quâ cautum sit, ne nomen immutare liceat: sed tantùm à quibusdam Jurisconsultis se audivisse dixerunt; à legibus, ne quis sibi

Sed errant ex ignorantia juris. nomen mutet, prohiberi. Qua quidem in re cùm summam, atq;, ut ipsi Jurisprudẽtes vocant, crassam ignorantiam, tùm etiam maximam levitatem ostendunt: qui, cùm apud tales viros, quales

Nando comperi. vos estis, P. C. judicium exerceatur, sperent ex eo, quod ipsi aliquando vel audierunt, vel, quod est verisimilius, se audivisse commenti sunt; non autem ex eo, quod revera lege sancitum invenitur, vos legum peritissimos observatores judicaturos.

A sufficienti certaq; inductione. Quamobrem ita cum eis agam, si quo modo convenire possum, ut hac de causa statim decidatur. Si lex una vel civilis, vel divina, vel pontificia reperitur, quæ sine fraude mutare nomen prohibeat: nihil mihi prosint exempla doctorum hominum, quæ plurima sunt; nihil antiqua consuetudo, quæ vim legis obtinet; nihil deniq; vita, ad hunc usq; diem honestè acta: me confestim damnate; me quovis supplicio dignum existimate.

Sed

Sed si verba tantùm inania fundunt accusatores; si tantùm ea dicunt, quæ non modò non auctoritatibus aut rationibus confirmant, sed ne confirmare quidem laborant: Poteritisne vos ista sapientia, ista religione, ista justitia, P.C. animum inducere, ut ea credatis, quæ hostili animo, sine ullis testibus, sine legum auctoritate, sine ulla firma probatione, contra me isti falsa crimina, quasi venenata tela, conjiciunt? Novi vestram intelligentiam, vestram fidem, vestram æquitatem. Nullo modo feretis, ut is vestro judicio damnatus abeat, quem non certo aliquo crimine, sed tantùm calumnia quadam, & falsa juris interpretatione circumvenire adversarii cupiunt. Nam quæ tandem sunt istæ leges, contra quas à me factum esse dicitis accusatores? ubi scriptæ sunt? ubi reperiuntur? civilesnè sunt? an pontificiæ, an divinæ? generales, an municipales? Equidem cùm & ipse diu multumq; totum Juris civilis & pontificii Corpus percurrissem, & utriusq; juris peritissimos homines consuluissem; nullam unquam legem, nullum senatusconsultum, nullum plebiscitum, nullam principum constitutionem, nullum magistratuum edictum, nullum prudentum responsum aut reperi, aut esse audivi, quo speciatim cautum sit, ne quis sibi nomen immutet. Quod si vos esse dicitis, cur non quamprimum profertis? cur non in medium adducitis? Legimus quidem, Athenis lege cautum fuisse, ne quis sibi maternum nomen imponeret, neve fœminæ familiarum cognomina vel celebritatem susciperent: sed quid hoc ad causam nostram? Nam etiamsi gravissimis pœnis & sanctionibus apud alias nationes mutare nomen lege prohibitum esset: non

Rumor & vulgi judicium nihil probans.

Protestatio contra leges citatas.

Prosyllogismus per inductionem.

Concessio.

Correctio.

tamen apud nos ideò damnari quisquam deberet, nisi nostræ etiam vel civiles, vel pontificiæ leges prohiberent? Nunc verò cùm nullam neq; nostram, neq; externam legem invenire possitis, quâ mutatio nominis impediatur; quid est, quod hoc nomine me tàm impudentur urgeatis, ut contra leges à me factum fuisse clamitetis. Sed quid in leviculis istis calumniis vestris commoror? Quid si leges nostræ nominis mutationem non modò non prohibent; verùm etiam apertè concedunt? Quid si, quod vos contra leges esse dicitis, ego luce clarius à legibus ipsis permitti docuero; quid erit causæ, quò minus improbissimi calumniatores esse videamini? Quid ergò? Vos nullam legem, quæ prohibeat, afferre potuistis: ego verò contra, quæ permittat & concedat, & licere palam testetur, afferre possum. Negatis? At jam efficiam, ut vel inviti fateamini. Recita Diocletiani atq; Maximiani legē; quam Justinianus in suo Codice comprobavit, & perpetuò deinceps ratam esse voluit. Recita. Lex Diocletiani & Maximiani: *Sicut initio nominis; prænominis, cognominis recognoscendi singulos, impositio libera est privatis: ita eorum immutatio innocentibus periculosa non est. Mutare itaq; nomen, vel pronomen, vel cognomen sine aliqua fraude licito jure, si liber es, secundum ea, quæ sæpè statuta sunt, minimè prohiberis, nulli ex hoc præjudicio futuro.* Auditisné, P. C. quàm clarè, quâm apertè, quâm dilucidè nomen, vel prænomē, vel cognomen mutare lex concedat; modò liber sit is, qui nomen mutat, & id sine aliqua fraude faciat? Quin eadem lex ostendit, hoc non semel esse tractatum, sed sæpè statutum fuisse: cùm ait: *Secundum ea, quæ sæpè statuta sunt.* Quam autem appo-

Conclusio hujus argumenti à legis prohibitione:

Evictio contrarii.

Probatio à pari.

Si in uno licet, quidni in alio?

Cautela sine dolo.

sita,

ſita, quàm venuſta, quàm pulchra, quàm vera ſimilitudine legislator utitur, ne fortaſſè aliquis de hac re dubitare poſſet, & levitatis aut inconſtantiæ famam timeret, ſi nomen ſibi mutare voluiſſet! Hoc, inquit, eſt in arbitrio atque in poteſtate noſtra, ut quandocunq; nobis placuerit, nomen immutemus; quemadmodum enim initio nominis impoſitio cuilibet libera eſt; & quodcunq; voluerit, ſive pater ſive alius quivis, puero nomen imponere poteſt: ita quilibet cùm adoleverit, ſi fortè ſibi nomen, vel à parentibus vel ab aliis impoſitum, minimè placuerit, ſine ullo periculo, modò ſit innocens, poteſt illud immutare. Quid hac ſententiâ clarius? quid apertius? quis hujus legis verba poteſt aliter interpretari? quis in alium ſenſum detorquere? quis exceptione aliqua contraherè? cùm ipſi legislatores unam tantùm eam exceptionem addant: Extra quam ſi quis fraudis gratiâ faciat. Quo in loco Juriſconſulti hoc fraudandi gratiâ fieri ſentiunt, cùm ſigillatim, & in una tantùm aut altera re nomen mutatur: non autem cùm generatim atque in rebus omnibus. Cùm igitur hanc unam fraudis cauſam legislatores excipiant: nemini dubium eſſe poteſt, quin alias omnes admittant. Unde Baldus, legum interpres acutisſimus, totius legis hujus ſummam ita paucis explicat: Mutatio nominis non fraudulenta libero homini eſt permiſſa. Quod etiam Alciatus noſter quarto Diſpunctionum ſuarum libro comprobat. Quæ cùm in memoriam revoco, nullum cauſæ meæ patronum deſidero. Nam etiamſi nihil de hac re lege cautum fuiſſet: tamen id mihi licere contenderem. Quæ enim legibus minimè prohibentur, omnibus ea concedi videntur. Nunc verò cùm lex ipſa palam teſtetur, & apertè

A conſuetudine: Nominum impoſitio libera eſt.

Interpretatio Legis uberior.

Correctio ſeu limitatio legis.

Comprobatio ab autoritate Baldi interpretis legis.

Repetitio licentia ab ipſa lege conceſſa.

Conclusio. pertè clamet. Licere cuilibet homini libero mutare nomen: quid est, cur ego dubitare debeam, quin omnium sententiis victor in hoc judicio discessurus sim? Nam quod quidam hujus legis interpretes ita sentiunt, viri boni esse officium, ad effugiendam fraudis suspicionem universæ multitudini nunciare, se pristinum nomen immutare velle: vel edicto proposito, se in posterum alio nomine usurum patefacere: id tametsi non legis præceptum sit, sed tantùm ipsorum interpretum consilium: tamen à me diligenter observatum est; qui non priùs me Marcum Antonium Majoragium appellavi, quàm essent scripta mea typis æneis excusa & passim pervulgata: quibus facilè possent omnes intelligere, me deinceps eo nomine semper uti velle. Quamobrem aut lex damnanda est, quæ nomen mutare permittit: aut ego lege sum absolvendus. Sed quis tàm audax, tàm temerarius, tàm furiosus esse potest, qui legem eam improbandam esse censeat, quæ jam annos mille ducentos atq; ampliùs, ex quo fuit à Diocletiano & Maximiano lata, deinde à Justiniano comprobata, semper valuit: quam nemo unquam reprehendere ausus est, cujus auctoritate freti multi doctissimi homines nomina commutârunt: cui nihil unquam, ex quo fuit edita, neq; abrogatum neq; derogatum fuit; quæ tàm clara, tàm perspicua est, ut cùm aliæ pleræque leges varios sensus admittere posse videantur, hæc nullum alium sensum, nullam interpretationem prorsùs admittat? Quod si lex valet, si firma est, si rata: quis non intelligit, à me legitimè nomen immutari potuisse? Quod enim ex lege fit, id etiam justè fieri existimant: alioquin à justitia leges discreparent; quod ne dictu quidem fas est. Ergo sequi-

Contrarium per instantiam. *Solutio.* *Publicè & factam esse istam denũciationem.* *Dilemma.* *Comprobatio prioris à legis antiquitate.* *Legis valor & æstimium.*

sequitur, ut hoc à me justè factum sit. Ridet accusator meus Fabius Lupus, maximus (ut ipse sibi videtur) veterator: orationem se sperat invenisse, qua me differat. Nam reliqui minus aliquanto mihi sunt infensi: hic unus urget, instat, quiescere non patitur, sanguinem meum sitit, me vivum exorbere concupiscit, immiti quodam atque efferato animo, tanquam ictus aper, in me ruit. Audivit, ut opinor, nominis mutationem Jure civili cuivis homini libero permissum esse: quare multis exemplis & argumentis conatus est ostendere, non omnia, quæ Jure civili permittuntur, homini Christiano esse concessa; quoniam multis in rebus Pontificiæ leges à Civilibus plurimum discrepent. Qua in re supra modum ejus exultavit oratio, atque ita sese jactavit & extulit, ut vocem illam suam odiosam atq; ululantem ea ratione se vendibiliorem posse facere speraret: perinde quasi nova quædam & ante hunc diem in audita diceret, quæ neque vos, P. C. neque quisquam alius literarum studiosus potuerit unquam advertere. Quid ais bone accusator? qua in re legem à me citatam damnas? quid habes contra illam dicere? quid est, quod eam improbandam censeas? Multa sunt, inquis, Jure civili permissa: quæ tamen à divinis legibus & pontificiis penitus abhorrent. Audio. Sed quæ tandem ista sunt? Potesne inter ea nominis mutationem commemorare? Nihil minus. Quid ergò? Permittunt, inquis leges civiles esse in civitatibus lupanaria: permittunt fœnora centesimarum, bessium, & semissium: permittunt adulterum cum filia nupta deprehensum interfici: nemo tamen vir bonus scortari, fœnerari, occidere justum esse dicet. Quid præterea? Permittunt

Transitio ad calumniam singularem.

Exaggeratio.

Correctio.

Q. Jus civile & Canonicum diversa.

Exaggeratio à jactantia adversarii.

Redargutio.

Probatio sententiæ adversarii per exempla.

Licita & illicita legū.

leges, oppreſſos ære alieno pauperes in carcere e- mori: permittunt, ut, qui uxorem non habet, concubinam habere liceat, & alia nonnulla: quæ nemo vir probus laudare poſſit. Sunt iſta vera. Quis negat? Sed quid ad cauſam & quæſtionem noſtram? Habetne ſimilitudinem aliquam mutatio nominis cum meretricia conſvetudine, cum fœnore, cum cæde, cum pellicatu? Quis tàm rerum ignarus, tàm amens, tàm ſtupidus eſt, quin intelligat, hæc totâ, quod ajunt, diametro diſcrepare? Jam videlicet te auctore & judice, ſi puella ſibi nomen immutârit, in tàm grave crimen incidet, quàm ſi concubina alicujus fuerit, aut meretriciam vitam inſtituat: ſi quis religionis gratiâ novum ſibi nomen aſſumſerit, æquè peccabit, ac ſi fœnerator aut homicida factus fuerit. Quis hæc tàm abſurda, tam à communi ſenſu aliena, tàm à ratione abhorrentia ſine ſtomacho poteſt audire? Quis non videt argumentorum inopia te illa conquirere, quæ non modò tuam accuſationem non adjuvent; ſed etiam plurimùm infirment? quæ nihil aliud, quàm hoſtilem atq; iniquum animum tuum oſtendant? Speraſnè talibus viris judicantibus, iſtam ſimilitudinem tuam te probaturum? poterunt ne iſti judicare, tàm graviter ab eo peccari, qui ſibi nomen mutet, quàm ab eo, qui ſcortetur, fœneretur, occidat concubinam habeat? Vide ne ſint iſta tua decreta Stoicorum, qui non minùs eum peccare cenſebant, qui gallum gallinaceum, quàm qui hominem occidiſſet, qui caulem alterius horti fregiſſet, quàm qui Deorum immortalium fana ſpoliaſſet. Salve nove Stoice, Zenone temperantior, Catone ſevior. Sed tamen quæſo te, niſi moleſtum eſt priusquam iſta tua tàm firma ratione condemner, ut mihi pauca quæ

Refutatio à 9. diſpari.

8. Ab abſurdo.

9. A diſſimilitudine in factis.

Σαρκασμὸς per facetam illuſionem.

Objectio per interrogationem.

quædam reſpondeas. Cupio enim ex te intelligere, utrum divinis atq; pontificiis legibus ſcortationes, fœnora, cædes, pellicatus prohibeantur, nec ne? Quid hoc, inquies, ad rem? Nihil fortaſſe: veruntamen credo te reſponſurum eſſe; quod nullo modo negare potes, talia omnia jure pontificio nominatim eſſe prohibita. Sed quid? de nominis mutatione, eodemne modo cautum eſt? Proh ſumme Deus, quantam hominibus cœcitatem improbitas atque nocendi ſtudium inducit! Neſcit omnino quid reſpondeat: quid fingat extempló, non habet. Videt enim apertiſſimè, quæ modò commemorata fuerunt, à divinis legibus & pontificiis eſſe reprobata; nominatimq; de ſingulis cautum eſſe, ne cuiquam ſcortari liceat; ne liceat fœnerari: atq; ita de cæteris: cùm tamen interim nuſquam aut in *Sacris* literis, aut in pontificio jure, aut in iis, quæ ſanctiſſimi homines ediderunt, Operibus nomen mutare prohibitum ſit. Hac enim diligentia ſapientiſſimi viri majores noſtri, qui jus pontificium condiderunt, quòd vulgò Canonicum vocant, uſi ſunt: ut nō tollere jus civile, ſed emendare quodammodo viderentur. Itaq; factum eſt, ut quæcunq; viderent à fide perſuaſioneq; Chriſtiana nihil abhorrere, ea firma atq; rata omnia eſſe voluerint: quæ vero vel in minima quidem re à divina lege diſſentire intelligerent, ea vel prohibenda penitùs, vel corrigenda ſaltem eſſe cenſuerint. Scortationes igitur, & fœnora, & pellicatum, & ejus generis cætera, quæ ſemper annexam turpitudinem habent, quamvis civili jure concederentur; procul tamen à Chriſtianis moribus abeſſe oportere ſtatuerunt: nominis autem mutationem, quæ nihil honeſtati boniſq; moribus obeſſe poſſit, non modo non prohibuerunt,

Exclamatio ad calumnia cœcitatem.

Repetitio comprobationis, mutationem eſſe licitam.

R. per diſtinctionem, Seu legum conciliationem.

Oſtenſio diverſitatis in factis.

Conclusio per declarationem ab exemplo.

runt, sed etiam cuivis liberam permiserunt. Quare tantum abest, ut Christiani mutationem nominis damnandam esse censeant, ut etiam nescio quid religionis habere judicent. Nam cùm vitæ rationibus etiam nomen mutare frequentissimè solent: & nullam Vestalem virginem, nullum Monachum, nullum summum Pontificem fieri patiuntur, nisi mutato nomine: quemadmodum alio loco docebimus. Cùm igitur apertissimè constet, nominis mutationem & à civili jure & divinis atq; pontificiis legibus cuilibet esse concessam: quid est, quod ampliùs adversarii mei tâm indoctè, tamé; imper te clamitent, hoc à me contra leges esse factum? Dixi de legibus, quæ mihi satis huic causæ facere videbantur. Sequitur, ut, quod secundo loco mihi objecerunt accusatores, hoc à me factum esse contra omnium consvetudinem, apertè refellamus. Non enim hâc in re satis mirari possum istorum ignorantiam dicam, an impudentiam singularem. Qui tanquam novum & inusitatum, & antè hunc diem inauditum id in me reprehendant, quod & antiquis illis temporibus, & patrum nostrorum memoria frequentissimè fieri solebat, & hoc etiam nostro tempore sæpissimè fit ab eruditis viris. Nam, per Deum immortalem, quænam est ista consvetudo vestra, quam mihi opponitis accusatores? doctorumnè, an imperitorum hominum? Si imperitorum: uno vobis in hac parte verbo satis faciam: Literato viro, quid imperita multitudo se- qui soleat, non admodum esse curandum. Quid enim absurdius aut ineptius dici potest, quàm cum de aliqua re disceptatur, quærere, quid bajuli atq; operarii, non quid homines doctissimi de illa senserint? Non est enim consilium in vulgo, non ratio-

Transitio ad criminantium rationem.

A consvetudinis antiquitate.

Ratio à contrario.

Vulgus ab eruditis maximè distat.

non diligentia: sed omnia præsenti, suoq; sensu judicat, parùm admodum sentiens præteritum aut futurum: putatq; nihil omninò rectè fieri, nisi quod vulgarem omnium consvetudinem sequitur. A parentum enim suorum vestigiis, etiam si plerunq; pessima sunt, vel ungvem, quod ajunt, latum discedere scelus existimat. Itaq; summâ quadam atq; immensâ religione, vel anili potiùs superstitione jampridem inveteratos apud se mores, quamvis inepti sint atq; ridiculi, sibi servandos esse censet. Quod si quis non modò aliter faciat, sed etiam contra sentiat, eum statim improbum, nefarium, factiosum appellat. Neq; sanè ex eo, quod plures faciunt, consvetudo vim debet accipere. Nam si hoc fiat, omnia rectè atq; honestè vivendi præcepta subvertentur. Quotus enim quisq; est, qui studiis honestis & pertinentibus ad benè, beateq; vivendum delectetur? Quantò plures & hoc tempore sunt, & semper anteà fuerunt, quibus turpia, quàm quibus honesta placeant? Quàm multa sunt in populari vita vulgiq; consvetudine ridicula, inepta, superstitiosa, vana, sordida! quæ si quis rejiciat & contemnat eumnè aliquid contra hominum consvetudinem moliri aut facere diceris? Non equidem adhuc vos eò dementiæ pervenisse existimo. Non igitur imperitorum populariumq; consvetudo probanda est. Quod si de sapientum doctorumq; hominum consvetudine verba facitis, rectè quidem consvetudinis verbum vos interpretari judicabo: sed, quæ vis sit eius vocabuli, non percipere convincam. Equidem ita video majoribus nostris, eruditissimis atq; sapientissimis viris, placuisse, ut eam consvetudinē, quam sequi atq; observare debemus, non quemlibet inveteratum morem

Plebis præposterum judicium.

Superstitiosa fides & aniles fabulæ Vulgi.

Rejectio popularis judicii, & Vani & inanis.

Correctio.

Ejus requisita. aut usum esse censerent: sed eum, qui neq; ab honestate, neq; à legibus abhorreret: quem omnium voluntas sine scripto lōgo tempore comprobásset? qui deniq; naturæ ipsi humanæ congruere videretur. Quamobrem Fabius Quintilianus, vir ut doctissimus, ita etiam probatissimus. Ego, inquit, cōsvetudinem sermonis vocabo consensum eruditorum: sicuti vivendi, consensum bonorum. Quibus ex verbis intelligi potest, duplicem ab eruditis viris laudabilem poni consvetudinem: alteram sermonis, alteram vitæ. Quemadmodum etiam omnis nostra laus atq; gloria, cum ab eleganti doctoque sermone, tùm à rebus præclarè gestis provenire solet: sed vitæ consvetudinem à bonis atq; honestis hominibus esse petendam. Talis enim quisq; fieri & haberi solet, quales ii sunt, quorum consvetudine delectatur. Sermonis autem, à doctis atq; elegantibus viris. Nam hi soli aptè, distinctè atq; ornatè dicendi rationem tradere nobis possunt. Quis ergò? Contra unam ex his duabus me consvetudinem fecisse arguitis, Accusatores? vitæné, an sermonis? De vitæ meæ consvetudine nihil dico amplius: quoniam satis ostendi, nihil contradicentibus vobis, me bonorum hominum semper studiosum atq; imitatorem fuisse: neq; unquam tale aliquod flagitium admisisse, de quo merito condemnari possem. Restat, ut de sermonis consvetudine videamus. Proh Dii immortales! quantum in hac parte voluptatis, quantum oblectationis ex adversariorum meorum oratione percepissem, P. C. si quieto animo fuissem, cùm eos tàm ineptè, tàm confusè, tam impolitè loqui audirem! Vix me hercule risum continere poteram, cùm in mentem mihi venirent eorum arrogantiæ. Qui cùm se solos non

A distinctione duplicis consvetudinis.

A simili.

Ratio.

Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se.

Dilemma. Vel contra vitam, vel loquendi morem.

Non prius.

An ergò posterius?

Quod inquivit per irrisionem.

non tantùm in hac civitate, sed in toto penè terrarum orbe scire putent; cùm se bonarum literarum Professores & inscribant, & appellari velint; cùm dicendi præcepta quotidiè discipulis suis inculcent; & optimi Rhetores haberi studeant: in judicio publico & quæstione legitima, hoc occursu hominum literatissimorum, hac tanta frequentia, cùm res agatur aqud vos, P. C. qui propter singularem prudentiam, & egregiam eruditionem in hoc consilium publicum delecti estis, in summa omnium expectatione tantas verborum sordes effuderint; tàm incultè atq; rusticè dixerint, tantam deniq;, ut uno verbo dicam, barbariem ostentârint. At in qua causa? Quam annum integrum atq; amplius commentati sunt. Nam anno superiore cum Ferraria Mediolanum rediissem, & à vobis in pristinum locum restitutus fuissem: eos intellexi jam accusationem hanc in me præparare. Sed audebuntne isti mihi sermonis consvetudinem objicere? Audistis, quo eloquentiæ genere Macrinus iste Niger delectetur. Equidem existimo, tanta ex hac frequentia neminem inveniri, qui intelligere potuerit, quid diceret: adeò perturbata, adeò rudis, adeò indigesta, atq; à consvetudine Latini sermonis abhorrens fuit ejus oratio: tamen vos qui acutiores estis, P. C. & nos, qui causam dicimus, de nominis mutatione voluisse eum nescio quid dicere suspicamur; tametsi nihil ferè intelleximus. Te verò, Fabi Lupe, appello, qui mihi præter cæteros accusatores visus es in hac parte cerviculam jactare, tuoq; lugubri vocis ululatu tantum audientium aures obtudisse, ut cùm nullum garriendi finem faceres, & eadem sæpiùs inculcares, credo & emendares collegæ tui vitium, quem nemo prorsùs intel-

Exaggeratio à persona accusantium.

Et quidem à barbarie.

Refutatio per narrationem.

Probatio per singulare exemplum.

1. Ab ineptitudine & rusticitate oratoris.

2. A garrulitate.

tellexerit: te tandem senatus Princeps tacere jusserit, atq; nobis etiam dicendi locum relinquere.

Collatio utriusq; per interrogationem.

Utram tandem existimas propiùs ad illam veterum Latinorum dicendi consuetudinem accedere; meamne dictionem, an locutionem tuam?

1. A modestia animi.

Quam enim mihi nihil arrogo: quippe qui longissimo sanè me videam intervallo veterum illorum vestigia subsequi: non tamen esse te tàm impudentem existimo, qui præsentibus his talibus viris, sordidam istam locutionem tuam audeas huic, qualiscunq; est, orationi meæ præponere.

2. A vitæ genere & industria.

Cùm præsertim ego tot vigiliis & laboribus modicam hanc mihi dicendi facultatem comparârim: tibi verò semper, quod satis constat, magis Bacchus, quàm Minerva; magis Venus, quàm Musæ; magis Silenus & Genius, quàm Mercurius & Apollo placuerit.

3. Ab effectu orationis dissentaneo.

Hinc igitur accidit, ut ab eruditorum consvetudine sermo tuus penitùs abhorreat: meus autem, nisi me fortassè ipsum, resq; meas plus, quàm satis est, amo, se talem audientibus offerat: ut omnes facilè judicare possint, in bonis auctoribus me diu diligenterq; esse versatum.

Comprobatio unde vera eloquentia.

Nam usq; eo politæ orationis ab adolescentia studiosus fui, ut nuper etiam nomen meum, quia nescio quid barbarum præ se ferre videbatur, immutârim. Hîc te volumus; inquiunt accusatores: hoc defende non esse factum contrà omnium consuetudinem.

Confirmatio.

Cur nomen fœmineum masculus retinere noluerit, nec potuerit.

Imò verò nihil mihi facilius est, quàm apertis rationibus & exemplis ostendere, non tantùm hoc non esse contrà consuetudinem: sed etiam ex communi consuetudine factum. Modò mihi id concedatis, quod non nisi impudentissimè negare potestis, Omne nominum & totius sermonis arbitrium apud eruditos homines & esse debere, & semper fuisse:

isse: ut quicquid viri ſcientiâ clari communiter ſentiant, id ab aliis ratum haberi debeat. Neq; enim nomina naturalia ſunt, ut non immutari datâ occaſione facilè poſſint; ſed tantùm quædam rerum notæ ſunt, ut non difficulter excellenti doctrinâ viri jam videre poſſint, quod cuique rei nomen magis conveniat. Pythagoras ſanè maximam ejus fuiſſe doctrinam atq; ſapientiam dicebat, qui nomina primò rebus impoſuit. Nam quamvis plurima reperiantur nomina, quæ rerum vim & naturam exprimant, ut apud Platonem in Cratylo Socrates copiose disputat: omnia tamen ab eruditorum hominum inſtitutione profecta ſunt. Quod cùm ita ſit, nemini dubium eſſe poteſt, quin eruditorum conſenſus in nominibus imponendis communis conſuetudo vocanda ſit. Quæramus igitur primò recentium atque doctiſſimorum hominum exempla; deinde etiam veterum, qui vel ſibi ipſi nomen immutârunt, vel ab aliis novum nomen oblatum libenter arripuerunt: ut tandem aliquando deſinant adverſarii ea de re me accuſare, quæ nunquam ab aliquo ſapiente fuit improbata. Quis hoc noſtro tempore bonarum literarum Profeſſor Baptiſta Egnatio clarior eſt? Qui jampridem Venetiis utramque Linguam ita profitetur, ut ei plurimum elegantiores literæ debeant, qui non aliter, atq; olim Cato ille Cenſorius, cùm annum jam octogeſimum excesſerit; tamen inſolitis ſuis laboribus, atq; in publico docendi munere perſeverat. Hunc igitur in juventute ſibi nomen immutâſſe conſtat, neq; tamen ea de cauſa quiſquam eum unquam accuſandum aut reprehendendum eſſe cenſuit. Et quæ mutatio fuit illa? Dii boni, quàm longè petita! quàm à priore nomine diverſa! Cùm

Ariſt. de Interpr. c. 1. & 2, & l. 1. Sophiſt. Elench. c. 1.

Nominum impoſitio eſt κατὰ συνθήκην.

Concluſio.

Nova comprobatio ab exemplis, tàm priſcis, quàm novis.

Per enumerationem individuorum qui nomen mutârunt.

1. Johannis de Cipellis.

Exaggeratio per collationem in longè diversa nominu mutatione.

non antea Joannes de Cipellis vocaretur, posteà Baptista Egnatius vocari voluit. Quantopere fremerent adversarii mei, quàm sese jactarent, quàm me statim exterminare se posse considerent; si talem in nomine meo mutationem invenissent, qui propter unam immutatam in eo syllabam, tantas turbas commovent, & in me tam tragicè vociferantur! Quid de Fabio Vigili, viro non tantùm doctissimo, sed etiam sanctissimo dicam? Qui propter egregias virtutes suas dignus est habitus, cui Spoletinus Episcopatus à Paulo Tertio Pontifice Maximo demandaretur. Is enim cùm antea Fabianus Vetulæ diceretur, postea se Fabium Vigilem vocari jussit: quo nomine nunc etiam ab omnibus appellatur. Ecquid igitur ea de causa dignitatis amisit? ecquid ideo minùs Pontifici gratus fuit? Imò verò tantò posteà gravior evasit, quantò sibi gratius nomen adoptavit. Jam verò Pierius Valerianus, vir inprimis eruditus, & in summo precio atq; honore propter Sacerdotis dignitatem, doctrinamq; non vulgarem habitus, Petrus Valerii priùs dicebatur. Quid, Phædrus ille Volaterranus, tam clarus Orator, cujus omnes actionem præcipuè mirabantur; quem Sadoletus in suo de Philosophia libro contra Philosophiam ipsum disputantem inducit: annon anteà Thomas Ingeramius dicebatur? Ecquis unquam tantam in eo nominis mutationem vel levi reprehensione dignam censuit? Quid Politianus, vir ita facundus & oratione politus, ut non sine causa nomen illud ascivisse sibi videatur, annon Angelus anteà de monte Pulciano fuit? Quid, Domitius Calderinus nonnè sibi nomen hoc finxit, cùm antea Dominicus de Caldariis esset? Quid, Janus Parrhesius, nonnè prius Joannes Pau-

2. Fabii Vigilis.

3. Pierii Valeriani.

4. Phædri.

5. Politiani.

6. Domitii Calderini.

7. Jani Parrhasii.

Paulus de Parisiis dicebatur? Doceant igitur adversarii, si possunt, aut hæc quæ proferimus, exempla vera non esse; aut eorum aliquem, qui sine fraude nomen sibi mutârint, qui sanè quàm plurimi fuerunt & recentiores & vetustiores, ea de causa vocatum in judicium fuisse. Quod si probare potuerint, quò minùs secundum eos litem detis, & contra me sententiam feratis, P.C. non recuso. Sed quid cesso doctissimi atq; eloquentissimi viri exemplum in medium afferre: quem ego libenter auctorem secutus sum; qui (ut arbitror) eadem de causa, qua ego, cum idem nomen haberet, repudiato vetere novum assumsit? M. Antonius Flammius, qui suâ elegantiâ dicendiq; venustate doctorum omnium in se ora convertit: cùm puer esset, & Bononiæ sub patre suo ludimagistro literis operam daret, quemadmodum à multis fide dignissimis accepimus, & præsertim ab hoc nostro cive Francisco Minutio Calvo, qui maximam cum Flammio familiaritatem habet jam inde à pueritia cœptam; Antonius Maria dicebatur. Hic postea cùm in literis plurimum profecisset, & Bononia Romam transmigrâsset, se Marcum Antonium appellavit. Quæ res illi nunquam dedecori; sed magno semper honori fuit. Nam ejus pater Joannes Antonius, cùm esset Imolæ natus obscuro loco, se in Flammiorum gentem inseruit, & Antonius Flammius dici voluit: ut non tantùm propter literas, sed etiam propter nominis dignitatem clarior fieret: quod aliis etiam plurimis ante se concessum fuisse intelligebat. Et meritò. Nam si Romani, prudentissimi viri, Candidatis suis, (ut in Historiis habemus) quo tempore prehensare volebant, magistratusq; petere, sibi nomina patritiorum, & nobilissimarum familiarum adoptare

Conclusio per communicationem.

8. Ejusdem cognominis.

Illustratio ab exemplo majorum seu Romanorum.

Per comparationem. *Applicatio.*

concedebant, quo graviores essent ad populum, & faciliùs, quem peterent, magistratū assequerentur; qua in re de Reip. administratione atq; salute agebatur, quantò magis nobis Musarū Candidatis concedendum est, nomen illud, quod elegantius visum fuerit, assumere; cùm præsertim hac in re nemo damnum à nobis possit aut detrimentum accipere? Quare lepidè Pomponius Lætus, vir summâ eruditione atq; dicendi elegantiâ clarus, cùm à Paulo II. Pontifice Maximo, cujus consvetudine familiariter utebatur, molli quodammodo brachio reprehenderetur, quod mutato nomine, cùm anteâ Bernardinus diceretur, se Pomponium Lætum vocari juberet: quid hoc, inquit, ad te Pontifex Maxime? an si me Fœniculum appellari voluissem, id reprehenderes? Risit ad hanc responsionem Pontifex; neq; illū impediendum esse censuit, quò minùs suo sibi arbitrio nomen adoptaret. Cùm igitur propè innumerabilia sint eruditissimorum hominū exempla, qui suo arbitratu nova sibi nomina finxerint, quos nemo tamen unquam non solùm in judicium vocavit, sed ne graviùs quidem reprehendit: nequeo satis adversariorum meorum inscitiam admirari, qui hæc tàm clara, tàm aperta, tàm usitata pro nefario scelere mihi objiciat: cùm præsertim hoc non tantùm à literatis hominibus, sed etiam à plerisq; aliis quotidiè fiat. Quis enim nescit, eos quos appellamus monachos, cùm in religiosorum conventꝰ & cœnobia transmigrant, vetera nomina deponere & alia nova sumere? Quòd si mutatio nominis esset improbanda, quis eo tempore, quò maximè religioni se addicit, aut sibi novum nomen eligeret, aut à religionis Antistitibus pristinū nomen suum immutari pateretur? Hoc idem puellæ faciunt, quæ

Illustratio alia ab exemplo faceto in Pomponio Læto. *Conclusio hujus argumenti ab exemplis.*

1. Ratio à nova initiatione.

2. A devotarum more.

more

more Vestalium virginum perpetuam Deo castitatem voventes, monasteria, quæ vocant, ingrediuntur. Nam aut ipsæ sibi permissu præsidum suarum novum nomen eligunt, vetus repudiant, aut à præsidibus oblatum recipiunt. Quid, Pontifices Maximi suntnè eo nomine contenti, quo die suo lustrico fuerant insigniti? Minimè vero. Nam cùm Pontificatum ineunt, aliud confestim sibi nomen assumunt. Et quisquam adhuc dubitavit, quin accusatores isti me apertè calumnientur; & falsò dictitent, contrà omnium consuetudinem me mihi nomen immutâsse! Cum & pleriq; literati viri, & quicunque religionis gratiâ novas vivendi rationes suscipiunt, novosque sibi amictus induunt, & ipsi denique Pontifices, à quibus tota religio nostra fulciri *creditur, sibi nomen immutare soleant. Profectò non hæc tàm perspicua, tamq; pervulgata negarent, nisi eos vel malitia, vel invidia cœcos omninò redderet. Nam in eo quoq; me non sanè leviter accusant, quod gentes ac familiæ meæ nomen dimiserim, & Majoragii cognomen assumserim. Tamq; insipientes atq; ignari rerum esse videntur, ut, quod ego modestiæ gratiâ feci, putent arroganter à me factum. Existimant enim, Majoragium à me fictum esse cognomen à majore, quod eis major esse velim: quorum opinio quàm ridicula sit atq; inepta, vel puero perspicuum. Sed ut faciliùs consilii mei rationem intelligatis, P. C. breviter, unde familia nostra duxerit originem, explicabo. Quo tempore Longobardorum Rex Desiderius apud majores nostros in hac Cisalpina Gallia rerum potiebatur, tres fuerant fratres ipsius regis propinqui atque necessarii, quippe qui ex ejus sorore nati fuerant:

Exaggeratio 3. à majori.

Conclusio hujus, cum repetitione.

** Sed falsò. Quanta ob invidiam.*

Transitio ad aliam calumniam in nominis mutatione.

Refutatio per narrationem familiæ.

Longobardorum rex, tribus fratribus honores & feuda concessit.

rant: quorum primus Amphoritus, alter Fusius, tertius Catus vocabatur. Hos ipse rex, non tantùm quia propinqui erant, sed etiam quia singulares eorum virtutes & in bello & in pace fuerat expertus, maximis honoribus prosecutus est. Et præter alias dignitates atq; egregia munera, quibus eos affecit, totum etiam tractum illum, qui inter Novocomum & Leucum extenditur, & sursum versus usque ad Larii divortia, largitus eis est: quo tractu continetur ea, quæ plebs Incini dicitur, & tota Brigantii montis regio, vino clarissima, totaq; vallis Asinia, atq; etiam aliæ nonnullæ regiones. In quibus locis considentes tres illi fratres, honoris gratiâ sunt ab

Item titulos novos.

ipso rege Comites appellati. Quod nomen non ita pridem eo tempore cœperat esse dignitatis; cùm apud veteres Latinos in ea significatione nusquam reperiatur. Hinc igitur factum est, ut horum trium fratrum posteri sint Comites nominati. Unde postea familia Comitum longo tempore Mediolani floruit, atq; etiam hodiè multis nobilissimis & eruditissimis viris floret. Sed ut ad tres illos fratres revertar: Amphortius, qui ex illis natu maximus erat, Majoragium vicum extruxit atq; in eo turrim, cujus adhuc in domo mea paterna, post septingentos atque ampliùs annos, quædam extant vestigia atq; fundamenta; hic nostri generis auctor fuit; atq; ab hoc Amphortii Comites majores mei dicti fuerunt. Fusius autem & Catus nonnullos alios vicos cum turribus ædificârunt: unde etiam hoc tempore multi sunt in eis locis, licet obscuri atq; ignobiles, qui Comites Fusii, & Comites Cati vocentur.

Deductio stirpis pervetusta & vici cum turri.

Stirpis propagatio.

Imminutum nomen ob modestiam

Ab his majoribus orta Comitum familia, complures habuit claros atq; illustres viros: qui, ut arbitror, nominis ambiguitatem vitantes, ne revera

Comi-

Comites esse crederentur, & ea dignitate potiti, quam non haberent; non se Comites, sed vel de Comite, vel de Comitibus inscribebant. Verùm cum hoc locutionis genus à consvetudine Latini sermonis abhorreret: primo vir eruditissimus avunculus meus, qui per multos annos Mediolani magna cum gloria publicè docuit, cùm elegantiæ sermonis admodum studiosus esset, non amplius se de Comitibus, ut cæteri faciebant, sed Petrum Comitem cœpit inscribere; Vidi ego nonnullas ejus lucubrationes, sane perquàm eruditas, cum hac inscriptione: Petri Comitis. Hunc imitati sunt ejus fratres Jacobus & Aloysius, atque etiam pater meus Julianus, qui horum sororem Magdalenam, matrem meam in matrimonio habebat. Nam hi omnes se perpetuo Comites inscripserunt. Quos deinde subsecuti Primus & Antonius Aloysii filii, consobrini mei; pergunt etiam nunc eodem se modo inscribere. Verùm ego, cùm hoc nomine Comitis hoc tempore ambiguum esse viderem; & ab omnibus, quibus familia nostra nota non est, pro dignitate capi intelligerem: statui mihi esse dimittendum: cùm præsertim Majoragii cognomentum haberem adhuc à patre hæreditarium. Ne id fortassè mihi aliquando accideret, quod primo Comiti consobrino meo contigit. Qui cùm in Germaniam ea de causa profectus fuisset, ut Erasmi consvetudine per aliquod tempus frueretur: priusquam ipsum Erasmum conveniret, ad eum literas dedit: quibus adventus sui causam declarabat, quarum in extrema parte nomen suum, ut fit, ita subscripserat: Tui studiosissimus Primus Comes Mediolanensis. Hanc cùm Erasmus subscriptionem vidisset, credidit statim magnum aliquem adesse Principem, sui visendi gratiâ.

Restitutum idem ab avunculo.

A laudabili exemplo agnatorum.

Ratio, cur autor orator Nomen Comitis retinere noluerit: ob mirabilem casum seu errorem.

Quare

Quare licet admodùm senex & infirmus esset: tamen quo studio, quoq; apparatu potuit, obviam consobrino meo longè processit. Sed postquam homunculum unum, nullo comitatu, nullo servorum grege stipatum: & benè quidem literatum, sed nullo elegantiori cultu vestitum reperit: errorem suum ridere jucundissimè cœpit:& tamen eum sibi multò gratiorem advenisse, quam si magnus Princeps fuisset, multis audientibus testatus est. Eadem ratione deceptus aliquando fuit in nomine meo vir insignis ac literatus Sebastianus Gryphius. Cùm enim ad eum literas dedissem, & me Comitem inscripsissem: ille mihi tanquam alicui Principi respondit, & clarissimum Comitem non semel appellavit. Itaq; cùm hoc advertissem, & exemplo quàm plurimorum & doctissimorum hominum me familiæ nomen prætermittere posse intelligerem: statui nomen illud Comitis omninò mihi dimittendum esse. Sunt enim innumerabiles penè literati viri, qui relicto familiæ nomine, vel à regione, vel à loco, ubi nati sunt, sibi cognomen assumserunt. Ut Erasmus penè divino vir ingenio, qui de re literaria nostro tempore plurimùm benè meritus est, à vico, ubi natus erat, se Roterodamum appellavit. Ut Antonius Nebrisensis, qui primus apud Hispanos literas illustravit: ita Petrus Marsus, Antonius, Volsius, Raphaël Volaterranus, Antonius Mincurnus, infinitiq; alii. Quod adversariis meis novum videri mirum est; in hac præsertim civitate, in qua plurimæ familiæ nomen à vicis, unde traxerunt originem, servant. Unde enim Andreas Alciatus. Jurisconsultorum facilè Princeps, nomen habet? annon ab Alciato vico, qui non ampliùs quinq; millia passuum à Majoragio

Rem ad inauditam risum teneatis amici.

Etiam in sui ipsius persona notatum.

Exempla cognominis aliundè assumti.

Ostensio specialis, per enumerationem singularem.

gio distat? Atq; hoc ego nomine nonnunquam gloriari soleo, quod mihi fortuna dederit, ut incunabula generis, ex eodem penè loco cum Alciato traxerim. Quid Fannianorum nobilissima gens? quid Cusanorum? quid Lampugnanorum? quid Legnanorum? quid Cardanorum? quid Briviorum? quid plurium aliarum, quæ Mediolani clarissimæ sunt? an non omnes à vicis, qui in agro Mediolanensi omnes extant etiã hoc tempore, nomẽ habent? Quis non igitur vehementer admiretur, tàm insipientes atq; amentes istos accusatores esse, ut se vobis hoc persvadere posse sperent, contrà omnium consvetudinem esse factum: qui tantâ estis prudentiâ sapientiaq; præditi, ut non tantùm quid in communi consvetudine sit: verùm etiam quid omninò fieri oporteat, aut liceat, omnium optimè cognoscatis. Hoccinè igitur vobis præter omnium consvetudinem videri potest, quod à tot eruditis viris, à tot religiosis, à tot summis Pontificibus, à tot clarissimis familiis frequentissimè fieri consvevit? At dicet fortassè quispiam, hoc esse novum, & à veteribus minimè factitatum! Quod etsi concedam; non tamen ideò vincent adversarii, contrà consvetudinem esse factum. Quoniam ex quo tempore nostra persvasio fidesq; Christiana vigere cœpit, etiam hæc mutandi nominis consvetudo cum ea invaluit. Nam & ipse Christus, auctor & parens nostræ salutis, nonnullis ex discipulis suis nomina mutavit: & postquam ipse in æternam domum suam concessit, ejus legati, quos Apostolos vocamus, eis ferè omnibus, quos Christo & sacris ejus initiâssent, nomina mutabant. Quare tàm prisca, tàm iniqua, tàm vetus hæc consvetudo videri potest, quàm persvasio nostra, quàm fides Christiana.

Conclusio per absurdũ in adversarios contra consuetudinem pugnantes. Cum repetitione superiorum.

Objectio.

Solutio.

Ratio à majori, id est, ipsius Christi exemplo.

Sed

Comprobatio ulterior à remotioribus exemplis. Sed quid dissimulare opus est? Quasi verò mihi probare difficile sit, mutandorum nominum vetustissimam esse consvetudinem: quemadmodum & ex sacris Hebræorum libris, & ex historiis intelligi facilè potest: nisi mihi satis esset ad victoriam, ostendere, nequaquam à Christianorum moribus hanc mutandi nominis rationem alienam esse. Sed tamen illud non prætermittam, multis de caussis apud veteres illos Romanos diligentissimos nominum observatores, pristinum immutari nomen consvevisse. *Et 1. quidem Romanorum. Per inductionem.* Primo enim quoties peregrinus aliquis, civitate donabatur, & civis Romanus fiebat; is arbitratu suo nomen Romanum, quod sibi magis placuisset, eligebat. Sic Archias Poeta posteaquam civis Romanus factus est, A. Licinius dici cœpit. Sic Antipater Historicus civitate donatus, L. Cælii nomen assumsit. Sic Demetrius Mega in Romanam civitatem ascitus, P. Cornelius factus est. Sic innumerabiles alii jus Romanæ civitatis adepti, quæ *Præteritio.* gratiora sibi fuissent, nomina capiebant. Deinde illam etiam apud Romanos fuisse consuetudinem *Transitio ad alium morem. 1. A familia.* observavimus; ut cum plebejus aliquis equestrem dignitatem adipisceretur, novum sibi, repudiato vetere, nomen adoptaret. Quin apertè Plutarchus ostendit; apud Romanos licuisse cuilibet volenti mutare nomen; cum de Cicerone sic in ejus vita scribat: Cùm primas dignitates Reipubl. cœpisset attingere, & ab amicis suis crederetur id nomen aut omninò vitaturus, aut in aliud commutaturus, juvenili quadam audaciâ dixisse traditur: *Se certaturum splendidiùs Scauris atque Catulis nomen Ciceronis efficere.* *à Constantia Ciceronis.* Nam qua ratione credidissent amici, sibi Ciceronem fuisse nomen mutaturum, nisi fuisset apud Romanos ea mutandi nominis consve-

consvetudo? Quid, illud an non apertissimum est, omnes qui se in adoptionem alicui dabant, nova semper adoptantium nomina sumere solitos: ut Scipio Æmilianus, Fabius Rutilianus, Cæsar Octavianus, plurimiq; alii fecerunt? Quid, in adeundis hæreditatibus annon observatum fuisse legimus, ut sæpenumero ejus à quo fuissent hæredes instituti, nomen acciperent? Sic M. Brutus Q. Cæpionis nomen assumsit, unde posteà Q. Cæpio Brutus fuit appellatus: sic Pomponius Atticus propter Q. Cæcilii hæreditatem, Q. Cæcilius Pomponianus à Cicerone dictus fuit. Quin etiam sæpissimè fiebat, ut qui testamenti factionem haberent, cùm aliquem sibi civem hæredem eligerent, eum juberent nomen immutare. Quod ad Atticum scribens, his verbis ostendit Cicero: Dolabellam video Liviæ testamento cum duobus cohæredibus esse in triente: sed juberi mutare nomen. Est πολιτικὸν σκέμμα, Rectumne sit nobili adolescenti mutare nomen; mulieris testamento. Quid præterea, nonnè multi sibi ab aliis oblata nomina libenter arripuerunt; præsertim si novi homines fuissent, & aliquid honoris aut gloriæ nomen illud novum allaturum videretur? Unde enim Cato ille major, vir insignis omni virtutum genere, nomen habuit? an non ex prudentia atq; calliditate sua? Cùm enim esset prorsus ignobilis, & in agro suo paterno Tusculano Priscus vocaretur, à M. Valerio Flacco Romam deductus, non ita multò post ob eximiam virtutem Cato cognominatus est. Nam Romani (quod ait Plutarchus) eum, in quo multarum rerum usus atq; scientia sit, Catonem nominant. Quod quidem nomen adeò sibi libenter adoptavit, ut se non alio nomine postea passus sit unquam appellari.

2. Ab adoptione.

3. Ab hæredium institutione.

Exempla.

In Epist. ad Atticum, l. 7. c. 8.

4. Ab adjunctis.

Exempla in Viris.

Quid Valerius Publicola, nonnè libenter honoris gratiâ sibi oblatum à populo Romano nomen arripuit? Quid Plato, cùm prius Aristocles ex avi nomine vocaretur, annon cùm propter egregiam humerorum latitudinem, & frontis amplitudinem ab iis, qui cum eo versabantur, Plato cognominatus fuisset, tàm cupidè nomen illud amplexus est, ut nunquam posteà dimiserit? Quid Theophrastus Eresius, cui Tyrtamo nomen antea fuerat, nonnè cum eum ob divinam elocutionem præceptor ejus Aristoteles Theophrastum appellaret; sibi posteà tanquam proprium nomen illud ascivit, & in Operibus suis inscribere non dubitavit? Quid Homerus, cùm anteà Melesigenes diceretur, annon, postquam cœcus factus est, & ducis indigeret Homerus dictus est? Jones enim & Cunæi captos oculis, Homeros vocant, eò, quod ducibus egeant: hoc igitur nomen, rejecto priore, semper posteà tenuit. Quin etiam nonnullis clarissimis mulieribus hanc nominis mutationem vehementer placuisse legimus. Mater enim Evandri illius Arcadis, quæ Latinarum literarum auctor & inventrix fuisse dicitur, cùm anteà Nicostrata vocaretur, posteà propter divinandi scientiam, & divinorum carminum interpretationem, Carmenta fuit appellata. Tanaquil autem sapientissima fœmina, Tarquinii Prisci conjux, postquam Romam venit, maritumq; suum Regem vidit, nomen etiam Romanum habere voluit: itaque Caja Cæcilia dicta est. Quod autem prætermittendi gentis atq; familiæ nominis antiquissima consvetudo sit, declarant omnes ferè Græcorum appellationes, in quibus vel à regionibus, vel à civitatibus atq; oppidis sibi nomen assumunt. Cùm autem credibile sit, in

Plato unde nomen hausit.

Theophrastus.

Homerus.

Exempla in fœminis.

6. à Patria.

Exempla.

in suis regionibus ac civitatibus suarum familiarum nomina singulos ab aliis habuisse distincta. Sic Aristoteles Stagirites inscribitur, Plato Atheniensis, Euclides Megarensis, Theodorus Cyrenaicus, Pythagoras Samius, Gorgias Leontinus Pindarus Thebanus, Pittacus Mitylenæus, Thales Milesius, Chilo Lacedæmonius, Bias Prienensis, Periander Corinthius, Cleobulus Lyndius, Solon Atheniensis; aliiq; innumerabiles. Quin etiam apud Latinos ejusmodi sunt inscriptiones, ut T. Livius Patavinus, Apulejus Madaurensis, Lucanus Cordubensis, Silius Italicus, Ausonius Burdegalensis. Multa prætereo consulto, P. C. ne videar magis aliorum exemplis, quàm rationi confidere. Docet enim nos ipsa ratio nihil referre, non tantùm quo singuli homines, sed etiam quo quæq; res nomine vocetur: modò tale nomen imponatur, ut per illud res ea, quam significare volumus, intelligi possit. Sunt enim ab ipsis hominibus excogitata nomina, non alia sanè de causa, nisi ut per ea res inter se discernantur: nam qua ratione, nisi nomina rebus addantur, hæc ab illa distingui atque separari poterit? Sed tamen quoties inter homines de rebus ipsis convenit, nihil oportet (ut apud Platonem ait Socrates) de nominibus esse solicitos; quoniam nullum alium nobis usum nomina ista præstant, nisi ut per ea res intelligamus: quæ cum à nobis perceptæ fuerint, possimus eas, quocunq; nobis placuerit, nomine vocare. Quid enim prohibet, quo minùs inter se convenire possint homines, ut quem nunc equum (exempli gratiâ) vocamus, posteà bovem appellent; & contrà, quem nunc bovem, equum posteà nominent? Cur enim homines ipsi nominum formatores fuerint, & nova semper

1. Græcorum.

2. Latinorum.

Nominum necessitas & usus.

Nomina libera & mutabilia.

Licet ὀνομα-τοποιεῖν novis inventis rebus. novis rebus nomina imposuerint: etiam arbitrio suo possunt ea quoties sibi placuerit; immutare. Quòd si post homines natos & primam nominum impositionem, veteres illi statuissent, nulla esse mutanda nomina; certè nunquam tanta linguarum varietas accidisset: sed iisdem nominibus Hebræi, Græci, Latini, cæteræq; nationes omnes uterentur. *Linguarum varietas unde?* Nunc cum unaquæq; natio suo arbitratu sibi nomina fingat, idque licere omnes arbitrentur: fit ut non tantum in diversis provinciis; sed etiam in eadem regione, atq; adeò civitate, res una variis nominibus appelletur: tantùmque in hac nominum mutatione consvetudo valet, ut non tantum homines, belluæ, plantæ, res universæ, quæ ad usum hominum accommodantur: sed etiam flumina, montes, regiones, urbes, vetus nomen amittant, & novum accipiant. *Vocabula valent, sicut nummi.* E quibus exempli tantùm gratiâ nonnullâ commemorabo. *Exempla nominum mutatorum.* Tyberim fluvium, ab antiquis Albulam dictum fuisse legimus. Padum, scribit Plinius, à Liguribus Bodincum olim appellatum fuisse. Quem antiqui Rubiconem vocabant, vulgò nunc Pisatellum dicunt. Quem Lirim veteres, nos Garilianam. Quid, annon vulgò nunc Mongibellus mons ille Siciliæ dicitur, quem Ætnam veteres appellârunt? Nunc caput Solis vocant, quod olim Zephyreum promontorium. Colonam verò, quòd aliàs Lacinium. Quid, regiones idemné servant perpetuò nomen? Minimè verò. Nam Italia quibus nominibus appellata fuit? modò Oenotria, modò Hesperia, nunc Ausonia, nunc Saturnia, nunc Latium. *Specialia de Italia.* Quid, Italiæ populi, ubi Samnitum hoc tempore, ubi Sabinorum, ubi Vejentium, ubi Volscorum nomen? cùm tamen adhuc eædem regiones, sed aliis nominibus superfint.

Jam

Jam verò Civitates in Italia plurimæ, ficut alibi passim novum nomen sortitæ sunt. Papia nunc est, quod olim Ticinium fuit. Quæ castelli civitas vulgò dicitur, olim Tifernum fuit. Quod Vastum hodie vocant, apud antiquos Istovium vocabatur. Populonia dicebatur aliàs, quod nunc Plumbinum. Cornetum vulgus appellat, quod Ptolomæus Castrum novum Trajectum nunc est, quæ jampridem Minturnæ fuerant. Sed quid hæc pauca persequar: cum & in ipsa Italia, & in aliis provinciis omnibus, omnia fere vetera nomina sint penitus immutata? Rectè enim Poëta quidam cecinit:

Illustratio à rebus inanimatis.

*Mors etiam saxu * nominibusq; venit.*

** Marmoribusq;.*

Videntur enim homines semper hac nominum varietate magnoperè delectari non tantùm in suorum nominum mutatione, sed aliarum etiam penè omnium rerum: ut nihil omninò reperiatur, quod idem perpetuò nomen apud omnes nationes conservare posse videatur. Quæ cùm ita sint, P. C. vobis jam apertissimè constare potest; non esse hanc nominis mutationem contra omnium consvetudinem, quod adversarii nimis imperitè mihi objecerunt. Cùm & doctorum hominum, & religiosorum, & Pontificum, & omnium deniq; quibuscunque visum fuerit, hunc esse morem & semper fuisse docuerim: ut & suo sibi arbitrio nomen immutarent, & ab aliis oblatum, quod gratum esset, arriperent. Quam quidem consuetudinem nulla sit ratio, quæ rectè possit improbare: cùm aliud atq; aliud, prout hominibus placuerit, res singulæ nomen accipiant. Satis mihi multa verba fecisse videor, quare nominis mutatio sit & à legibus concessa, & à communi consuetudine comprobata. Restat ut etiam de honestate atq; decoro nonnulla dicamus,

Conclusio quod nominis mutatio à consuetudine non sit aliena.

Transitio ad 3. argumentum à decoro.

camus. Quod cùm fecero, perorabo. Hoc enim tertium fuit eorum, quæ mihi accusatores objecerant. Cui quanquam ex iis, quæ jam dicta fuerunt, satis responsum esse videri possit: (nihil enim contra decorum est, quod ex communi consvetudine legibus ipsis concedentibus, fiat) tamen ne quid omninò dubitationis in cujusquam animo relinquatur, etiam huic parti respondebo. Opponunt mihi gravissimum honestatis atq; decori nomen, quo fieri non potest, ut non vehementissimè commovear. Etenim id unum semper ab ineunte adolescentia summo studio conatus sum, ut nihil unquam aggredi tentarem, quod aliquo modo turpe atque indecorum esse videretur. Quod si mutatio nominis contra decorum atq; honestatem esset, vani fuissent omnes conatus mei, vani labores, vana omnis industria. Quid enim mihi vita prodesset honestissimè atq; decentissimè acta, si nomini meo turpitudinis atq; dedecoris nota inusta esset sempiterna? Verùm ut in aliis, quæ jam apertè refutavimus; ita etiam in hac parte me accusatores injustè calumniantur. Quid enim turpitudinis habet, quid indecori, Nominis mutatio? Num quia res injusta sit atq; impia? Sed quæ injustitia quæ impietas hac in re esse potest? deorumnè religio, mutãdo nomine violatur? Generisnè humani societas offenditur? Estné hac in re aliqua aut libidinis, aut avaritiæ, aut ullius improbitatis suspicio? Estnè aliquid ejusmodi, quod animum à virtute alienum ostendere possit? Nihil sanè horum non solùm dici, sed ne fingi quidem potest. Cur ergò indecorum? An quia sapientes & eruditi homines ab eo facto refugiant? Immò verò jam à nobis copiosè demonstratum est, plurimorum hominum, qui doctrina atq

Excusatio defensoris.

Ostensio per contrarium semper vitæ & studii genus.

Requisitio unde turpitudo ex nominis mutatione?

Contrapositio.

Correctio.

atq; ſapientiâ excelluerunt, exempla reperiri, qui ſibi nomina commutârunt. Quod autem ſapientum exemplo fit, id etiam omnes rectè fieri exiſtimant. Quos enim imitari debemus, niſi doctos & ſapientes viros? Quorum nobis vitam, quorum facta atq; dicta proponenda putemus, niſi eorum, qui quod pulcherrimum factu atq; dictu eſt, optimè calluerunt? Quod ſi rectum eſt clarisſimorum hominum exempla ſequi: profectò erit etiam decorum atq; honeſtum. Quod enim rectè fit, id ut honeſtè quoq; decorèq; fiat, neceſſe eſt. Cur hoc (inquam) indecorum? An fortaſſè quia lege prohibitum eſt? At hoc etiam oſtendimus, tam à divinis, quàm ab humanis legibus apertè conceſſum eſſe. Quod autem jure conceditur, id juſtum eſſe nemo non intelligit. Nam quæ legum eſſet utilitas aut uſus, ſi quæ ſunt injuſta, nominatim concederent? Ergò ſequitur, ut idem etiam decorum ſit. Quid ad hæc contradici poteſt? Vel enim hoc factum meum juſtum eſt: vel injuſtum. Sed injuſtum non eſſe (propterea quod ab eruditis atq; ſapienbus viris uſurpetur, & à legibus permittatur) oſtenſum eſt. Reſtat igitur, ut juſtum eſſe neceſſariò concludamus. Idnè igitur vos, P. C. quod juſtum eſt, contra honeſtatem atq; decorum eſſe judicabitis? Profectò nunquam cadet in iſtam ſapientiam veſtram tàm iniquum judicium. Quis enim non videt hæc argumenta luce eſſe clariora? Sed quibus tandem rationibus adverſarii nominis mutationem, contrà decus atq; honeſtatem eſſe probare conati ſunt? Primum (opinor) hoc eorum eſt argumentum: Is quem veteris nominis pœnitet, omnes in levitatis atque inconſtantiæ ſuſpicionem inducit. Nihil au-

Non quidem exemplis: ſed legibus ſtandum.

Concluſio.

Comprobatio.

Per dilemma.

A contrariis, quæ ſimul adeſſe nequeunt.

Enumeratio argumentorum adverſæ partis.

1. à liberalitate.

autem inconstantia atq; levitate turpius, aut magis indecorum videtur. Qua in parte possum id ego dicere, quod olim vulpes, cùm in cujusdam artificis domum esset ingressa pulchramque capitis imaginem intueretur: O quale caput (inquit) sed cerebrum non habet! Nam qua ratione probatis, adversarii, eum in levitatis atq; inconstantiæ suspicionem incidere, quem veteris nominis pœnitet? Quæ causa est, cur ea suspicio suscitari debeat? Cur inconstans aut levis existimandus est, qui dolet ea re, quam immutatam esse cupiat; cùm præsertim eam mutare concessum sit? Eadem ratione dicetur levis, quem ignobilitatis, quem paupertatis, quem morbi, quem vitiosorum parentum, quem deniq; status sui pœnitet. Quod si verum sit, erunt inconstantes omnes, qui sua virtute familiam nobilitate, rem familiarem augere, valetudinem tueri, vitia parentum occultare, dignitates acquirere contendunt. Quo quid absurdius dici potest? Cur autem magis inconstans esse videatur, qui nomen, quàm qui vitæ genus mutat? Eorum enim omnium, quæ à parentibus accepimus, una ratio esse debet; ut ea vel æquè conservari debeant, quamvis minimè grata sint; vel æquè mutare liceat. Quod si debent omnia conservari, profectò levis & inconstans quicunq; eorum aliqua mutaverit. Quo fiet, ut in eodem statu sit unicuiq; perpetuò vivendum: neque quisquam ignobilis & obscuro loco natus unquam emergere atq; in luce versari possit: sed etiamsi aut felici ingenio, aut prospera fortuna adjuvetur, tamen ei necessariò delitescendum sit. Quod si hæc absurda sunt: & pleraq; mutare licet eorum, quæ à parentibus accepimus omnesq; laudentur, qui se suamq; familiam quotidiè reddere conantur illustrio-

Responsio per apologum.

Probatio per retorsionem.

Illustratio à simili.

Conclusio.

Ratio ab absurdo.

Melioratio nomini prohibita.

ſtriorem, quisq; ſemper in melius vitæ ſuæ rationes promovent: aut is inconſtans appellandus eſt, qui cum induſtria ſua, labore, diligentia jam emergere cœperit, & omnia ferè, quæ à majoribus ſuis acceperat, immutârit, nomen etiam commutare velit? Quis enim propriè levis & inconſtans appellandus, aut hoc nomen in quem peculiariter cadit? Opinor in eum, qui nequaquam in una recta ſententia perſiſtit; ſed modò hoc, modò illud concupiſcit. Qui verò, re multum deliberata & perpenſa, tandem ſtatuit novum ſibi nomen adoptare, quo poſteà per omne vitæ ſuæ ſpacium utatur; quis eum levem aut inconſtantem juſtè poteſt appellare? Non hercle magis, quàm qui ruri natus, aut in aliqua humili atq; abjecta patria, tandem eam deſerere conſtituit, atq; in florentisſima civitate vivere. Quod ſi nemo levem eum exiſtimat, qui nobilisſimæ civitatis jus acquirere contendit, & priſtinam penitus patriam deſerit: cur is levis habeatur; qui pulchrum ſibi nomen quærit, vetus repudiat; cum præſertim ea fuerit antiquisſima conſvetudo, ut qui novi cives fierent, etiam nova nomina ſumerent? At mutatio nominis gravitatem non habet! Imò verò tantam habet, quantam etiam mutatio patriæ vel civitatis. Quare Cato Cenſorius, cùm ex Tuſculano Romanus civis eſſet factus, etiam ex Priſco (ſic enim priùs vocabatur) factus eſt Cato: Quod ſi gravitatem non haberet mutatio nominis: cur ſibi Pontifices nomen immutarent? Cur Chriſtus quibusdam diſcipulis ſuis novum nomen impoſuiſſet? Cur ejusdem legati quoscunq; ſacris initiâſſent, eis nomen etiam mutare voluiſſent? Cur etiam noſtro tempore quoties alienigena Chriſtianus fit, priſtinum nomen repudiat? Sed iterum

Declaratio à definitione levitatis.

Per remotionem contrarii.

Emerſio & virtutis ac laudis acquiſitio honori potius eſt, quàm dedecori.

Collatio cum aliarũ rerum mutatione.

Repetitio per exempla oſtenſa.

Objectio adversarii alia.
A contemtu parentum.

insurgit, atque eloquio tonat accusator Fabius. Omnes(inquit) qui sibi nomen mutant, parentum primum mandatum contemnunt atq; despiciunt, parentum prima munera parvipendunt, parentum voluntatem irritam faciunt. Quis has tàm acres exclamationes non vereatur? quis hæc eloquentiæ fulmina non pertimescat? Equidem toto corpore perhorrescebam, cùm illud Parentum repeti toties audirem: itaq;, quo me verterem, nesciebam. Videbar enim videre, tàm acri lugubriq; accusatores vociferatione à mortuis excitatos adesse cum flagello parentes meos, qui me graviter increparent, & verbera minarentur, nisi pristinum nomen resumerem. Hoc certè tanti ponderis est, quanti illud, quo me nuper idem accusator gravissimè insectatus est.

Refutatio per simile factum nullius momenti.

Cùm enim nubilo cœlo pluvioq; mihi domo exeundum esset, & toga domi relicta, pallio breviori in publicum prodiissem, ut primùm iste vidit, summâ voce multis audientibus exclamare cœpit, me decorum non servare, nimis inhonestè gerere, sibi cæterisq; collegis dedecori esse; fore, ut brevi me levitatis ejus pœniteret.

Declaratio per collationem.

Judicium videlicet hoc jam tùm mihi minabatur. Itaq: miror, cur hoc tantum crimen relictæ domi propter pluviam togæ, in accusatione sua non inseruit, & me non tantùm nomen, sed etiam vestes & habitum mutâsse coarguerit. En virum dignissimum, qui moribus præficiatur!

A minore ad majus exaggeratio.

Quid in gravissimis criminibus eum facturum existimamus, qui levissima tàm acriter insectetur? Sed illud mihi Juvenalis in mentem venit usurpare:

Ultra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,

Qui

Quid Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.
In docti primum.

Nam si mihi liberet accusare, facilè possem ea de adversariis meis proferre testimoniisque comprobare, quæ certè nobis, P. C. longè graviora & majori pœnâ digna, quam nominis & togæ mutatio viderentur. Sed habeant per me totum vitæ suæ spacium multis flagitiis inquinatum, solutum ac liberum: nihil à me de gravissimis vitiis peccatisq; suis audiant. Neq; enim id facere possum, à quo me primò natura deduxit, deinde consuetudo removit, postremò voluntas avocavit. Satis est mihi tàm castè atq; integrè vivere, ut nemo justè me accusare possit: aut si accuset, apertè calumniari videatur. Quomodo autem cæteri vivant, quos emendare ego atq; in rectam viam reducere non possum, non admodum mihi curandum esse censeo. Sed ad rem redeamus. Quodnam est hoc parentum mandatum, quod à me contemptum & spretum dicis, Fabi? Solentnè parentes filiis suis præcipere, ne nomen mutent? Certè si ita est, graviter peccant, quicunq; sibi nomen mutant. Parentum enim voluntate, quæ non iniqua videatur, semper obtemperare filii debent. Verùm quid aliis accidat, nescio: mihi certè nunquam parentes mei, ne nomen immutarem, præceperunt: itaq; non intelligo, cur à me parentum mandatum neglectum fuisse dicas. Sed quid, si vivo patre, & consentiente & approbante, nomen mutavi: erisne tamen tàm improbus, ut affirmes, à me contemptum fuisse parentum mandatum? Tertius enim hic annus est, ex quo quædam Opera mea sub eo nomine, quod mihi adoptavi, typis excusa & pervulgata sunt. Pater autem meus

Delicta amici novera, non oderis inimici.

Conscientia mille testes.

Præteritio.

Reversio.

Ab inobedientia liberorum contra 4. Præceptum.

Parentibus rectè monentibus parendum.

anno

Applicatio ad scriptum. anno superiore, meis in complexibus animam egit: contra cujus voluntatem atque nutum, quoad vixit, non modo quicquam non feci, sed ne facere quidem tentavi: quem ita diligenter observabam, ut parentem decet: ita vehementer amabam, ut eum, qui licet in tenuissima re familiari versaretur, nulli tamen unquam sumptui pepercit, ut me bonis in artibus atq; disciplinis eruditum aliquando videre posset: ita cum eo consilia omnia mea communicabam, ut ne latum quidem (quod ajunt) unguem ab ejus sententia mihi discedendum putarem. Hoc igitur ille nomen approbavit, huic mutationi consensit, hoc me nomine sæpiùs appellavit: Adsunt testes ex municipibus meis plurimis, *Comprobatio per publica testimonia.* summa virtute, fide, religione, viri, quibus hoc notissimum est, qui sæpè hoc à patre audierunt: qui de honore atq; dignitate mea soliciti sunt: qui sua sponte Mediolanum ad hoc judicium testimonium dicturi venerunt. Hos, si vobis placuerit, P.C. testes audietis: quamvis hoc minimè necessarium esse videatur: Neq; enim legislatores, qui nominis mutationem permiserunt, hanc exceptionem addiderunt: Extra quam si parentibus minimè placuerit. *Q. an parentibus filii in nominis mutatione obedire possint?* Itaq; crediderim, ne à parentibus quidem impediri filios legitimè posse, quò minùs aliqua probabili de causa, si visum eis fuerit, nomina mutent. Quamvis illud ego magnopere laudem atq; approbem; nihil sine parentum consilio, dum vivunt, à filiis esse faciendum: sed postquam illi mortem obierint, tùm cuiq; liberum atque integrum esse, quod vitæ genus sequi quod nomen habere velit. Præclaris enim ingeniis sæpissimè accidit, ut vel imperitia, vel ignobilitate parentum, vilia atq; abjecta nomina sortiantur. Qua potissimùm de causa factum

exiſti-

existimarim, ut nomina, quæ minimè grata fuerint, mutare lege concessum sit. Quod si parentes pulchra filiis suis nomina studerent imponere, magnum certè illis ornamentum adjungeretur. Tria sunt enim, quibus si fortè privati sunt, magno studio parentes acquirere filiis debent: Patriam, Nomen, Artes. Quisquis igitur obscuro loco natus pater, claros habere filios concupiscit; primò nobilem, quam incolat, sibi civitatem eligat; quoniam non tàm frequenter familiæ; quam civitatis nomen quæritur. Ut non sine causa Seriphius quidam objecisse Themistocli dicatur. Non illum sua; sed patriæ gloria splendorem assecutum: cui tamen ingeniosè Themistocles ita respondit: Nec hercle, si ego Seriphius essem ignobilis; nec; si tu Athenienfis esses, clarus unquam fuisses. Hoc ergò in potestate patris primùm est, ut, quam velit, filio patriam paret: deinde ut elegans atq; egregium nomen eidem imponat, quæ certè res magnum plerisq; decus & ornamentum afferre solet: postremò, ut ingenuis eum artibus erudire contendat, quæ præcipuè in re splendoris omnis & gloriæ principium est. Quod si quis fortè parentum culpa privatus his rebus fuerit, in ejus est arbitrio atq; potestate situm, si voluerit, ut & patriam, & nomen, & artem commutet: neq; ulla lex, aut ulla ratio reperitur, quæ illum justè possit impedire. Sed urgent adversarii valida quadam (ut ipsi existimant) & quasi cornibus armata argumentatione: Qui nomen (inquiunt) familiæ mutat aut prætermittit, is vel claro illustriq; loco natus est, vel certè obscuro atq; ignobili. si claris est parentibus ortus, nominis mutatione genus & nobilitatem contemnere videtur, & à majorum suorum lumine in tenebras decurre-

Virtuti & famæ potiss. studendum.

Quænam sint boni parentis officia.

Propria virtute ad gloriam ire optimum.

Instãtia aliã adversariorum, per dilemma.

curre-

currere : si autem obscuris & humilibus, seipsum eadem nominis mutatione prodit, & ignobilitatem suam coram omnibus confitetur. Hoc Chrysippeum esse Barones isti putant, atq; hujusmodi, ut non modò à me; sed ne à Carneade quidem, si revivisçat, ullo modo dissolvi possit. Itaq; diu atq; ad nauseam usq; sunt in hac parte commorati, totaq; nugarum plaustra super hac una ratione fuderunt. Sed videamus quid ea valeat, cujus ponderis sit. Claro loco natus, nominis mutatione fit (ajunt) obscurior. Quomodo quæso? Num quia vilius & abjectius sibi nomen adoptet? Quis autem adeò stupidus est, ut hoc faciat? Quisquis enim sibi nomen mutat; elegantius & splendidius quærit, non autem sordidius & obscurius. Qua ratione ergò fit obscurior? num etiamsi clarius & nobilius sibi nomen assumat? Quis tàm rerum ignarus est, ut hoc affirmare audeat? Clarus erat Pauli Æmilii filius, datus est in adoptionem Scipionum familiæ, nomen mutavit, posteà Scipio fuit appellatus. Quid? Eanè de causa contempsisse nobilitatem suam videtur, eanè de causa à majorum lumine in tenebras decurrisse? Proh deûm atq; hominum fidem, quantum stuporis, quantum imperitiæ præ se ferunt istæ adversariorum rationes! Nobilissimus erat Octavius; eum C. Cæsar Dictator adoptavit: novum nomen sumsit, Cæsar posteà dictus fuit: hac adversariorum meorum argumentatione factus est scilicet ignobilior, genus suum contempsit, tenebricosus quidam evasit. Hæccine sine risu quisquam audire potest? Quot homines clarissimi reperiuntur, ut apud veteres, & apud recentiores, qui relicto familiæ suæ nomine, se in duas aut tres clariores familias insinuârunt? Sed ne historiam contexere vide-

Syllogismus cornutus.

Solutio per inversionem.

Et quidem ab exemplis per enumerationem pluribus.

videar; uno tantùm summi hominis exemplo contentus ero, qui nostra memoria vel omnium eruditorum celeberrimus fuit. Aldum enim audio virum illum, cui tantum & Latinæ & Græcæ literæ debent, Bassianatem fuisse: qui tamen prima ætate, cùm jam floresceret, se Romanum primò scribere cœpit. Vidi ego permultas ejus epistolas, in quibus ita nomen suum inscribebat: Aldus Romanus. Deinde non ita multò post, Manutiorum familiæ nomen assumpsit, & se longo tempore Aldum Manutium Romanum inscripsit. Postremò cum Alberti Pii Carporum Principis amicissimus esset, etiam in ejus familiam se insinuavit, & tandem Aldus Pius Manutius Romanus factus est. Hæc autem ideò commemoro, non ut aliquid de tanti viri fama detraham, quem semper omnium maximè sum admiratus: sed ut apertissimè doceam, hanc semper fuisse doctorum hominum sententiam, ut nequaquam contra decorum esse censerent, & suum & familiæ nomen vel mutare, vel penitus relinquere, & alia nova sumere. Nam ipsius Aldi filius, juvenis cùm summâ eruditione, tùm orationis elegantiâ præstans, hoc tempore duobus parentis nominibus relictis, tantùm se Paulum Manutium inscribit. Quod autem adversarii dicunt: qui sit obscuro loco natus, mutatione nominis ignobilitatem suam coram omnibus confiteri: non satis (ut ingenuè fatear) intelligo, quid sibi velint. Nam qua ratione mutando nomine ignobilitas ostenditur? An quia tantùm ignobiles mutare nomen soleant? At hoc falsum esse ne adversarii quidem ipsi negabunt: cùm plurimi nobilissimi viri nomina mutâsse legantur?

Illustratio per speciale exemplum.

Correctio cum accusatione.

Transitio ad solutionem alterius objectionis per elusionem.

1. Ab exemplis.

Dein-

2. Ab absurdo per dilemma aliud.

Deinde quomodo coram omnibus ignobilitatem confitentur? Utrum coram eis, a quibus cognoscuntur, an quibus ignoti sunt? Si coram eis, à quibus cognoscuntur, nullam ignominiam aut dedecus affert ignobilitatis confessio: quin potiùs arrogantes haberentur, si se nobiles esse dicerent. Itaq; multi præstantissimi viri generis etiam novitate gloriati sunt, quod à se genus suum, cùm anteà fuisset obscurum, illustrari cœpisset. Si coram eis, quibus ignoti sunt: hoc erit monstri simile. Quis enim eum ignobilem esse credit, quem ne natum quidem novit? Quare quod hac in parte reprehendant, nihil omninò esse video. Sed tamen id concludam, quod, quicunq; benè senserint, verissimum esse mihi facillimè concedent; cùm in rebus ferè omnibus, tùm multò magis in disciplinis atq; literis, parùm admodùm, aut nihil ad gloriam, & honorem prodesse, quo quisq; genere natus esse dicatur. Ut enim quisq; doctissimus & laboriosissimus est, non ut generosissimus & nobilissimus: ita in amplitudine atq; celebritate nominis maximè excellit. Quid enim obfuit ad æternam gloriam Socrati, quod statuarii filius esset? quid Euripidi, quod olitoris? quid Demosthenì, quod fabri ferrari? quid Virgilio? quod figuli? quid Horatio, quod libertini? quid plurimis aliis, quorum nomine nihil hoc tempore clarius? Desinant igitur adversarii de genere verba facere, quod utrùm clarum an obscurum sit, nihil nobis Musarum cultoribus omninò curæ esse debet. Concedant tandem id, quod inficiari non possunt: sive quis nobilis sit, sive ignobilis, honestè atq; decorè, si voluerit, immutare nomen posse. Cùm annis superioribus in Ferrariensi Gymnasio Juri civili operam darem, mihi fuit arctissi-

Virtus propria.

Per exempla.

Conclusio per compulsionem.

ctissima familiaritas & consvetudo cum Bartholomæo Ferrino, viro cum morum integritate, tum eruditione certè singulari atq; admirabili: cujus morte (nam anno superiori in Regiensi legatione mortuus est) nihil mihi jampridem acerbius evenit. Is igitur, ut mihi narrabant ejus familiares, cùm esset obscurissimo loco natus, tamen propter excellens ingenium, brevi tempore cœpit emergere, notusq; pluribus fieri: donec ejus fama impulsus Hercules Attestius Ferrariæ princeps, eum accersivit, & Scribam suum à secretis esse voluit. Sed cum eum admodum pauperem esse videret, cujusdam Ferrarii mercatoris ditissimam filiam quam ille unicam habebat, in matrimonium ei collocavit. Itaq; cùm jam hac ratione ditior & clarior factus fuisset, unaq; cum socero, qui venale ferrum habebat, habitaret: se Ferrinum à soceri ferro cœpit appellare, suæq; familiæ nomen supprimere. Quæ res illi non modo nulli dedecori fuit: sed maximum etiam ornamentum attulit. Nam ipse princeps Hercules, eo nomine tantoperè delectatus est, ut eum posteà nunquam alio quam Ferrini nomine vocaverit: quem secuti quicunq; eum norant, Ferrinum appellabant. Atq; ita factum est, ut non ita multo post nullum esset in ea civitate clarius nomen: ut etiam nobilissimæ familiæ novo homini Ferrino cedere viderentur. Potestnè igitur quicquã contra honestatem atq; decorum esse, quod sæpissime maximum honorem & dignitatem afferat? Hæ sunt, P. C. rationes. hæ causæ, quibus adductus ego putavi nequaquam crimini mihi dari posse, si, quod non placebat, nomen immutâssem: quod & ab eruditis viris fieri, & à legibus concedi, & ab honestatẽ atq; decoro non abhorrere intelligebam.

Declaratio per narrationem historiæ.

E vilibus fiunt nobiles imò Principes.

Conclusio.

Repetitio rationum priorum.

Peroratio totius, cum repetita insinuatione.

Nunc igitur perorata causa, nihil aliud superest, P. C. nisi ut vos orem obtesterq; per eam, quam erga me jampridem ostendistis, humanitatem atq; benignitatem vestram: per æquitatem atq; clementiam, qua in omnibus judiciis vestris uti consvevistis: per summam religionem atq; incredibilem sapientiam, quam in vobis omnes admirantur: ne in hoc judicio, nullo meo scelere; sed tantùm adversariorum improbitate conflato, dignitatem eam, quã me vestra sponte decorâstis, & amplissima beneficia, quæ in me contulistis, graviore sententia deformare atq; obscurare velitis.

Ratio.

Si me in hoc judicium non crimen aliquod quæstionis proprium: non aliquid ejusmodi, quod sit à lege sejunctum, aut ab honestis vitæ rationibus alienum: sed accusatorum invidia, nocendiq; cupiditas vocavit: nolite quæso committere, ut quem vos immortali penè beneficio nuper affecistis, eundem hoc tempore malevolorum iniquitate circumventum, omni dignitate atq; honore spolietis.

Cum momẽtis causæ repetitis.

1. A vita anteacta.

Si me à pueritia deditum iis disciplinis fuisse non ignoratis, quibus instruimur ad honorem, ad gloriam, ad dignitatem: si bonorum hominum industriam continentiamq; semper imitari conatus sum: si, cùm primùm mihi per ætatem licuit, adhortandis, docendis, concitandis, instigandis ad ingenuas artes juvenibus, de Repub. nostra quoad facultas mea tulit, quàm plurimum benè mereri studui; si deniq; ea, quæ nisi vigilantes homines, nisi sobrii, nisi industrii consequi non possunt, labore & diligentia consecutus sum: obsecro vos Judices, ne patiamini potiùs exteras nationes laborum meorum fructus, quàm juventutem vestram percipere. Mihi quidem hæc patria longè vita mea charior est, ut optimo cuiq; civi esse debet. Sed qui

2. A studiis & officiis erga alios.

3. Impulsio à patriæ loco, cui inserviendum.

quid in hoc judicio (quod Dii omen avertant) decretum à vobis fuerit, quod famam aut existimationem meam aliquo modo lædere videatur; omninò mihi, maximo quidem cum dolore atq; gemitu, sed quodammodo necessariò patria discedendum erit. Neq; enim exultantes hac victoria inimicos meos, & quotidiè mihi insultantes ullo modo pati potero: neq; in hunc tàm mihi jucundum atq; gratum conspectum vestrum prodire unquam amplius ausim: deniq; civium, amicorum, familiarium, cognatorum consuetudinem, congressum, oculos evitare contendam. O tristem & calamitosum diē illum, quo mihi à domo mea, ab aris atq; focis, à domesticorum amplexibus, a patria deniq; recedendum erit! O spem fallacem, & inanes cogitationes meas, quæ in hoc medio vitæ spacio franguntur & corruunt, quæ in hoc amplificatæ nuper dignitatis curriculo antè sævissimis tempestatibus obruuntur, quàm portum conspicere possint! Nam quid iis dicam, qui me frequentes interrogabunt, cur hoc potissimum tempore in hac, quam nobis Dii immortales bonitate sua concesserunt, pacis tranquillitate, in hac studiorum ac liberalium artium instauratione, cùm reliqui nostri Professores omnes in pristinum locum restituti sint, ego solus à patria discesserim. Poteronè severitatem vestrā accusare P.C. quos omnes æquissimos & clementissimos esse sciunt? Poteronè cuiquā probare, me nullo scelere, nullo flagitio, nullo, ne mediocri quidē, crimine cōdemnatū; sed adversariorū potentiā, gratiā, libidine, vobis auctoribꝰ oppressū, in eā calamitatē devenisse? Quisquā ne credet, unā tantùm in nomine meo syllabā immutatā tātoperè vestros animos commovere potuisse, ut ea de causa me notandum infa-

4. Sin minùs à contraria spe & eventu.

Ratio eventus sinistri.

Exclamatio pathetica.

Ratio alia ab inhonesto seu indecoro.

2. Ab æquitate judicum.

3. A levitate rei.

Litera vel syllaba non facit errorem.

infamia censueritis? Ubi igitur vestra jampridem spectata & cognita fides? P. C. ubi religio? ubi misericordia? Nihilnè poterit apud vos innocentia mea, nihil amicorum preces, nihil cognatorum lachrymæ, contra inimicorum improbitatem, sævitiam, crudelitatem? Quid ergo? Vitæ integritas ubi consistet, si apud vos locum non invenerit? Quid e-

Exaggeratio vehementior.

rit, quod quisquam in hac civitate laboris, industriæ, diligentiæ suæ præmium aliquod se speret assecuturum: qui me, quo tempore vigiliarum mearum fructus aliquos percipere debebam, tàm levi accusatione prostratum atq; abjectum videat? No-

Conclusio cum voto.

lite per Deos immortales, P. C. hanc tantam atq; exoptatam adversariis meis afferre lætitiam: ut me nunc primum vestris beneficiis florescentem, aspe-riore sententia, tanquam turbine aliquo aut subita tempestate, pervertatis. Conservate civem patriæ amantissimum, vobis deditissimum, bonarum artium studiosum: quem, si hoc judicio (quod spero & opto) sententiis vestris absolveritis, addictum & obstrictum perpetuò vobis ac liberis vestris habebitis. Facite, ut eosdem vos in conservanda tuendaq; dignitate mea cognoscam, quos jam in tribuenda atq; amplificanda magno cum gaudio cognovi. Sic enim fiet, ut mihi posthac duplo magis ela-

Et cum promissione officiorum.

borandum esse statuam: primum ut eo, quod mihi demandâstis, munere, quàm fieri potest, optimè perfungar: deinde ut vobis, qui me conservandum esse censueritis, & adversariorum malevolentiæ atq; invidiæ restiteritis, pro virili parte quàm gratissimum esse ostendam. Quibus ex laboribus meis, mihi credite, P. C. efficiam, ut omnis juventus nostra fructus uberes diuturnosq; percipiat.

PRO DECRETO ALPHONSI AVALI ET SENATUS MEDIOLANENSIS, IN ALEATORES.

ORATIO XI.

Continetur hæc sub genere deliberativo. Dissvadet enim & seriò admonet, principem, ut omnes turpes ludos, præsertim aleam in conviviis aut compotationibus aliisvé locis severè prohibeat; ob maxima damna inde emergentia, non solùm pecuniæ amissionem; sed & cædes sæpè inde factas; cùm itaq; infame sit & maximè noxium benè constitutæ Reipublicæ hoc ludi genus, ideô jurè interdicendum.

MAximè lætandum nobis esse arbitror, Viri Mediolanenses; maximasq; Deis immortalibus agendas gratias, quod hunc sapientissimum invictissimumque Principem Alphonsum Avalum, hos prudentissimos atque integerrimos Patres Conscriptos, hunc deniq; omni virtutum genere cumulatum Senatus Principem, Philippum Saccum, huic nostræ civitati ac summæ Reip. præesse voluerint. Omnes enim hi, quorum patrocinio universa civitas nostra demandata est, non publicarum tantum rerum, communiumq; fortunarum, quòd eorum proprium esse videtur, curam sibi suscipere satis esse judicant: sed mores etiam nostros rectè informare,

Exordium à voto.

Ratio.

A fine.

mare, vitam honestè instituere, mentes à pravis erroribus ad sanctissimæ religionis cultum revocare student. Qua quidem re nihil nobis omnibus aptius, nihil laudabilius, nihil sanctius inveniri posse existimo. Nam ad vitæ tranquillitatem, & imperii perpetuitatem nulla res est accommodatior, quàm effrenatas improborum hominum cupiditates sanctissimarum legum freno coërcere. Nihil ad summam æquitatem præstantius, quàm benefactis justa præmia, malefactis meritas pœnas constituere. Nihil deniq; propius ad illam cœlestium immortalitatem accedere potest; quàm ita homines sub imperio continere, ut omnia fugiendæ turpitudinis ac honestatis adipiscendæ causâ sibi facienda esse statuat. Ac mihi quidem cùm cætera omnia, quæ clarissimus hic princeps noster ex sapientissimi ordinis senatorii sententia nuper decrevit, rectè instituta esse videntur: De blasphemis puniendis: De cohibenda fœminarum ambitione, ac nimis pretioso cultu: De servanda in templis reverentia: tùm illud multò rectissimè sancitum in Aleatores & cujusq; generis lusores; ne cuiquam expositis pecuniis omninò ludere liceat. Jam enim longè lateq; flagitium hoc aleæ atq; omnium ludorum civitatem nostram, ut plerasq; etiam alias, occuparat. Quamplurimæ domus erant, & ignobilium, & nobilissimorum hominum, in quibus aleatorum consociatos greges ferè quotidiè videbamus. Nullum erat diversorium, nullum hospitium, nullus angulus, in quo non conglobata multitudo vel ad aleam, vel ad aleæ spectaculum confideret. Ibi tùm illa fiebant, quæ damna aleatoria ferè comitari solent, diffidia, contentiones, maledicta, perjuria, cædes. Sed jam tandem cœpit hominum perditissimorū temeritas & audacia coercen-

Comprobatio à legum utilitate.

Applicatio per collationem.

Status & caput causæ.

Ratio ob incommoda.

poſtquam huic tanto flagitio graviſſima Senatus auctoritas interceſſit. Qui quidem ordo, Viri Mediolanenſes, ut facilimè poteſtis intelligere, nihil aliud niſi de communibus commodis, & de patriæ noſtræ ſalute cogitat: nec aliter cives univerſos tuetur & cuſtodit, non modo ab omni calamitate; verùm etiam crimine, quàm vigiles & accurati paſtores à luporum incurſibus & ferarum laniatu greges ſuos. Quare nimis inſipientes & injurioſi eſſe videremur, niſi quicquid nobis ab hoc ordine ſanctiſſimo præceptum fuerit, id omni ſtudiô, curâ & diligentiâ perficeremus: cùm præſertim id omne ſit in maximam noſtram utilitatem & laudem redundaturum. Quæ quidem ratio me potiſſimùm impulit, ut coram vobis hodierno die pro decreto, nuper in aleatores auctoritate Senatus interpoſito, verba facerem: ut cùm apertè cognoveritis, quàm tetrum & execrandum ſit hoc Aleæ flagitium, tùm faciliùs ſtatuatis, quantum vobis enitendum ſit, ut rectiſſimis atq; honeſtiſſimis & Senatus & Principis noſtri inſtitutis obtemperetis. Atq; ut ab ipſo ſceleris hujus nomine primum oratio mea proficiſcatur, ne qua fortaſſis in vocabulum cadat ambiguitas, ludum omnem in fortunæ varietate poſitum, & qui non urbano ingenio, civiliq; more; ſed caſu & fraude tractari ſolet, Aleæ nomine comprehendi intelligimus. Qui quantùm ab homine Chriſtiano & à probo viro ſit alienus; vel inde facilimè cognoſci poteſt, quod religionem, fidem, caritatem, cæterasq; bonas artes penitùs evertit. Qua enim ratione fieri poteſt, ut qui frequenter Aleæ vacat, is religioſè vitã ſuam inſtituat; quæ ſemel captum hominem totum ad ſe rapit, nec de honeſtate ſinit aut juſtitia quicquam cogitare?

Magiſtratus boni munus.

Magiſtratui tali honor exhibendus.

Propoſitio.

Confirmatio à nominis Vi.

I. Argumentum ab indigno & indecoro.

Nulla honestas in aleâ lucrosâ. Neq; verò, qui fidem servare singulosq; homines, sicuti divinæ leges præcipiunt, tanquam seipsum diligere studuerit, ullo modo conabitur Alea quemquam irretire, & fortunis ac patrimonio spoliare. *Ratio per antithesin.* Vir enim probus atq; intelligens honestis tantùm rationibus & artibus, non fraude, non dolis, non Aleâ lucrum quærit. Ista est perditorum hominum & impiorum conditio; quos neq; divini Numinis horror, neq; existimatio populi, neq; leges ullæ coercere possunt; quin omni corporis & animi contentione, per fas & nefas pecunias accumulare studeant. *Auri sacra fames.* Sed videamus, quæso, breviter, quibus de causis adducti plerique homines hoc turpissimum vitæ genus amplectantur. Sic enim facilius, ut opinor, ei remedium inveniemus. *Illustratio à simili è Medicina.* Nam ut in curandis corporibus primus ad bonam valetudinem & salutem gradus est morbi cognitio: sic etiam in animis nullum unquam vitium rectè sanari poterit, nisi causæ priùs illius indagatæ revellantur. *Probatio, cur alea lusus sit concessus.* Itaq; mihi sæpè multum ac diu cogitanti, quid sit, quod cùm omnes ferè homines inhonestum Aleæ ludum esse judicent; eo tamen vitio plurimi tàm facilè transversi rapiantur: illud in mentem venire solet, ut existimem, duabus maximè de causis id evenire: nempe quod in eo vel lucrum vel utilitatem appetant. *Refutatio.* Quod si rationibus & argumentis apertissimis evicero, neutram ex his omnino causam neq; tutam, neq; honestam esse; quin potiùs ambas non tantùm turpes; sed etiam perniciosas, & Christianæ religioni maximè contrarias: quis erit tâm amens, qui tàm detestabile vitium ambobus, quod ajunt, pedibus non esse fugiendum existimet? *Turpe lucrum.* Primùm igitur si quis lucri causâ se ludere dixerit, eum ego gravissimis verbis accusare

atq;

atq; insectari non dubitabo; quòd insatiabili lucri cupiditate jus omne divinum atq; humanum pervertere audeat: deinde eundem etiam stultitiæ coarguam, quod inde lucrum speret, unde sæpissimè detrimenta maxima proveniant. Tu igitur cùm intelligas, ab homine probo non esse magnifaciendas omnino pecunias, neq; quicquam magnoperè curandum, nisi quod ad comparandam animi quietem atque beatitudinem utile esse videatur; sic teipsum prosternes atq; abjicies, ut propter pecuniarum aviditatem nullum quæstum turpem putes? quotidiè fraudes, decipias, auferes, eripias, socios expiles? & deniq; turpissimo vivendi generi deditus, nullum dedecus, nullam infamiam verearis? cùmque sæpè vel legeris, vel audiveris, nihil tàm parvi tamq; angusti esse animi, quàm amare divitias, earum tàm cupidus, tantoq; amore incensus esse videberis, ut etiam contra omnia jura divina atq; humana te ipsum aleæ lucri causâ tradas? Obsecro te, quicunq; es aleator, non aliquando in te descendis? non te ipsum respicis? non cogitas, quam turpem personam sustineas? non tibi venit in mentem, nullum convicium atrocius inveniri posse, quam si quis aleator appelletur? Quis unquam asperiùs invectus est in aliquem hominem quàm Cicero in M. Antonium? Qui cùm ejus impurissimam vitam & mores maximè detestabiles execrari vehementissimè studeret, summum ei visum est opprobrium ita dicere: Domus erat aleatoribus referta. Idem Cicero cùm Catilinæ socios & conjuratos asperrimis atq; atrocissimis verbis insectaretur. In his, inquit, gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri, impudiciq; versantur. Videtisnê, quàm gloriosum & insigne nomen sit alea-

Pecunia negligenda.

2. Argumētum à re ipsa.

1. Probatio ab autoritate.

torum, qui inter execrandos patriæ proditores, & sceleſtisſimos homines ab Oratore ſapientisſimo numerentur. Quin etiam apud Nævium, ut Festus atteſtatur, cùm neſcio quis in eum, cui maximè iratus fuerat, acriter inveheretur, & convitiis inceſſeret; Pesſimè, inquit, audax, ganeo, lurco, aleo. Quaſi nullum potuerit gravius convicium invenire; ſic aleonem ultimo loco nominavit. Quod in Mamurram Catullus quoq; ſcribens obſervavit, cùm ita inquit: Quis hoc poteſt videre, quis poteſt pati, niſi impudicus, & vorax, & aleo? Ariſtoteles omnium Philoſophorum facile princeps, cum in libro de Moribus quarto de liberalitate verba faceret, aleatores maximè infames eſſe oſtendit. Eos enim cum furibus & latronibus connumerans, illiberales eſſe dixit, & in turpi ac ſordido lucro verſari: propterea quod omnia quæſtus cauſâ faciant, & probra ſuſtineant; nec non ab amicis, quibus dare oportebat, lucrari ſtudeant. Quis autem neſcit antiquis legibus apud Romanos interdictam fuiſſe aleam? Nam in Pandectis caput extat, De Aleatoribus, ubi non tantùm luſores ipſi puniuntur; ſed etiam illi, qui fortè quempiam ludere compulerint. Quin etiam in ſecunda Ciceronis Philippica Licinium Lenticulam M. Antonii colluſorem lege, quæ eſt de Alea, condemnatum fuiſſe legimus: quem idcircò hominem omnium nequisſimum Cicero appellat, quod non dubitaret vel in foro alea ludere. Horatius quoq; vetitã fuiſſe legibus aleam indicat eo verſu:

——— *Seu malis vetita legibus alea.*

Cùm igitur apud eos, homines, qui à vera ſapientia & probata religione procul aberant, tanta eſſet aleatorum ignominia: quid apud Chriſtianos fieri par eſt, qui in veritatis luce verſantur? Sed quid hæc

Feſti locus. *Catulli.* *Ariſtotelis.* *2. A legibus contra aleatores.* *Tullii.* *Horatii.* *Exaggeratio per collationem à maiori.*

hæc ego commemoro? Nonné ipsa nobis ratio manus injicere quodammodo videtur & jubere, ut diligentissimè perpendamus quantum flagitii sit ex alea lucrum sperare, quod in cæteris etiam rebus omninò magnifacere debeamus? Nihil est enim tam sublimis & excelsi animi, quàm divitias contemnere; & cogitare, nos ad multò majora quædam atque excellentiora, quàm ad istas terrenæ fecis quisquilias natos esse. Vilescit profectò animus, & hominis præstantia deprimitur; qui ad hoc solum procreatus est, ut cœlum suspiciat & assiduè contempletur; quemadmodum affirmare solebat Anaxagoras; cùm relicta cœlestium atq; divinarum rerum cogitatione, sese ad ista infima, caduca & fragilia fortunæ membra demittit, & nulla re, nisi pecuniarum multitudine, recreatur. Itaq; quò magis divitiis & avaritiæ studuerit; tantò vilior atq; dimissior efficitur. Quæ cùm ita se habeant, cogitate, quæso, Viri Mediol. quantoperè condemnendi sint & improbandi levissimi isti homines, qui lucrandi gratiâ ludum aleæ sequuntur. Qui tantum abest, ut animum suum erigant, & se majores divitiis præstent: ut etiam ita se demittant, ut turpissima quæq; pecuniæ causâ & facere, & pati paratissimi esse videantur. Quid enim, dicam, quo studiô, qua curâ, qua solicitudine ludant? ut nec cibi, nec somni recordentur? ut totas sæpissimè noctes vigilent? ut lucem tenebris, & tenebras luce copulent: & tandem ab alea fessi, non satiati recedant? Quòd si quis eos fortassè cogeret honesta alicujus rei gratiâ paulò diutiùs aut vigilare, aut à cibis abstinere: deûm atq; hominũ fidẽ implorarẽt & se nullo modo ferre posse clamarẽt. Tanta est eorũ perversitas atq; malitia. Ludẽdi verò gratiâ facilè omnia patiũtur: nihil

Præteritio.

Regressus ad primum argumentum.

Extenuatio.

Conclusio prioris argumenti.

Transitio ad alterum ab incommodo.

Exaggeratio à contrario.

nihil est quod eos ab Alea remorari possit: non fames, non sitis, non frigus, non calor, non deniq; somnus omnium sensuum quies placidissima. Ludo soli student: dormientes de ludo somniant, vigilantes in ore frequentissimè ludum habent. Undiq; socios magna cum diligentia conquirunt, quibus cum ludant: nec unquam æquè sibi placere videntur, atq; cùm talos, tesseras, lusorias chartas, & cætera ludendi instrumenta pertractant? cùm interim neq; publicas, neq; privatas res curent: tempusq;, quod omnium rerum pretiosissimum est, ut Theophrastus est auctor, in otio nefario consumant. Jacent neglectæ res domesticæ: nulla familiæ cura: nihil eos movent conjuges, nihil liberi, patriæ caritas. Hæc & reliqua hujusmodi lucra sunt, quæ solent ex Alea provenire. Ut interim eos prætermittam, quibus malè res in ludendo succedit: qui cùm aleæ furore incaluerint, uno jactu patrimonium omne profundere non dubitabunt. Neq; enim, (ut ait Satyricus Poëta.)

Animus in aleâ, ut illi in patinis.

Πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνος: Præteritio cum recensione alterius incommodi.

> — — *loculis comitantibus itur*
> *Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca.*

Et quamvis maximè contraria fortuna esse videatur: non ea tamen de causa perterrentur; sed inconsulta quadam spe recuperandi, quæ jam profuderunt; quanto rem adversiùs evenire viderint; tantò magis inflammantur: donec, ut ait ille,

Aleatorum spes & animus.

> *Nec quicquam fundo suspiret nummus in imo.*

Tùm verò, tanquam ore fulmineo spumantes apri, nulli neq; Deorum neq; hominum parcunt: impias atq; horrendas blasphemias evomunt: totam domum ac familiam magno tumultu complent: nullis affabiles, nullis amici: plerunque etiam ad manus veniunt, & unà cum pecuniis vitam quoq; mise-

Eventus sinister in alea quid damni.

miserabiliter amittunt: ut verissimè dixerit Horatius:

Ludus enim genuit trepidum certamen & iram;
Ira truces inimicitias, & funebre bellum.

Quæ profectò intelligitis, Viri Mediol. quàm ab omni humanitate sint aliena. Sed quoniam illud etiam nonnihil ad rem pertinere videtur, intelligere quibus principiis, aut quo auctore profecta fuerit Alea: si diligenter attenderitis, paucis verbis explicabo. Philostratus in Heroicis à Palamede Nauplii filio censet in bello Trojano repertam fuisse aleam, qua milites in otio delectarentur, cùm longâ obsidione Trojam premerent. Herodotus historiarum pater, ut eum Tullius appellare solet, Lydos populos aleam, & omnia ferè ludendi instrumenta, præterquam talos, invenisse primos tradit. Sed quanquam à gravissimis auctoribus notatam fuisse Lydorum impuritatem, vitæq; turpitudinem non ignorem, ut, qui nihil aliud, quàm intemperantiæ atq; libidini studerent, tàm perniciosæ rei facilè auctores credi possint: tamen major est apud me Platonis auctoritas, qui Socratem in Phædro loquentem facit; & ait, circa Naucratem Ægypti nobilem urbem fuisse dæmonem quēdam, cui dicata sit avis, quam Ibin vocant; Dæmoni autem ipsi nomen Theuth; primùm Mathematicas disciplinas invenisse, talorumq; atq; alearum ludum: deinde profectum ad Ægyptiorum regem, qui Thamus vocabatur, atq; illi suas artes demonstrâsse, dixisseq;, illas distribui deinceps cæteris Ægyptiis oportere. Quis igitur non intelligit hanc pessimi dæmonis fuisse fallaciam, quæ miseros mortales lucri atq; voluptatis illecebris irretitos teneret. Nam quod etiam numeros & Geometriam

Digressio ad inventorem aleæ.

1. Palamedes alea repertor.

2. Genius Theut.

An à dæmone aliquid boni?

Objectio.

Solutio.

triam, & Astrologiam Theuth invenisse dicitur, quæ honestæ atq; utiles artes esse videntur, id ea de causa factum esse putandum est, ut honestatis atq; utilitatis specie faciliùs homines deciperet. Solet enim astutissimus ac fallacissimus dæmon, quod perniciosum ac mortiferum est, ea calliditate occultare ut honestum ac rectum esse videatur. Planum igitur & perspicuum est, aleæ ludum perniciosissimi dæmonis inventum esse, quo tot hominũ millia implicantur, quo pleriq; ita afficiuntur, ut nihil aliud omninò curent, & se ludendo felices ac beatos existiment. At objiciet fortassè aliquis: Quid? annon aliquando multum in alea lucrari contigit? Fateor equidem. Verùm id primùm in dubio est. Nullo enim modo fieri potest, ut aleæ ludus omnibus æquè feliciter eveniat: deinde lucrum illud quale æstimari debet, quod ex tàm infami arte, & tâm turpi flagitio nascitur? Nisi fortè quis existimet, lenoniam artem, ac meretriciam esse laudabilem: propterea quòd interdum accidat, ut ingentem pecuniarum numerum inhonestissimo corporis abusu meretrices acquirant: ut de Rhodope Æsopi fabulatoris conserva legimus, quæ magnificam in Ægypto Pyramidem ex congestis meretricio quæstu pecuniis construxisse dicitur. Sed nemo sanæ mentis, quod ab omni justitia sit alienissimũ, id honestum esse aut laudabile judicabat. Itaq; cùm liquidò constet, minimè justam esse aleam, imò sanctissimis legibus improbatam: qui per eam lucrari studuerit, is profectò turpitudinis infamiam subterfugere nullo modo poterit: cùm præsertim ex Theologorum omnium sententia, quæ per aleam quis acquisiverit, ea nequaquam justè possit in usum suum retinere; sed aut priori domino, si commodè fieri

Sophistica. *Dæmon est versipellis.* *Instantia ob commodum.* *Concessio cum solutione.* *Illustratio à simili; sed insigni, imò infami.* *Ratio.* *Conclusio.*

fieri potest, aut mendicis largiri oporteat. Quid igitur stultius, quàm animum ad Aleam applicare? in qua vel tibi summâ cum indignatione, summâ cum ignominiâ sunt amittendæ pecuniæ; vel, si quid lucratus fueris, id omninò tibi reddendũ est, si modò justè religioseq; vivere volueris. Sed per deũm hominumque fidem, quæ nostra est ista tam effrenata cupiditas? quid petimus? quid optamus? Nunquamne prudentum hominum cogitationem ad punctũ temporis suscipiemus? Quid ex istis pecuniis, quibus tantoperè inhiamus, nobiscum morientes auferre poterimus? O mentem Cimmeriis tenebris obscuriorem! Nefas est plurimam in congerendis pecuniis operam insumere, quamvis honestis artibus eas acquiramus: & tàm multi reperiuntur, qui nullam scelerum speciem lucrandi gratiâ refugiãt! qui pecuniarum siti flagitiosam aleam persequãtur! in qua tot deceptiones, fraudes, doli suboriuntur! Hoc enim ludentium proprium est, ut quacunq; ratione fieri potest, socios fraudent ac decipiant: quod quidem nihil à furto atq; latrocinio differre, quis est, qui non intelligat? Quicquid enim alienũ, injustè, sive clandestinâ malitiâ, sive apertâ vi rapimus, atq; retinemus, id sine dubitatione furti atq; latrocinii appellatione comprehenditur. Quare videte, Viri Mediol. an dubitandũ vobis sit, quin sint gravissimè damnandi, demẽtiæq; notandi nomine, qui lucri causâ tàm perniciosum vitæ genus eligendum sibi esse statuunt, ut totos dies in Alea consumant: quæ nomen religionem & fidem violat, caritatem tollit, inimicitias & odia concitat, & amentes & blasphemos reddit homines; fraudulentos & rapaces efficit, rerum suarum neglectores, alienarum appetentissimos; quæ virtutum

Ratiocinatio per dilemma.

Exclamatio.

Probatio à frustraneo eventu.

Subdolè ludere quid?

Conclusio.

Cum repetitione rationum præcipuarum.

omnium oblivionem & scelerum memoriam atq; cupiditatem inducit; quæ divinum atq; humanum jus omne pervertit; quæ deniq; si sors adversa fuerit, patrimonio spoliat, si prospera, gravissimo crimine conscientiam inficit, nisi per eam quæsita restituas. Age verò, quæ voluptas in Alea esse potest? Hoc enim alterum eorum fuit, propter quæ aleam experti solere diximus. Quæ (inquam) voluptas in ea re potest esse, quæ tot malorum causa est? Tunc igitur, ut aliquantulum voluptatis acquiras, nihil Deum immortalem, nihil homines, nihil leges, nihil jura vereberis? Te tàm ingenti, tàm tetro vitio voluptatis gratiâ trades? Quid si nulla est in alea voluptas? quod si mœror potius ac tristitia? tàmne obstinatè tamen operam dabis, ut in aleæ vitio consenescas? Væ vobis, ait Christus, qui ridetis, quoniam flebitis. Vix nobis in rebus honestis multum licet gaudere, ne fortassis in superbiam atq; arrogantiam incidamus: & tu in alea, hoc est in vitiorum omnium sentina quadam & scelerum lerna lætaberis? An tibi perjuria, maledicta, blasphemiæ, tumultus, inimicitiæ, vulnera, cædes, quæ ab alea frequentissimè proveniunt, voluptatis loco ponenda esse videbuntur? Vidi ego nonnunquam, qui multo essent amicissimi, primò voluptatis gratiâ cœpisse inter se ludere; deinde paulatim incalescente vincendi cupiditate, non prius â ludo destitisse, quàm ad manus venientes mutuis vulneribus conciderint. Hi sunt Aleæ fructus, hæ voluptates; quas insani homines tam studiosè, tam cupidè, tam impotenter appetunt. Hæc aleam jucunditas, hæc voluptas, hæc delectatio consequi solet: firmissimarum societatum disjunctiones, amicitiarum sanctissimarum violationes, rixæ, odia, diffidia, furores,

Transitio ad argumentũ a jucundo.

Contrarium.

Declaratio per experientiam.

Repetitio damnorum ex alea.

res,

res, multaq; hujusmodi cætera: quæ si cui voluptates esse videntur, eum ego non tantùm communi sensu carere; sed omnino dementem ac furiosum esse judico. Quem verò ista non commovent nec ab aleæ vitio retrahunt, debemus eum non jam hominem; sed immanem potiùs belluam existimare: qui nihil inposterum prospiciens, ad id tantùm quod adest, quodq; præsens est, toto impetu rapiatur & brevissimæ ac falsæ voluptatis gratiâ res maximè laudabiles & honestissimas derelinquat. At fortasse quispiam hominum gravissimorum exemplo, qui sæpenumero lusisse reperiuntur, animi sui vitium excusare conabitur: ut te Portio Catone, & Octaviano Augusto scriptum legimus: qui animi relaxandi gratiâ post gravissimas occupationes taxillorũ ludo sese oblectare soliti traduntur: Quod etiam de Archyta Tarentino memoriæ proditum est, quem cum pueris suis ac servis ludos agitare consuevisse permulti scripserunt. Quin etiam Heraclitus Ephesius, vir alioqui tristissimus, optimè astragalis lusisse perhibetur. Quintus Scævola, vir gravissimus ac sapientissimus, & propter egregiam Juris civilis prudentiam celeberrimus, remissio à negociis animo, corporis exercendi, & se recreandi gratiâ studiosissimè pila ludere solitus est. Multósq; præterea clarissimos & amplissimos homines accepimus, cùm à gravioribus negotiis respiráſsent aliquo lusu fatigatum animum relaxare solitos. Sed hæc ludorum genera, quæ colligendi animi, vel exercendi corporis causâ parantur, neque nos omninò rejicimus. Sumus enim homines, & præclarè intelligimus, nullam esse tantam animi vim, quæ perferre continuum laborem possit. Illos verò penitùs ludos testamur, quibus expositis pe-

Objectio ab exemplo aliorum.

Correctio cum responsione.

Per distinctionem.

cuniis pleriq; solent avidissimè ludere: propterea, quòd omnes sanctissimæ religioni nostræ sunt inimicissimi. Quæ quidem pessima ludendi consuetudo, tanquam perniciosa quædam contagio, sicut initiò diximus, domos præcipuè nobilium & potentissimorum hominum arripuit; ut non jam vernæ solum ac famuli; sed ipsi patres familiarum, quod maximè ignominiosum est, totos plerunque dies & bonam noctium partem in ludendo conterant. Hinc filii, qui maximè dociles ad vitia solent esse parentum imitatores, prius ludere sciunt, quàm expeditè loqui: & cum nutricis lacte paterna vitia statim imbibunt. Nam verè Satyricus Poëta dixit:

A bove majore ducit arare minor.

Si damnosa senem juvat alea, ludit & hæres
Bullatus, parvoq; eadem movet arma fritillo.

Ita enim est hominum ingenium, ut

Velocius & citius nos,

quod ait idem Poëta,

Corrumpant vitiorum exempla domestica, magnis
Cùm subeant animos auctoribus.

Res mali exempli.

Quid, quòd à parentibus filii non solùm non reprehenduntur; verùm etiam, quod summoperè deplorandum est, ab eisdem ultrò ad ludum invitantur?

Quo semel est imbuta, &c.

Itaq; pravam istam consuetudinem in naturam ita sibi convertunt; ut quamvis postea capiant, aleam tamen relinquere non possint. Et quisquam mirabitur tâm paucos esse adolescentes, qui rebus honestis & ingenuis artibus animum applicent; cùm à teneris annis indulgentia parentum effœminati, ludisq; cujusq; generis dediti, nullam aliam credant esse majorem voluptatem, nullam vitam beatiorem, quàm continenter in alea versari!

Disciplinæ vitium & labes unde?

Quid unquam egregium atq; excelsum ab eo juvene sperare poterimus, cujus animum jam hoc infecerit insa-

Studiosus non debet esse aleator.

insatiabile ludendi desiderium? Jam per diversoria, per lustra, per ganeas cum perditissimis hominibus cupit evolare; jam paternas facultates dissipare: jam cum vilissimis scortis & lenonibus impurissimis vitam ducere; jam quotidiè vota facit, ut tandem nimiùm vivax pater efferatur, ut scilicet impuniùs ei liceat alea quicquid habet facultatum effundere. Hinc ad furta, ad latrocinia, ad infandas cædes consumto patrimonio convertuntur; nullum eos dedecus, nulla pœna refrenare potest: nullum est scelus tàm audax, nullum tàm atrox facinus, ad quod post aleam impelli non facilimè possint. Quæ licet apertissima sint: tamen tanta est hominum improborum insolentia, ut quàm paucissimis persuaderi posse videantur. Quod tamen mirari desino, cum ad eos respicio, quibus regionis & honestatis cura demandata est, qui populum ignarum & imperitam multitudinem divinis legibus atq; institutis erudiendi curam susceperunt. Hi enim majorem partem non solùm alios non reprehendunt: verùm etiam, quod indignissimum est, ipsi totos plerunq; dies & noctes in ludēdo sunt occupati. Sed de hac civitate nostra nihil dubito, quin brevi tempore mores sit in melius cōmutatura; cū tàm religiosum & Christianum Principē habeamus, & tàm prudentissimum Senatum, qui vitia severissimè vindicet, & virtutes amplissimè remuneretur. Neq; enim cuiquā dubiū esse potest, quin ut cætera omnia, quæ nuper instituta sunt, ita etiam hoc sapientissimè decretum sit: Ne ludendo pecunias exponere cuiquam liceat: cùm omnem aleam honestati maximè contrariam esse, liquidissimè constet. Hæc enim, ut docuimus, efficit, ut pleriq; mortales divinum cultum deserant, humanam socie-

Ratio ob incommoda.

Querela de hujus seculi perversitate.

Correctio.

Applicatio ad præsentē Reipublicæ statum.

Ratio ex officio Magistratus provìdi & quidē ob detrimenta.

tatem violent, oblivione justitiæ capiantur: hæc leges, judicia, fidem, amicitiam, probitatem evertit; hæc dedecus & ignominiam affert maximam: hæc privatas domos exhaurit, patrimonia dilapidat; homines falsos fieri cogit: hæc ad omne flagitium, ad omnem turpitudinem impellit: hæc deniq; hominem dementem, perfidum, furiosum reddit; ut, non aliter atque immanissima bellua, nullos neq; Deos neq; homines vereatur. Quamobrem vos, Viri Mediol. per eam, quam colitis, religionem, per Christianam fidem, per salutem vestram atq; omnium civium, per totius Reip. nostræ tranquillitatem oro atq; obtestor, ut Aleatorum petulantiæ vestram opponatis auctoritatem: & mihi credatis; id quod ipsi videtis, istam aleæ libidinem omni religioni atq; justitiæ maximè repugnare. Facite igitur ut domus vestræ nulli omnino pateant aleatori: liberos vestros procul à tam pestifero morbo relegate: neq; fidem eis ullam præstandam esse censeatis, quos aleæ deditos esse noveritis. Hos non aliter vobis cavendos esse censeo, quàm qui patriæ, parentibus, aris atq; focis bellum inferunt: atq; eò magis, quò se occultiùs amicitiæ nomine vobis insinuant. Nam malos atq; sceleftos homines, qui se palàm hostes profitentur, facilè cavendo vitare possumus: hoc verò aleatorum occultum & intestinum malum frequenter opprimit, antequam perspici atq; explorari potuerit: hominemq; penè ad insaniam pertrahit, priusquam se ab illo captum esse provideat. Itaq; ne quæso, tàm horrenda, tàm execranda flagitia, quæ jam ab alea nasci demonstravimus, in hac vestra religiosa civitate committi patiamini. Cohibete tandem istorum furentium hominum impetus, nefariosq; conatus, qui sese in fami-

Conclusio cum petitione.

Exaggeratio.

Exaggeratio alia per

familiaritatem veſtram omni ſtudio conantur inſinuare, ut vos aut liberos veſtros ad aleā alliciant. Expellite, profligate, exterminate de civitate veſtra tantam ignominiam. Ne ſinite per Deum immortalem tantam labem & infamiam in veſtro nomine inveterare. Commune eſt hoc malum, communis metus, commune periculum: ſerpit iſta contagio, & quotidiè magis invaleſcit, niſi quamprimum medicæ manus adhibeantur. O ſcelerum omnium indagatrix alea! quò miſeros mortales ſui penitùs oblitos, conſiliorum inopes, cœcos, amantes, aſſiduè ruptas? in quæ probra ſemel à te captos præcipitas? Nullum eſt vitium, mihi credite, Viri Mediol. quod ad ſe magis animos attrahat atq; alliciat: nullum, quod hominem perditiorem efficiat; nullum, quod magis fortunas, famam, honeſtatem profundat, & omninò diſſipet. Quæ cùm ita ſint, omnem penitùs aleam, perinde ac peſtilentiam quandam atrociſſimam navibus & quadrigis, ut dici ſolet, & remis ac velis non ſolum ipſi effugere debemus; verùm etiam inſectari, & ab aliis, quantum per nos fieri poteſt, avertere ac propulſare: ſapientiſſimoq; & mitiſſimo Principi noſtro Alphonſo Avalo, & integerrimo Senatui, atq; in primis ornatiſſimo Senatus Præſidi Philippo Sacco maximas & agere & habere gratias, atq; eorum fideliſſimis & amantiſſimis conſiliis, juſtiſſimisq; decretis obtemperare: quippe qui nos cives ſuos, ut optimi patres manſuetiſſimè corrigunt, & ut bene beateq; vivendi viam ingrediamur, omni cura atque diligentia provident. Hæc ego, viri Mediol. cum honeſtatis & religionis amore commotus atque inflammatus, quàm ab iſtis amentiſſimis Aleatoribus proſterni atque peſſundari videbam, breviter ſimpliciterq;

admonitione; imò comminationem.

Ratio.

Proſyllogismi ab incōmodis.

Concluſio generalis.

Apoſtrophe ad principem.

Inſinuatio & excuſatio oratoris

pro consuetudine meâ dicere coactus sum; tùm ut prudentissimi ordinis Senatorii, & sapientissimi Principis decreta, quæ jam partim introducta sunt, partim brevi tempore diligentissimè confecta promulgabuntur; à vobis libentissimis animis accipienda & accuratissimè servanda esse censeatis. Quā quidem orationem meam confido vobis probatam esse omnibus, & in meliorem partem acceptam. Vos pro vestra fide, religione, sapientia providete, ne quid ob sanctissimarum legum & decretorum violationem detrimenti patiamini. Quantò enim clementiorem obedientes & subditi SenatumPrincipemq; nostrum experiuntur: tantò severiorem & infestiorem pertinaces & superbi sentient.

Imploratio repetita.

ADVERSUS EOS, QUI ORNANDÆ ORATIONIS STUDIUM, ET DICENDI ELEGANTIAM VITUPERANT.

ORATIO XII.

Est in statu juridiciali. Quia monstrat eos non rectè facere, qui Rhetoricæ studium, ut inutile, aut superfluum vel fucatum carpunt ac damnant. Committitur enim ab his Elenchus ab eo, quod per accidens inest, aut accedit alicui, ad id, quod per se. Non enim hæc lenocinia Rhetoricæ sunt; sed hominum malè feriatorum & abutentium Rhetorices studio, cujusmodi sunt sophistæ.

Sun

SUnt quidam homines, ornatissimi Auditores, tàm agrestibus & impolitis auribus, ut omnem orationis ornatum, & sermonis elegantiam, tanquam rem inanem & supervacaneam, omninò negligendam esse existiment: eumque satis esse disertum ac eloquentem affirment, qui sensu mentis apertè quoquo modo atq; intelligenter explicare dicendo valeat: ea verò, quæ orationis ornamenta nominantur, nihil aliud esse dicant, quàm quasi calamistros quosdam, & fucati medicamenta candoris ac ruboris, quæ omnem orationis vim & gravitatem, & constantiam infringant, & prorsùs effœminent: multaq; alia in hanc sententiam fallaciter & captiosè disputent: & totum hoc nostrum, cui jampridem dediti sumus, exornandæ orationis studium, quantum per eos fieri potest, & deprimant, & inutile ac vanum esse ostendant. Itaq; statui hodierno die coram vobis omnis elegantiæ candidatis & cultoribus, quoad facultas mea tulerit, istorum hominum fallam & absurdam opinionem verissimis & firmissimis rationibus, exemplis, argumentisque refutare. Ne fortassè, qui juniores adhuc, & rerum humanarum imperitiores sunt, eorum auctoritate verbisq; persuasi, rem omnium præclarissimam & honestissimam derelinquant. Vos, quæso nostram hanc disputationem contra barbaros homines rudis & incompti sermonis amatores, & omnis politioris disciplinæ atq; humanitatis expertes, patientissimis & æquissimis auribus attendite. Ac mihi quidem illud in primis maximâ dignum esse reprehensione videtur, quod isti, qui de orationis ornatu sententiam suam tàm gravi supercilio proferunt, vel tam imperiti sunt, ut quod inter

Exordium à præpostera aliorum opinione.

Quid intersit inter fucatam & veram eloquentiam.

Præparatio ad statum causæ.

Attentio.

Propositio.

Ab adversa & iniqua antagonistarum mente.

virtutes orationis & vitia discrimen, non satis intelligant: vel si fortasis intelligunt, iniquo atq; invido animo, quod ipsi aut propter insolentiam neglexerunt, aut propter inertiam assequi minimè potuerunt, ab eo cæterorum etiam hominum industriam retrahant.

Id fit per accidens, non per se.

Cùm enim orationis ornamenta calamistros & fucum appellent, nonne perspicuum est, eos nimis imperitè flagitioseq; rem pulcherrimam turpissimo nomine dedecorare?

Illustratio a simili.

Quis non intelligit, in mulieribus, unde hæc nomina transtulerunt, alium esse laudabilem, honestum, decorumq; ornatum; alium calamistratum & fucatum? An forte vobis aut pudica matrona, aut casta virgo, quæ præstanti sit corpore, & liberali atq; honesta facie, cum pretiosis vestibus, auro, argento, gemmis, unionibus, armillis, annulis, cæterisq; hujusmodi ornamentis excolitur, calamistrata & fucata esse videbitur?

Solutio objectionis per distinctionem, cum erroris rejectione.

Nihilné ergo inter meretriciam lasciviam, & matronalem cultum virginalemq; ornatum interest? nihil inter calamistros & baccata monilia? nihil inter fucata medicamenta, & exornatam venustatem? O stultitiam hominum atq; insipientiam, qui tantarum rerum differētiam repugnantiamq; non videant!

A simili alio.

Jam credo isti, qua temeritate atq; importunitate sunt, si quem paulò comptiorem esse virum conspexerint, eum penitùs effœminatum esse clamitabunt; si liberaliorem, prodigum appellabunt; si fortiorem, dicent esse temerarium.

Correctio.

Sed nequaquam animum inducere possum, ut existimem istos esse tam insipientes & rerum ignaros, ut non intelligant, aliam esse comptā & ornatam orationem; aliam esse lascivientem, affectatam, & quodammodo pictam. Verùm quia summâ jampridem ipsi barbariâ sunt infecti; quod

spino-

ſpinoſum, exile, jejunum, languidum, enervatum, incultum dicendi genus ſemper ſecuti ſunt; & pe- cudum ſuiſliq; generis more glandes multo magis, quam fruges adamárunt; neque poſthac ullo modo ſperans ex illo barbarico cœno ſe linguam ſuam unquam educere poſſe: nobis ideo vobisq;, ornatiſſimi Juvenes, hanc elegantiæ laudem & ſtyli dignitatem, & expolitæ orationis gloriam invident, ſecumq; ad eadem luti volutabra; deformemq; ſermonis habitum, atq; impuritatem loquendi deducere contendunt. At, ſi Diis placet, iidem iſti ſordi, di, rudes & inculti homines, ſe Mercurium non in lingua, ſed in pectore habere gloriantur! Qua in re duplici nomine ſunt odioſi: vel quod intolerabili arrogantia ſe ſolos eſſe ſapientes atq; intelligentes opinantur; nos autem, qui dicendi venuſtatem ac leporem ſequimur, tanquam inanium tantum verborum ſectatores irrident: vel quod eloquentiæ deum atq; parentem Mercurium ſibi ſimilem; hoc eſt, infantiſſimum eſſe mentiuntur. Quis enim eſt, qui neſciat, apud Græcos tritum eſſe vulgi ſermone proverbium, quoties rem inauditam & penitus incredibilem ſignificare volunt, ut Mercurium infantem eſſe dicant? Prodeat, quæſo, Mercurius iſte veſter è ſordido pectore, exeat ex ore lutulento, deformato habitu, verborum illuvie ſqualidus & prorſus informis. Quis eum ut eloquentiæ patrem agnoſcet? cui gratus erit? quis eſſe Mercurium exiſtimabit? à quo non ſtatim contemnetur? quis non eum irridebit tanquam aliquem hiſtrionem, & fictum ex Plauti ſcena cum ſervili ſchemate Mercurium? Ita iſta vera ſervilis ſapientia barbariæ ſordibus infuſcata locum apud ingenuos ac liberales animos, & apud teretes elegantium homi-

Quid diſcriminis inter veram & fucatam eloquentiam.

Contrariè ratio, ubi vera ſapientia, an in verbis, an mente?

Refutatio.

Fictio à Mercurii perſona.

Adumbratio per interrogationem.

Sapientiæ fucatæ deſcriptio.

Contrarium. num aures, ubi consistat, nullam habere potest. At contrà si quis non in pectore suo tantùm, ut vos insulsè falsoq; jactatis, sed etiam in ore Mercurium habeat, ut ea, quæ rectè ac sapienter intelligit, aptè, distinctè ac ornatè proferat; quid hominum aut auribus aut mentibus jucundius accidere poterit? Quis cantus ornata oratione dulcior? Quod carmen artificiosâ verborum conclusione aptius? Quid admirabilius, quàm res splendore illustrata verborum? Sed nimirum, illud verissimum est, quod Heraclitus ajebat; Asinum stramenta malle, quàm aurum. Stolidis enim ac barbaris hominibus magis ea placent, quæ rudia sunt, & scabra, & impolita, quàm quæ emendata, & exculta & planè perfecta sunt. Non capiunt crassæ & obtusæ aures compositam & modulatam orationem. Midas Phrygiorum rex, ut ad fabulas veniamus, insulsum atq; ineptum Marsiæ tibicinis strepitum suavissimis Apollinis carminibus prætulit, unde meritissimò iratus Apollo traditur asininas illi aures affinxisse: quales jam inde ab ineunte ætate nostros adversarios semper habuisse crediderim. Quid enim causæ dicemus esse, cur isti liberalem atq; ingenuam eruditionem, & differendi elegantiam tantoperè damnent, ut neq; ipsi ornatè dicere aut scribere studeant, neq; aliorum elaboratam expolitamq; orationem admirentur: nisi quia depravatos animi sensus habent: ut illis, non aliter atq; scarabeis, continenter in oleto viventibus, alabastrus unguenti plena puteat? Vetus est proverbium. Nihil graculo cum fidibus: quoniam longè magis odioso garritu cum sui generis avibus, quàm harmonia musica graculus delectatur. Huc etiam illud pertinet? Nihil cum amaracino sui. Quamvis enim, quod ex amara-

Oratio à ratione recta profecta optima.

Probatio per exemplum.

Unde odium eloquentiæ.

Adagium.

amaraco fit, oleum laudatisſimum & odoratisſimū ſit: ſuillo tamen generi venerum eſt; cui videtur id demum olere ſuavisſimè, quod cœnum gravisſimè redoleat. At iſti quo vitium ſuum aliqua ratione celare valeant, ideò ſe dicendi venuſtatem & orationis ornamenta, refugere clamant, quod ea ſit quaſi quædam voluptatis illecebra, lenociniumque, quo populariumanimi capiantur: & errore decepti, ut hamo piſces, ita blandâ oratione ſuaviq; ſermone in falſum ſæpenumero perſuaſionem inducantur. Quaſi verò ſtolidi atq; inſipientes homines excultæ orationis dulcedine atq; jucunditate, non fraudibus & dolis improborum capiantur. Non habet hoc in ſe vitium copia dicendi, & ſuavitas orationis, ut quemquam decipiat, aut in errorem inducat: præſertim ſi recta intelligentia, & definita moderatione animi gubernetur. Non eſt hoc politæ orationis crimen; ſed eorum, qui cæteris etiam bonis plerunq; ad perniciem utuntur: ut alio in loco dicemus. Iſti verò qui jejunam & exilem, & incomptam orationem magis, quàm uberem & exaggeratam, & venuſtam diligunt: perinde faciunt, ac ſi ruſticanam vitam potiùs, quàm civilem, ſorditatam veſtem, quàm elegantem; illuviem corporis, quàm mundiciam; res denique potiùs odioſas ac moleſtas, quàm gratas & jucundas amplectantur. Sed auctoritatibus etiam cauſam iſtam ſuam tàm ridiculam & abſurdam confirmare conantur. Ajunt enim gravisſimos homines Theologos, Philoſophos, & Juriſconſultos nihil de exornanda oratione penitùs cogitare: verùm potiùs hujus noſtræ concinnitatis & elegantiæ eſſe contemptores. Qua in re primum eos aper-

Ratio à ſimili.

Objectio ſeu prætextus adverſariorum.

Solutio per inſtantiam.

Argumenti à nō cauſa, ut cauſa.

Refutatio alia à ſimili per antitheſin.

2. Argumentum ab Auctoritate.

1. JCtorum.

apertè mentiri dicimus. Quamvis enim recentiores Jurisconsulti, ut Azones, Bartoli, Baldi sint incompti ac planè barbari; quòd eo tempore vixerint, quo bonarum artium studia minimè vigebant: tamen antiquis illis Jurisconsultis, quorum adhuc leges & responsa in Pandectis leguntur, nihil politius aut limatius inveniri potest; ut satis appareat, eos non minùs eloquentiæ, quàm Juris civilis fuisse studiosos. Quid de Philosophis dicam? An fortassè quia Averroës & Albertus barbari sunt, ideò Plato etiam, & Aristoteles & Theophrastus in eodem numero censendi sunt? Jam Theologi veteres non rusticè locuti sunt; sed quantum eorum facultas tulit, ornamenta dicendi scriptis suis adhibuerunt. Quis enim Basilio sublimior? Chrysostomo dulcior? Hieronymo vehementior? Deinde illud oppono: quamvis aliqui Philosophi Theologiq; nostra hæc dicendi ornamenta non sequantur: non ideò tamen esse à nobis, qui mansuetiores atq; elegantiores Musas colimus, relinquenda. Quæ enim invidia est, si hac in re nos neq; Philosophi, neq; Theologi esse volumus? Eadem ratione licet etiam plerasq; res alias eximias & præstantes contemnere, quoniam eas Philosophi Theologiq; vilipendunt. Projiciamus opes, aurum, gemmas, preciosas vestes, mundiorem omnem suppellectilem: quoniam sine his rebus plerique Philosophi vitam agunt. Negligamus rem familiarem, deseramus artes ingenuas, in solitudine vivamus, nudis pedibus ambulemus, bardocucullos induamus: quoniam hæc nonnulli Theologi faciunt. Quòd si hæc in communi vita degenda ridicula sunt & insulsa; cur potiùs in contemnenda sermonis elegantia, quam in cæteris rebus, & actionibus à civili vita

2. Philosophorum.

3. Theologorum.

Objectio alia.

Solutio. Ratio à simili.

Copia errantium non parit errori patrocinium.

Conclusio & rejectio istius argumenti ob absurditatem.

vita

vita remotis, Philosophos ac Theologos imitari debemus? Quis non intelligit, rationem hanc istorum esse absurdissimam, nullumq; pondus aut momentum habere? Non enim illud à nobis quærendum est, an aliqui in ea sint hæresi, quæ nullum sequitur florem orationis: cùm plurimi sint, qui res omnes egregias ac præstabiles ob animi demissionem quandam refugiant, & magnoperè contemnant: sed utrum utilis sit, an perniciosa, honesta an turpis; jucunda an odiosa hæc exornandæ orationis disciplina? de qua certè, nisi planè agrestes atq; inhumani sumus, dubitare nullo modo possumus. Ac jucundam quidem & suavem esse negare non audēt; quoniam hoc esset planè sensui repugnare: sed esse utilem & honestam: id verò pernegant: imò contrà perniciosam & fugiendam esse asserere non dubitant: Quoniam (inquiunt) multi juvenes in dicendo splendorem & elegantiam verborum consectantes, plerunq; rerum obliviscantur: & in expolienda oratione occupati, bonarum artium studia derelinquant: qua ratione fiat, ut qui hac dicendi varietate copiaq; delectantur, dum compositam orationem, & ornatam, & artificio quodam atq; expolitione distinctam efficere student, omnem majorem rerum scientiam & sapientiam negligant. Quæ cùm isti dicunt, studio ducti maledicendi, non satis advertere videntur, se non ipsam orationis venustatem atq; elegantiam improbare: sed eorum studium & inanem laborem, qui solam eam, relicta rerum scientia, consectantur. Nam certè nihil tàm furiosum est, ut etiam L. Crassus attestatur, quàm verborum vel optimorum atq; ornatissimorum sonitus inanis, nulla subjecta sententia nec scientia. Quod si quis rerum cognitioni quod optimo

Status principalis repetitio.

Eloquentiæ laus.

Adversariorum instantia.

1. Ab inutili.

Solutio hujus.

Oratio rationi & rerum veritati adjungenda.

optimo quisque ingenio facere debet; elegantiam hanc, & politam dicendi rationem adunjunxerit: quid in homine præstantius aut divinius inveniri poterit? Audebunt ne etiam infantissimi homines eum orationis ornatum vituperare, qui rebus jam cognitis & planè perceptis, summa quadã cum aurium atq; animi jucunditate adhibetur? Audebuntné veteres illos scriptores, tàm Græcos quàm Latinos, in quibus præter variam & multiplicem rerum scientiam, inest etiam summa quædam & incredibilis orationis elegantia, condemnare? Nimirum ego istam perfrictam frontem & os durum videre nimium velim, quo procaciter eos vituperant, qui nullâ penitùs eloquentiâ satis commendari posse videantur. Atqui ab istis ego hominibus libentissimè peterem, cur eos, qui ornatè dicunt, improbandos esse censeant: eos autem, qui cæteris in rebus ornatè aliquid efficiunt, magnopere laudent? Nam si omninò quæ accuratè studioseque poliuntur, eos offendunt: multò plura atq; majora in operibus ipsis ornamenta, quam in oratione reperientur. Deinde illud absurdum esse omnino videtur, si eos latet, nos ideò & Deos immortales ornatè colere, & pietatem adamare, & justitiam exercere, & cæteris virtutibus incumbere: non ut agrestiores & impolitiores habeamur: sed ut ornatiores, & humaniores existimemur. Quo enim cultu, quo studio, quâ curâ templa Deorum immortalium, aræ, foci, loca omnia sacra, vasis preciosis vestibus, instrumentis cujusque generis, auro, argento, ebore, gemmis, unionibus exornantur? Quid ædificia? quid ludi? quid magnifici apparatus, nonné quantò sunt ornatiores, tantò magis commendari solent? Quid omnis vitæ cultus

Refutatio 1. ab inconvenienti.

2. Ab exemplis veterum.

Exaggeratio.

Comprobatio illustrata simili.

1. Religiosi cultus.

2. Vrbium.

cum

eum elegantia & copia quantoperè delectat? Quid artes, scientiæ, virtutes, quibus ad humanitatem informari solemus, nonné ut maxima sunt animi ornamenta, sic etiam appellantur? Atqui nemo est, quin artifices omnes eò magis esse laudandos existimet, quo politiùs opera sua conficiunt. Quin ipsum totius mundi conditorem Deum vel hac una de causa mirandum in modum suspicimus, quòd universum cœli complexum tanto variarum rerum ornatu compleverit. Unde & consensu gentium, ut Plinius ait, quem Κόσμον Græci nomine ornamenti appellaverunt, eum etiam nos à perfecta absolutaq; elegantia Mundum nominavimus. Cur ergo, quod in aliis rebus & actionibus omnibus maxima dignum esse laude judicatur: id in oratione sola, quæ mentis interpres est, & hominis maximè propria, tanquam res improba vituperatur? Quòd si venustam & elaboratam orationem ideò damnandam esse statuunt, quòd ea quidam & privatim & publicè parum justè utantur, & fallaci blandaq; persuasione multos decipiant; cur non eadem ratione pulchritudinem, divitias, fortitudinem, & nonnulla alia bona vituperant: quandoquidem plurimi sæpè reperti sunt, qui per ea & sibi, & civibus suis plurima detrimenta importârunt? Sed minimè videtur æquum esse, neq; propter impudicos homines pulchritudinem, neq; propter insolentes ac protervos divitiis, neq; propter sicarios & percussores fortitudinem improbare; neq; omninò ad res ipsas, hominum peccata transferre; sed illi potiùs damnandi sunt, qui rebus per se bonis, addita animi perversitate malè utuntur; & quibus rebus facilè quamplurimis hominibus prodesse possent, eis ad civium suorum perni-

3. Artium excultarum.

4. Ipsius Dei Opt. Max. opificis exemplo.

Conclusio eloquentiam esse colendam.

Transitio ad solutionem instantia alius.

Abusus non tollit aut infamat rem.

Altera adversariorum classis.

perniciem abuti non dubitant. Sed ex istis adversariis nostris ornatæ locutionis vituperatoribus aliqui sunt paulò moderatiores, qui maledictis quidem abstinent, verùm similitudine quadam dicendi elegantiâ dignitatem elevare atque imminuere contendunt. Ajunt enim, in oratione leporem & elegantiam nihil aliud esse, quàm in arboribus flores & folia: quare qui elegantiori stylo dant operam, eos neglectis fructibus, tantùm flores & folia consectari dicunt; qui autem, posthabito dicendi lepore, rebus ipsis attendunt; eos ajunt solidos & maturos fructus decerpere. Qua quidem similitudine parùm cautos juvenes in fraudem inducunt, & efficiunt, ut ornandæ orationis studium deserant: cùm non intelligant, non tantùm unum esse; sed varia & multiplicia orationis expoliendæ genera. Sunt enim quædam in oratione ornamenta, tanquam flores ad venustatem accommodata quæ maximam tamen afferunt in dicendo voluptatem; & audientium animos atq; aures ita alliciunt, & ad sese trahunt, ut formosi atq; odorati flores oculos & nares afficere solent: quædam foliorum frondiumq; similia sunt; quæ non tantum arbores ornant; sed etiam fructuum sunt integumenta, ut eos à caloris & frigoris offensione tueantur: quædam sunt ut in corpore vestimenta, quibus res ante acutè inventæ, & prudenter dispositæ, eleganter ac politè vestiuntur atq; exornantur, ut auribus & animis majori cum dignitate suavitateq; percipiantur: sunt aliqua salis instar in tota oratione sparsa; quæ dictionem universam condiunt, & multò jucundiorem efficiunt, quæ alioquin esset fatua atq; insipida, quales spoliati sali pleriq; etiam preciosi cibi solent esse: quædam deniq; sunt quasi lumina, quibus

Q. eloquentia sit παρεργόντι. A simili.

Solutio per distinctionem.

Eloquentiæ vis & efficacia.

Distinctio ejusdem per similitudines.

quibus tota illustratur oratio atq; admirabilis efficitur. Sunt autem & verborum & sententiarum hæc, quæ dicimus, lumina: quibus tanquam stellis & insignibus in ornatu suavissimè distinguitur omnis oratio. Non ergò tantùm qui flores & folia sectantur; sed qui distinctè, qui explicatè, qui abundanter, qui illuminatè & rebus, & verbis dicunt, & in ipsa oratione quasi quendam numerum versumq; conficiunt; ii sunt, qui ornatè dicunt, qui clamores & admirationes efficiunt: ad quos audiendos concursus undiq; fieri consueverunt. Veniant igitur irrisores hujus suavis & illuminatæ orationis, tenebricosi homines, qui clarissimum lumen oderunt: & jam vel ipsi judicent, utrum se horum alicujus, vel Averrois, vel Alberti, vel Scoti sectatores, vel aliorum ejusdem generis scriptorum, qui jejunitatem in dicendo, qui spinas, qui sordes, qui barbariem, qui tenebras, qui infantiam sequuntur: an Platonis, Aristotelis, Demosthenis, Ciceronis, & aliorum ornatissimorum auctorum, quorum omnes copiam, suavitatem, puritatem, elegantiam, lumina, varietatem admirantur ac suspiciunt, similes esse malint. Ac mihi quidem isti, qui ornatam orationem improbant, tantùm aberrare videntur, ut non advertant, se rem eam damnare, quæ bonorum omnium, quæ à natura homini data sint, aut certè quàm plurimorum causa fuit. Nam cæteris in rebus homines nihil ferè à bestiis differunt: verùm & velocitate & robore, cæterisq; corporis commoditatibus longè humiliores, & infirmiores sunt: una fuit oratio, quæ nos à victu belluino segregavit, quæ posteà studio atq; industria sapientissimorum hominum expolita atq; exornata effecit, ut qui ea scitè uterentur, quantum

Diserti qui?

Communicatio.

Elegantia sermonis præ barbaris eligenda.

Declamatio causa, cur eloquentia sit excolenda.

Homo à bruto ut distet?

Vide J. Cæs. Scalig. l. 1. Poet. c. 1.

cæteri homines beſtiis præſtent, tantum ipſi cæteris hominibus antecellerent. Itaq; poſteaquam ſapientes viri gravi & politâ oratione uti didicerunt, tùm urbes incolere cœpimus, tum naturale jus & civile deſcripſimus, tùm artes excogitavimus: tùm deniq; res omnes, & privatam & publicam utilitatem continentes, invenimus. Hæc (inquam) oratio ſuavis & elegans, non illa agreſtis & barbara, de rebus juſtis & injuſtis, de honeſtis & turpibus, de utilibus & pernicioſis leges inſtituit. Hæc urbibus jam conſtitutis fidem colere, juſtitiam retinere, labores communis cauſâ commodi ſuſcipere docuit. Hæc eſt domina rerum & regina oratio, qua facinoroſos homines invadimus, virtute præditos laudamus, nocentes condemnamus, innocentes abſolvimus, prudentes exornamus, imperitos docemus. Hæc eſt illa quæ ſola res honeſtas atq; utiles perſuadere poteſt: qua conſolamur afflictos, quæ deducimus perterritos à timore, qua geſtientes comprimimus, qua cupiditates iracundiasq; reſtinguimus qua deniq; quicquid eſt in omni vita rectum ac laudabile gubernamus. Hæc illa eſt vehemens & incitata oratio: quæ cum rapidè fertur, ſuſtineri ullo modo poteſt, quæ adoleſcentes acriter à vitiis revocat, & ardenter ad virtutem cohortatur: quæ ſeniores languentes excitat, & ad Reipub. gubernationem attentiores efficit: qua Imperatores in bello milites ſuos ad patriæ defenſionem, & victoriam acquirendam alacriores reddũt: quæ populos ad religionem, ad cultum Deorum immortalium, ad patriæ pietatem, ad communem utilitatem tuendam inducit: quæ conciliatrix eſt humanæ ſocietatis: quæ deniq; ſemper vel in ocio, vel in negotiis maximè

Cui bono elegans & cultus ſermo?

Utilitas diſerti ſermonis per anaphoram.

Uſus in duplici vitæ genere.

propria

propria est humanitatis atq; sapientiæ. Nam excellens & expolita oratio excellentis & expoliti animi certissimum est indicium. Vetus est illud: Qualis vir, talis oratio. Nam omnis mentis habitus ex ipsa oratione, tãquam è speculo, perspicitur: ut qui sordidã & incultam orationẽ adamant, ii sordidi & inculti omninò esse videantur: qui verò politæ atq; elegantis orationis studiosi sunt, ii quendam animi candorẽ & præstantiã, & ingenuitatẽ præ se ferant.

Ratio. Quia oratio virum ostendit, & ut ille ait, Loquere, ut te videam.

Atq; hoc sanè non in singulis tantùm hominib. sed in populis etiã ac nationib. intueri facilè possumus. Ut montani homines & summarũ Alpium incolæ feram atq; horridã naturã suã sermone ipso declarant. Et si quis paulò diligentiùs advertat, in Germanorũ locutiône barbariem quãdãm & asperitatẽ semper esse sentiet: in sermone Gallorum stoliditatem: in verbis Hispanorũ jactationem: in oratione Italorum veram nobilitatem: Quid, veteres Attici nonné ut erant ingenio acuti, celeres & præstantes: ita etiam oratione maximè limati, suaves & elegantes erant? unde Attici sales, & Attica eloquentia proverbio celebratur. Itaq; si quis eo tempore, quo Athenis ingenuarum artium studia florebant, politiùs & elegantiùs loqui cupiebat, is Atticam linguã imitari omni studio diligentiaq; contendebat. At cõtrà Thebani, agrestes & indocti, rusticanisq; moribus homines, sermone etiam incomposito & impolito naturæ suæ vitia declarabant; usq; eò, ut qui tardi atq; hebetis ingenii probro notaretur, is Bœoticũ animũ, Bœoticamq; locutionẽ obtinere diceretur. Quemadmodũ igitur acumẽ ingenii, honesti mores, vitæ integritas laudabilis est: ita etiã dicẽdi varietas, composita oratio, sermonis elegãntia est amabilis; ut qui verborum splendorem, & orationis

Declaratio per exempla nationum.

Vapula Papiri.

Attica elegantia.

Antithesis à Thebanis.

Illustratio à simili.

lumina vituperat; is animi tenebras, & mentis cœcitatem laudare videatur. Siquidem oratio, quod anteà diximus, apertissimum est ac certissimum animi simulachrum. Hac de causa prudentissimi quiq; viri semper hujus rei studiosissimi fuerunt. Neque quisquam unquam aut in loquendo, aut in scribendo magnam laudem meruit: nisi qui politè & ornatè vel scripsit vel locutus est. Quanta enim est Platonis elegantia? quæ dicendi majestas? quæ ubertas? quæ copia? quæ jucunditas? Jovem ipsum ajunt, si loqui unquam voluisset, non melius aut ornatiùs fuisse locuturum. Quis Aristotele pressior atq; politior? quis eodem, cùm opus est, eloquentior? quem orationis flumen aureum fundere Cicero verissimè dixit. Quis Theophrasto dulcior? quem à divinitate loquendi nomen invenisse constat. Quis Xenophonte jucundior? quem propter eximiam dicendi suavitatem veteres Apem & Musam Atticam appellârunt. Quid horum omnium (ut verè dicam) magister Socrates, nonné totius judicio Græciæ, cùm prudentia & acumine, & venustate, & subtilitate: tùm verò eloquentia, varietate, copia quam se cunq; in partem dedit, omnium facilè fuit Princeps? Jam verò nihil est, quod de Isocrate & Demosthene dicam, qui hac præcipuè ornatè dicendi laude claruerunt. Quorum alter intra domesticos parietes cùm officinam dicendi instituisset, aluit eam gloriam, quam nemo posteà est consecutus: alter in Reipub. luce versatus, tantum & ornatu verborum & sententiarum luminibus excelluit, ut omnium, quicunq; nati sunt, oratorum jure optimo Princeps habeatur. Quin etiam heroicis temporibus jam in maximo honore ac precio fuit ornata oratio. Nam plurimum laudis in dicen

Arist. περὶ ἑρμην. σύμβολα τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων.

Ratio ab effectu per anaphoram.

Acad. quæstion. lib. 4. Quint. li. 10. Instit. orat. & Cic. in oratore ad M. Brutum.

Comprobatio per exempla.

Isocratis & Demosthenis.

dicendo Ulysſi tribuit Homerus: & Neſtorem ita commendat, ut ab ejus ore melle dulciorem fluere dicat orationem. Ipſe verò Poeta tàm ornatus eſt, ut planè orator eſſe videatur. Sed quid exemplis in re minimè dubia opus eſt, cùm nullus omninò ſcriptor apud eruditos & urbanos homines in precio ſit, niſi ſit idem elegans & politus? Ut enim alios omnes præſtantisſimos auctores, tùm Græcos, tùm Latinos, qui nomen ſuum in orbis terræ memoriam ſempiternam diſſeminârunt, & elegantisſima conſcripſerunt opera dimittamus; cur Cicero præter cæteros tantoperè celebratur? niſi quia dono quodam providentiæ, ſicut ait Fabius, genitus eſſe videtur, in quo totas vires ſuas eloquentia experiretur: qui tàm clarus, ſuavis, ornatus, gravis & jucundus eſt, ut nihil prorſus addi poſſe videatur: in quo tàm abſoluta & perfecta eſt omnis dicendi ratio atq; elegantia, ut quicquid in omnibus cæteris auctoribus vel ingenio expolitum, vel induſtria elaboratum, vel artificio excultum reperitur, id totum in uno Cicerone longè ſpecioſius & ſplendidius appareat. Proh deûm atq; hominum fidem! fieriné poteſt, ut tam perverſa mente quisquam inveniatur, ut cùm ei Ciceronis in mentem venit, cujus ornamenta dicendi ſplendoremq; orationis omnes admirantur, quo nemo ſcripſit unquam limatiùs atq; ornatiùs: tamen ſermonis elegantiam, & expoliendæ orationis ſtudium damnare audeat? Sed jam valeant iſti, neſcio qui humiles ac demisſi homunculi, urbanæ civilisq; dictionis inimici: ex hara producti, non è ſchola: qui verborum ſordibus oblectantur, & nihil eximium, nihil civile, nihil magnificum ſentire, nedum eloqui poſſunt: qui tàm alienata mente ſunt, ut non intelligant; ſe

Vlyſſis & Neſtoris.

Præteritio.

Ab exemplo Tullii, qui extra aleam.

Concluſio cum dimiſſione.

ista suâ linguæ petulantiâ & procacitate, quâ vobis dicendi elegantiæ studiosis maledicunt, omnibus præstantissimis scriptoribus, tàm Græcis, quàm Latinis maledicere. Vos autem, ornatissimi Juvenes, qui veram laudem & dignitatem quæritis: neglectâ barbarorum inscitiâ, nostrum hoc benedicendi studium amplectimini: quod semper viris magnopere placuit: quod omnia, quæ prudenter mente concepta sunt, audientium auribus mirifica cum jucunditate repræsentat: quod non modò summam orationi gratiam in dicendo; sed etiam scriptis immortalitatem elargitur. In hoc uno reliquorum omnium studiorum fructus est collocatus. Quid enim prodest rectè sentire, & prudenter intelligere: si quæ rectè sentias, & prudenter intelligas, polite eloqui non possis? Quàm indecorum est, res egregias & præstantes barbarâ & inconditâ oratione proferre? Ut si quis in cœnoso & putrido loco gemmas atq; uniones conservet: aut venustissimo corpore fœminam laceratis atq; immundis centonibus induat, faciemq; liberalem & honestam atramento lutoq; commaculet. Sed profectò nimiùm indocti atq; agrestis est animi, politæ orationis dulcedinem suavitatemq; non degustare. Qui autem liberaliter educati atq; instituti sunt, quales, ut verè dicam, vos estis, egregii Juvenes: non minùs eleganter dicere, quàm rectè facere totis viribus elaborare debent; ut clarissimorum hominùm cùm facta, tùm orationem imitantes, parem aliquando laudem & gloriam assequi meritò possint.

Adhortatio ad Auditores.

Repetitio utilitatum eloquentiæ.

Illustratio à simili.

Adhortatio per apostrophen.

DE

DE CONTEMNENDIS OBTRECTATORIBUS AD MEDIOLANENSES

ORATIO XIII.

Est in genere suasorio. Monet enim obtrectationes & invidiam nihili esse ducendam: sed susq; deq; habendam. Livor, ut Poeta ait, iners vitium est, & sibi ipsi plus nocet, quam aliis. Ut Plautus benè asseruit: Quibus invidetur, rem habent; qui invident; eâ carent. Ejusdem argumenti dissertatiunculam elegantem J. Lipsius habuit contra invidiam aut calumniam, par nobile fororum.

CUm multis in rebus, Viri Mediolanenses, eos, qui studiis optimarum artium dediti, res egregias & excellentes expetunt, magno atque erecto animo esse oportet: tùm in eo præcipuè, ut malevolorum & obtrectatorum voculas, quamvis ab eis assiduè vexentur, contemnant, ac pro nihilo ducant. Hoc enim commune est omnibus iis, qui labore atq; industria sua aliquo laudis genere florere incipiunt; ut statim ab invidis eorum fama quasi à turbine aliquo quatiatur & labefactetur. Qua in re qui adeò timidi atque pusilli animi sunt, ut perterre-

Exordium à collatione.

Quid docto viro unicè curandum.

Ratio.

Virtuti comes invidia.

Oppositum.

antur, & ab incepto desistant; ii nihil unquam egregium, nihil laudabile præstare poterunt: qui verò tàm generosa, tamq; excelsâ mente præditus est, ut quamvis undiq; maledictorum aculeis incessatur, nihilominùs tamen, quod rectè instituit, iter persequitur, & ad honoris atque dignitatis arcem enititur; is verè magnus & omni laude dignus vix existimandus est. Neq; enim minoris fortitudinis atq; constantiæ est, adversariorum non frangi calumniis neq; debilitari; quàm aut assiduos perpeti labores, aut in arduis rebus nunquam animo defatigari. Sed tamen aliqui magno ingenio viri reperiuntur, qui plurimo quidem suis in actionibus omnibus studio, curâ, labore, diligentiâ utantur: sed adeò calumniis atque maledictis inimicorum moveantur, ut si qua in re præter spem atq; opinionem, de fama sua detrahi fortè sentiant, majorem in modum discrucientur. Quo quidem in errore atq; dolore, quoniam hoc multis bonis accidit, etiam me longo tempore fuisse nihil me pudet confiteri: verum deinde cùm ratione ipsa, tùm sapientissimorum hominum exemplo sum ita confirmatus, ut, quod præclarè Poëta cecinit:

Constantiæ lau.
Lipsius in l. de constant.
Correctio.

Quid proceres, vaniq; levis quid opinio vulgi

de me sentiat, planè securus sim. Quamobrem rationes eas & exempla, quæ mihi vehementer hac in re profuerunt, statui vobis hodierno die breviter commemorare: ne fortassè vestrum quenquam improbæ maledicorum voces & calumniæ, quæ quovis gladio (quemadmodum Thearidas quidam dixisse fertur) acutiores sunt, à recta vivendi ratione dimoveant. Quod dum facio, quæso vos pro incredibili humanitate vestra, ut me sicuti facere instituistis, diligenter audiatis. Est quoddam hominum ge-

Propositio.
cum attentione.
Narratio.

mul

nus, viri Mediol. in laboriosis quidem & honestis rebus atq; actionibus iners & ignavum: sed in alienis rebus judicandis & reprehendēdis nimis audax & temerarium. Hi cùm nihil ex sese dignum laude, dignum luce parere possint, cùm nihil nisi abjectum, nisi humile spectent; tamen cùm aliquem navum atq; industrium virum, propter res egregie gestas in honore ac precio esse vident, adeò cruciantur & affliguntur, ut non eis cibus, non potus, non lux, non vita suavis, nihil deniq; præterquam maledicere jucundum sit. Itaq; summo cum animi livore, non aliter atq; viperæ, modò in hunc, modò in illum acerbitatis suæ virus evomere non desistunt. Horum judicio si quis eloquentissimus sit, infans habetur; si maximâ sit eruditione præditus, imperitus & arrogans appellatur; si constantissimus & fortissimus, imbellis & enervatus prædicatur. Interdum etiam virtutes ipsas finitimis vitiis inquinare student. Magnanimum enim virum superbiæ nomine accusant; doctum & eloquentem ostentationis & loquacitatis, religiosum superstitionis, prudentem malitiæ, verecundum timiditatis. Quod si quis adeò præstans & præclarus sit, ut in omnium ore laudeq; versetur, usq; eò tamē cum frigidè laudant, ut longè magis vituperare, quàm laudare videantur. Hi sunt qui claros & excellentes viros continenter mordent, vexant; lacerant; qui nobilium mensis assidentes, ut aliquid ipsi præter cæteros sapere videantur, quos alii suspiciunt & admirantur, eos miro quodam supercilio despiciūt & aspernantur; qui arrepta censoria virgula, de doctorum hominum lucubrationibus adeò temerè judicant, ut quæ rectissimè honorumq; scriptorum auctoritate posita sunt, ea pessimè barbareq; dicta

Maledicum & maleficū hominum genus.

Invidia qui possit.

Livor iners vitium. Ovid.

Et mala sit vicina bonis, errore sub illo, &c.

Invidi etiā sunt calumniatores.

pronuncient, qui deniq; nulla unquam in re sibi æquè placent, atq; cùm de alicujus boni viri fama detrahunt. Hos ego penitùs ab eis, qui dignitatis atq; honoris viam ingressi sunt, contemnendos ac negligendos esse censeo. Quod ita facilimè facient, si primò cogitent, nequaquam in nostra potestate situm esse, quid de nobis quisq; sentiat ac loquatur: atq; idcirco insipientis esse hominis ea re dolere, quam corrigere nullo modo possit: deinde si ita se gerant, ut nulla in re meritò possint unquam accusari. Illud enim egregiè vereq; dictum est ab Ovid.

Calumnias non solùm esse devorandas: sed & concoquendas.

Conscia mens recti famæ mendacia temnit.

Nam qui conscientiæ rectæ voluntatis innititur, is nihil certè calumniarum turbines, aut maledictorum procellas pertimescit: sed illud ex Ennio secum ipse tacitus frequenter insusurrat:

Dum clavum rectum teneam, navimq; gubernem,

Dicat quisque de me quid voluerit. Quis enim nescit ignavissimo atq; imperitissimo cuiq; licere, non solùm clanculum in eruditissimos & fortissimos viros, sed etiam apertè debacchari, & in quemvis, quocunq; libido tulerit, maledicta profundere? Sed profectò rectissimè Philemon dixit: Nihil est jucundius, & docto viro dignius, quâm ferre posse convician tem: quoniam si ille, cui fit convicium, dissimulaverit, in ipsum auctorem redundat. Neq; malè Pythagoras de sapiente quodam & strenuo viro, qui nihili convicia pendebat, ita cecinisse fertur:

Calumniare audacter, semper aliquid hæret.

Confirmatio per exempla.

Οὐδ᾽ ὅσον μύας συγεςῶν ἐμπάζετο μύθων.

Verba (inquit) illa contumeliosa multò minùs curabat, quam si à musca læderetur. Potuitné magis invicti animi virum ostendere, quâm hac similitudine? Quis enim in unius muscæ morsu vehementer

Illustratio à simili.

ter indolet? quis non hoc levissimum esse malum, ac propè nullum existimat? Non igitur eodem modo, cum falsum aliquod in nos jactari convicium audimus, non solùm nihil dolere; sed ne quidem illud ad nos pertinere significare debemus. Nam qui dolorem ex calumniis capit, is sese affinem esse culpæ ostendit: neq; ferè quisquam maledictis multum irascitur, nisi qui pravæ voluntatis conscientia movetur. Sed tamen interdum accidit, ut calumniatorum invidia, cùm nos in aliqua re præclarè gesserimus, non solùm nobis laus & gloria pereat: sed quod longè pejus est, etiam eo nomine malè audiamus: quæ certè res non potest animum optimi cujusque viri non mediocriter commovere. Verùm huic dolori facile medebitur illud egregium Alexandri Magni dictum: qui cùm audisset, ab obtrectatoribus quibusdam de fama sua detrahi: Regium est (inquit) benè facere, & audire malè. Est enim profectò magni & excelsi animi (quemadmodum censet Aristoteles) nihil omninò calumniis moveri, atq; injurias non tantùm æquo animo tolerare; sed etiam prorsùs negligere: unde non sine causa Cicero magnoperè Cæsarem in eo commendat, quod nihil præter injurias oblivisci soleret. At contrà qui calumnias & convicia pertimescit, is certè magnis in viris habendus non est. Dum enim omni ratione studet invidiam omnem evitare, atq; omnibus placere; plerunq; fit, ut in eas angustias incurrat, ut de salute atque dignitate periclitetur: quod Callicratidæ Lacedæmoniorum duci & Cleombroto contigisse testis est Cicero. Longè verò sapientiùs & meliùs cũctator ille Fabius se gessisse dicitur; qui cùm fractas ab Annibale populi Rom. opes atq; vires intelligeret, æquo Marte

Applicatio.

Oppositum per instantiam.

Correctio.

Confirmatio a chria.

Prosyllogistica ratio.

Oppositum aliud.

Cum ratione contra eos, qui calumnias perferre nequeunt.

Et quidem ab exemplo 1. Fabii Cunctatoris.

cum eo dimicare nunquam voluit, sed eum per montes & aspera loca sequebatur: unde per contemtionem à nonnullis Annibalis Pædagogus dicebatur. At ille nihil hoc convicio permotus, institutum suum sequi perseverabat: donec tandem patientiâ suâ ferocientem, & juveniliter exultantem hostem perdomuit. De quo Ennius:

Unus homo nobis cunctando restituit rem.
Non ponebat enim rumores ante salutem.
Ergò postq; magisq; viri nunc gloria claret.

Idem Fabius in familiari collocutione frequentissimè dicere solebat: eum, qui convicia metuat, longè sibi timidiorem videri; quàm qui hostes fugiat.

2. Socratis, Apophthegma.

Socrates, vir Græciæ sapientissimus, etiam utile esse dicebat convitiatores audire. Nam si vera (inquit) dixerint ea corrigere, atq; ita meliores evadere poterimus; sin falsa, nihil ad nos ea pertinere facilè declarabimus.

3. Philippi Macedonũ Regis.

Quod etiam fortissimum illum atque sapientissimum Macedoniæ Regem Philippum non fugit, qui se Principibus Atheniensium maximam habere gratiam prædicabat, eo quod suis conviciis efficerent; ut ipse quotidiè & moribus & oratione melior evaderet: dum eos (inquit) conor & dictis & factis mendacii convincere.

Sapiens ejusdem responsio per inversionem.

Idem Rex cùm audisset, maledicum quendam frequenter sibi detrahere, nihil penitùs se curare ostẽdit: cumq; amici suaderent, ut illum si minùs extremo supplicio vellet afficere, saltem relegaret; imò vero subridens inquit? Hoc non faciam; ne fortassè apud plures externos ambulans de me malè loquatur. Quod si magnum inimicis nostris dolorem magnamq; tristitiam adferre studemus, illud Diogenis Cynici multò pulcherrimum dictum servare oportebit. Quem cùm juvenis quidam interrogásset,

4. Diogenis Cynici.

set,

ſet, quo modo poſſet invidos atq; obtrectatores ſuos punire: Si teipſum (inquit) quotidiè meliorem præſtiteris. Hoc enim certè maximum eſt invidis tormentum, hic ingens eſt cruciatus, hoc ſummum ſupplicium, cùm in dies vident res noſtras meliùs ſuccedere, nosq; diligentiâ atq; aſſiduitate noſtrâ quotidiè fieri clariores: hoc illos perpetuò vexat, hoc cruciat, hoc efficit, ut invidiâ disrumpantur. Quid, cùm intelligunt, à nobis ſe prorſus contemni, quò tandem dolore, quo furore, qua rabie concitantur? Quis enim id non vel legit, vel audivit, quod de Dione Alexandrino, Philoſopho Academico, memoriæ proditum eſt? quem conviciator quidam inſecutus, cùm toto die vexaſſet, neq; ullam ab eo vocem elicere potuiſſet. Nihilné tandem reſpondes? inquit: at ille, Ne gry quidem ait: quo audito, conviciator tanto dolore affectus eſt, ut ſtatim abiens ſe ſuſpenderit. Annon hac ratione longè atrociùs inimicum ſuum punitus eſt Dio, quàm ſi ruſticorum more tota (quod ajunt) conviciorum plauſtra regesſiſſet. Idem penè cuidam Socratis inimico dicitur accidiſſe, qui conviciis non contentus, quæ in Socratem multa conjecerat, eum etiam calce percusſit: cùm autem amici quidam Socratem adhortarentur, ut percuſſorem in jus vocaret: Ridiculum, inquit, an ſi mihi aſinus calcem impegiſſet, in jus vocarem? Itaq; cùm ille ſe negligi penitùs à Socrate intelligeret, ſibi ipſe manum violenter intulit. Hæ ſunt invidiorum & malevolorum furiæ, hæc tormenta, hæc ſupplicia: quæ multò magis auctoribus ipſis nocent, quàm eis, quibus maledicunt. Unde verè ſuaviterq; Poëta quidam Græcus in hunc ſenſum cecinit:

A contrario 3.

Per exempla 1. Dionis.

2. Socratis.

Invidi ſibi ipſis nocent.

Peſſimus

Pessimus est certè, sed habet quædam optima livor:
Invidi enim meritò corda oculosq; vorat.

Hoc igitur nos maximè consolari debet, quòd invidi longè majorem ex felicitate nostra dolorem accipiunt, quàm obtrectando nobis damnum adferant: & majus ipsi dedecus subeunt, quàm nobis infamiam comparare possint. Sed illud inprimis cavere debemus, ne nos ita transversos ira rapiat, ut præsenti maledico respondeamus. Turpis enim illa contentio, & non tantùm prudente ac literato viro; sed quovis homine prorsùs indigna, cum maledictis maledicta rependūtur. Hac de causa Demosthenis illud dictū magnoperè laudatur: qui cùm ab obtrectatore quodam conviciis provocaretur. Non descendam (inquit) in hujusmodi certamen, in quo qui victus fuerit, multò melior est eo, qui vicerit. Et certè tantò levior & abjectior à sapientissimis viris quisq; existimatur, quantò maledictis lacessitus magis excandescit. Aristippus, cùm eum maledicus quidam plurimis conviciis incesseret, nihil respondebat: sed tacitus ire contendebat: ille autem magnâ voce clamans, Cur (inquit) aufugis? tunc Aristippus: Quia tibi potestas est malè loquēdi; mihi verò non audiendi. Cleomenes Rex Lacedæmoniorum, cùm ei quidam maledicere non cessaret. An ideò de omnibus, inquit, malè loqueris, ne nobis ocium sit de tua malitia loquendi? Sed omnium maximè civiliter hoc in genere se gessisse Pericles Atheniensium princeps legitur: quem cùm improbus quidam conviciator per totam urbem sectaretur, & magno cum clamore objurgare, vituperare, despuereq; toto die non cessaret, nihil unquam ei respondere voluit; sed omnia maledicta summo cum silentio pertulit, quamvis in singulas horas

Adhortatio in cavenda vindicta.
Ratio.
Per exemplū 1. Demosthenis.
2. Aristippi.
3. Cleomenis.
4. Periclis.

horas ille maledicendo magis atq; magis incalesceret: quin cùm vesperi domum rediisset, & eum ad januam usq; maledicus insectatus fuisset, jamq; noctis tenebræ supervenissent, quendam ex servis suis ad se vocavit, & accepto lumine jusſit hominem illum comitari, domumq; deducere. Qua re quid constantius aut civilius excogitari potest? Quis hoc nostro tempore tàm mitis, tàm patiens, tàm constans non dicam Princeps; (nam ii ne vocem quidem cujusdam liberam ferre possunt, nedum convicia) sed quis tàm mansuetus homo reperitur, qui in tanta convitiatoris improbitate vel dissimulare, vel tacere posset? Ex hoc intelligi facilè potest, quantâ animi magnitudine, quo mentis robore præditus ille vir esset, quem non tanta maledictorum multitudo movere potuit, ut suæ benignitatis oblivisceretur. Fuit hæc quondam in animis veterum illorum cōstantia atq; sapientia, nihil ut injuriis moverentur; ut longè promtiores ad ignoscendum essent, quam ad ulciscendum. Pittacus Mitylenæus, cùm in ejus potestatē venisset quidā, à quo graviter læsus fuerat, eum tamen impunitū dimisit: illud pulcherrimū addens elogiū: Veniam ultione multò præstantiorem esse: propterea quòd venia mansuetæ naturæ, ultio verò belluinæ sit indicium. Quod etiam Lycurgus Lacedæmoniorum legislator, exemplo memorabili maximèq; laudando comprobavit. Cùm enim juvenis quidam Alcander nomine, illum odio inflammato secutus fuste percussisset, & oculum etiam eruisset, nullam ipse quæsivit ultionem: verum Alcandrum publico decreto sibi traditum, tantum abfuit ut puniret, ut etiam optimis & saluberrimis consiliis & præceptis erudditū ita emēdaverit, ut posteà vir probissimus & Reip.

Exaggeratio per collationem.

Conclusio de patientia in calumniis perferendis.

Comprobatio per exempla, 1. Pittaci. 2. Lycurgi.

Oppositionis ratio. Reipub. utilissimus extiterit. Quid hac placabilitate atq; clementiâ divinius? quid admirabilius? At nos quidem, si quis paulò liberius accusaverit, statim indignamur, dolemus, ultionem quærimus. Cur non potius imitamur Paulum illum Tarsensem, nostræ religionis antesignanum? Qui ad Corinthios scribens, ita de se gloriatur? *Christianorum tolerantia.* Conviciis afficimur, & benedicimus: persecutionem patientes, sustinemus: maledictis incessimur, & obsecramus. Aut si ad perfectionem hanc nostræ mentis imbecillitas pervenire non potest, ut inimicis & obtrectatoribus nostris benefaciamus: saltem eos, clarissimorum hominum exemplo contemnamus. Nam quis nescit, cujusq; mentem & linguam esse liberam: & ex hominum numero longè plures esse, qui alios improbare, quàm qui laudare parati sint? *Est aliquid miseris socios habuisse malorum.* An postulamus, ut nostra melior sit conditio, quam præstantiam omnium virorum, qui post hominum memoriam floruerunt, unquam fuerint? Quis enim unquam tàm eruditus, tàm excellens, tàm ab omni laude felix extitit, qui obtrectatore caruerit? *Confirmatio à pari.* Quis unquam tantâ sapientiâ virtuteq; præstitit, qui maledictorum sermones effugere potuerit? Est enim virtuti comes invidia, eamque non aliter sequitur, atq; umbra corpus: itaq; nullo modo fieri potest, ut qui virtutem amplectitur, non etiam in invidiam & obtrectationem incidat: sicuti ambulare in Sole nemo potest, quin etiam umbram secum trahat. *Virtuti comes invidia. Illustratio à simili.* Non defuit Homero, non tantùm Poetarum; sed etiam doctrinarum omnium principi, Zoilus suus: habuit Plato, ille verè divinus, obtrectatores plurimos: Aristoteles, Demosthenes, ille Philosophorum, hic Oratorum princeps, maledicorum morsus evitare non potuerunt. *Ab exemplis. 1. Homeri, 2. Platonis.* Quid M. Tullius

Tullius Cicero? quem verè Quintilianus ait dono quodam Providentiæ genitum, in quo totas vires suas eloquentia experiretur, qui omnes ex seipso virtutes extulit immortalitatis ingenii beatissimâ ubertate, qui vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis effinxit: nonne à sui temporis hominibus ita incessebatur, ut tumidus, ut Asianus, ut redundans, ut in repetitionibus nimius; ut in salibus aliquando frigidus, ut in compositione fractus, exultans, ac penè viro mollior diceretur? Quid P. Virgilii Maronis divinum illud & immortalitate dignum ingenium? an non obtrectatoribus adeò paruit, ut nullum ejus Opus extiterit, quod non Hipponacteo (quod ajunt) præconio fuerit addictum? Nam Eclogas Paro quidam tanquam non Latinè scriptas irridere ausus est, noto illo & pervulgato versu: 3. Ciceronis. 4. Virgilii.

Dic mihi Dameta, cujum pecus, anne Latinum?

Alius absolutum prorsùs atq; ex omni parte perfectum Georgicorum opus irrisit, eo carmine:

Nudus ara, sere nudus, habebis frigora febrem.

Quin etiam Carbilius pictor contra divinam Æneida justum volumen conscribere non dubitavit. Unde satis apparet, nihil esse tàm eximium, quod non incessere atq; violare maledicendi libido audeat. Quid quod apud Græcos meretricola quædam Leontium nomine contra Theophrastum, hominem in eloquentia tantum, ut à divinitate dicendi nomen invenerit, scribere ausa est? unde proverbium natum esse dicunt; Suspendio arborem esse deligendam. Sed quid hæc commemoro? Quasi verò nesciamus, etiam Christum ipsum, nostræ salutis auctorem invidorum maledictionibus, quoad in hac vita fuit, expositum fuisse. Nam eum Conclusio. Transitio. Præteritio. A Christi exemplo.

Pharisæi legum violatorem, vini avidum, carnium appetentem, improborum socium atque amicum appellabant: & quæ, divinâ potestate virtuteq; faciebat, ea malorum dæmonum artibus fieri clamitabant. Quare si Christo, non tantum hominum præstantissimo; sed etiam Dei filio, maledicorum lingua non pepercit, quis est omnium, qui se ab ea tutum fore sperare possit? & si ea, quæ divinitùs fiunt, obtrectatoribus non carent, quid illis fiet, quæ natura humana parùm cavere potuit? Itaque nemo unquam sapiens ea re multùm sibi dolendum censuit, quod à multis sibi detraheretur: quoniam hoc vitari nullo modo posse quisq; intelligit. Semper enim parati sunt, qui obtrectatione alienæ virtutis aut scientiæ famam sibi aucupentur; & ii potissimùm (ut ait Plinius) qui veræ laudis expertes sunt. Quæ cum ita sint, Viri Mediol. non est quod quisquam nostrûm ampliùs posthac unquam angatur aut doleat, etiamsi multos esse, qui sibi detrahant, intelligat: modò nos ita cautè geramus, ne maledicendi cuiquam occasionem præbere videamur. Immò verò quantò plures esse, qui de fama nostra detrahans, intellexerimus; tantò majorem animo lætitiam, modò innocentes simus, capere deberemus. Qui enim innocens multos habet obtrectatores, is ut multis etiam virtutibus antecellat, necesse est. Nam nihil habenti nihil detrahi potest: ei verò, qui plurima bona possidet, etiamsi multa detrahantur; tamen semper aliqua supersunt; quibus jucundè frui possit. Clamant igitur licet in nos, quantum voluerint, invidi atq; improbi homines, obstrepant, latrent, debacchentur: nos exemplo sapientissimorum hominum, nihil eos omninò timeamus; vel potiùs vehementer negligamus:

Exaggeratio ab ipsius Christi exemplo.

Conclusio

Correctio cũ admonitione.

Simili illustrata.

Invidia debet esse nobis calcar ad virtutem.

gamus: neq; ullo modo patiamur, ut eorum calumniæ nos ab instituto virtutis veræque nobilitatis cursu revocent. Sed quò magis obtrectatorum improbitas in nos incaluerit, eò nos erectiori animo, promptiorique res egregias & laude dignas amplectamur. Sic enim fiet, ut illi secum ipsi invidiæ veneno contabescant: nos autem læti, quasi de hostibus assidue triumphantes, in honore atq; dignitate, quod reliquum est vitæ traducamus.

DE VITÆ ATQVE MORUM DISCIPLINA, AD MEDIOLANENSES.

ORATIO XIV.

Est ejusdem generis. Quia est παραινετική, id est, adhortatoria ad vitæ integritatem & morum honestatem à juventute; præsertim hoc exulcerato seculo, amplectēdam. Si enim Cicero jam redivivus adesset, quantò magis exclemaret; ô tempora! ô mores; præsertim sub laxâ & solutâ pueritiæ obstinatæ & præfractæ disciplinâ, quam & magistri in scholis & parentes domi severiùs instituere & convivare debebant.

Cum multa divinitùs, Viri Mediolanenses, à veteribus illis sapientissimis viris inventa atque instituta fuerint, quibus humanum ingenium, quasi rude, & à natura tantùm inchoatum, non

Exordium à collatione.

autem perfectum, benè atq; eleganter expoliretur; tùm nihil præclarius, nihil humano generi salutarius, nihil rebus publicis utilius eâ disciplinâ, in qua de vita & moribus pertractatur. Hæc enim una ratio fuit, quæ concilia cœtusq; hominum, quæ oppida, quæ urbes moliri & jure sociare cœpit: quæ dispersos olim homines in agris, & in tectis silvestribus abditos, sibiq; victu ferino vitam propagantes ex feritate illa ad justitiam atque mansuetudinem traduxit: quæ jus humanum atque divinum constituit, unde leges exortæ, unde vitæ tranquillitas, unde omnis deniq; humana felicitas atq; beatitudo. Ac mihi quidem, Viri Mediolanenses, cum apud vos hodie, viros omni laude præstantes, de tàm excellenti disciplina verba facturus in hunc locum ascenderim, venit in mentem non mediocriter subvereri, ne meis fortasse humeris impar onus temerè suscepisse videar. Quis enim meritis eam artem laudibus prosequi se posse confidat, à qua tanquam â perenni quodam & lucidissimo purissimoq; fonte, quicquid est in hominum vita laudabile, continenter effluit? Omnes enim honestas actiones, propter quas homines solas laudari meritò consueverunt, quis non intelligit à vitæ morumq; cognitione ac disciplina promanare? Nam quis egregiè res gerere valeat, nisi rectè gerendi viam & rationem intellexerit? Neq; enim cuiquam dubium esse potest, quin in præclaris rebus agendis intelligentiam præcedere necesse sit, & voluntatem subsequi, quæ studium ac diligentiam ad benè agendum excitet atq; impellat. Quamobrem hæc virtutum ac vitiorum cognitio, quæ vitæ morumq; disciplina continetur, & sola benè beateq; vivendi rationem docet, tàm eximia atque divina est

Ratio cur morum cultura maximè necessaria.

Scil. ob usum.

Insinuatio oratoria.

Exaggeratio.

Ratio prosyllogistica.

Conclusio.

est, ut eam potiùs admirari, & tanquam è longinquo loco suspicere, quàm dignis laudibus exornare valeamus. Sed tamen quoniam hic est campus noster; in quo statuimus hoc anno decurrere; & materia, quam publicè hoc in loco tractare volumus; non alienum à proposito nostro visum est quamvis non plenè veram hanc Philosophiam laudare possimus; nonnulla tamen quasi argumenti vice coram vobis hodie de illa proponere; quæ specimen aliquod summæ jucunditatis atq; utilitatis, quam ex ea consequi studiosissimus quisque facilè possit, apertè præbeant.

Propositio.

Quod dum facio, quæso vos, ut facere instituistis, diligenter attendite Socrates ille, qui unus ex omnibus Apollinis oraculo fuit olim sapientissimus appellatus, Philosophiæ moralis auctor à plerisq; fuisse traditur: Is enim cum alios philosophantes de natura & rebus occultis, de cœlo, de siderum magnitudinibus, intervallis, cursibus, de numeris moribusq; studiosè tractare videret; & unde omnia orirentur, quovè recederent: primus (ut Cicero scriptum reliquit) Philosophiam devocavit è cœlo, & in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit; & coëgit de vita & moribus rebusq; bonis & malis quærere.

Petitio.

Narratio.

Hypophora.

Sed hoc certè non ita intelligendum est, quasi ante Socratem nemo benè justeq; vivendi præcepta tradiderit: cum ante illum plurimi sapientes viri fuerint, qui pulcherrimas atque utilissimas ad honestè vivendum sententias nobis reliquerint.

Quanti momenti morũ honestas.

Antipophora.

Nam ab initio generis humani credibile est, leges & jura, tàm divina, quàm humana, semper viguisse; sed quia Socrates primus ex eorum numero, qui Philosophi nominati fuêre, quorum Princeps & auctor nominis Pythagoras extitit, relictis rebus ab ipsa natura involutis,

Comprobatio ab autoritate divina.

lutis, quas supra cognitionem humanam esse censebat, tantùm ea tractare cœpit, quæ ad vitam & mores honestè instituendos attinerent. Illud enim in ore frequenter habebat: Quæ supra nos nihil ad nos. Hanc verò sapientiæ partem omnium reliquarum honestissimam atq; utilissimam esse jure optimo judicabat, in qua videbat omnes ferè priscos illos sapientes viros & legislatores omne suum studium, omnem curam & diligentiam collocâsse. Nam etiam antiquissimi Poetæ Musæus Atheniensis, Orpheus Thrax, Linus & Amphion Thebani, multa rectè vivendi præcepta tradidisse memorantur. Unde posteri finxerunt, ab Orpheo & Amphione non tantùm homines, sed etiam feras, & arbores & saxa sono testudinis, fuisse commota; quoniam agrestes & duros homines sapientiâ suâ mites & mansuetos reddiderunt. Quam rem Horatius in Arte Poetica scitè atq; eleganter explicat. Post hos etiam Poetarum Princeps Homerus, ad hominum mores honestiùs informandos totam Poesin suam accommodâsse videtur. Nam ab eo Philosophi deinceps omnes (ut Plutarchus attestatur) tanquam à copiosissimo scientiarum flumine sententias suas hauserunt. Neq; cuiquam dubium esse potest; quin Hesiodus honestè vivendi magister optimus extiterit: cùm in ejus Poëmate crebræ, tanquam stellæ quædam insignes, eluceant pulcherrimæ sententiæ, quibus ætas uniuscujusq; potest ad honestatem informari. Sed nullum unquam tempus fuit, quin apud omnes ferè nationes aliqui sapientes viri fuerint; qui honestè vivendi præcepta traderent: ut apud Persas Magi, apud Indos Gymnosophistæ, apud Assyrios Chaldæi, apud Ægyptios Prophetæ, apud Gallos Druidæ. Judæ-

Ab exemplis aliorum.

Poëseos laus.

Muretus tom. 2. orat. XI.

Demonstratio per enumerationem.

ver-

verò non ab aliquo mortali homine, sed ab ipso immortali Deo leges suas accepisse perhibentur, quas eorum legislator Moses à Deo acceptas, ad perpetuam memoriam lapideis in tabulis descripserit. Constat igitur, ab Hebræis, qui longissimo tempore religionis Antistites & veri Dei cultores fuerunt, ad alias gentes ac nationes omnem sapientiam promanasse. Hinc Ægyptiorum mysteria, Chaldæorum prædictiones, Magorum superstitio, Græcorum leges & instituta profluxerunt. In hac gente plurimi Vates, divino afflati spiritu, multa de animi immortalitate, de futura proborum hominum beatitudine; de Christiana religione, quam nos omnium purissimam & sanctissimam colimus, vaticinati sunt; donec tandem apud eosdem natus est ille, qui, pulsis omnium errorũ tenebris, ipsam nobis veritatem aperuit; & morte suâ, quam pro totius humani generis salute libentissimo animo subivit, ad cœlestem vitam iter patefecit. O fortunatos nimium Christianos, si quam ab immortali Deo gratiam acceperunt, eam omni studio conservare, & honestis actionibus amplificare contenderint! Nobis enim solis, qui Christi leges & instituta sequimur, à Superis datum est, initia, progressiones, absolutionem beatissimæ vitæ videre, amplecti, consequi: ut qui tanto beneficio, quod immensâ Dei ipsius benignitate cunctis hominibus patet, negligentia sua spoliantur; ii meritissimè sint æternis suppliciis vivi mortuiq; mactandi. Quod enim tam multi celeberrimi viri summo ingenii acumine, omni industriâ, infinitis propè laboribus exquirendo; nunquam tamen invenire plenè potuerunt, ut viam certam intelligerent, quam, posteaquam corporum vinculis exuti fuissent,

J. Lipsius in Manud. ad Stoic. philosoph. l. 1. diss. 6.

Exclamatio per collationem.

Christiani quid præstēt ethnicis.

Beatitudo ut acquirenda.

in cœlestem domum convolantes, beati ævo sempiterno perfruerentur; id nobis divina gratia, Christo auctore, incredibili beneficentia concessum est. Sed pro deûm atq; hominum fidem! quis paulo prudentior sine summo animi dolore posiit illud advertere: multo meliores & sanctiores olim fuisse, qui falsam religionem colerent, quàm nos hoc tempore, qui in veritatis luce versamur? Quot enim apud Græcos quondam viri sapientes, qui omni virtutum genere floruerunt? quot apud Romanos tanta præstantiâ viri, ut summa cum honestate & religione viverent? quot in toto pene terrarum orbe, qui morum innocentia, vitæ integritate, animi sanctitate jura omnia divina atq; humana diligentissimè custodirent? At hoc nostro tempore quotusquisq; est, qui mores suos benè componere, vitia refugere, virtutes amplecti, mentem suam honestis præceptis informare studeat? Cujus rei quid aliud esse causæ dicemus, quàm quod adolescentes Parentum & Magistrorum negligentia, in virtutum & vitiorum cognitione disciplinaq; non amplius exercentur, ut olim fieri consueverat: Hoc enim inprimis, ut ait Socrates, in Rep. bene instituta curandum est, ut juvenes honestis instructi disciplinis, quam optimi fiant. Ut enim agricolæ novellas arbores summa cum diligentia colunt, ut tempestivos edere fructus valeant: ita juventutem ad fortitudinem & temperantiam, cæterasq; virtutes instruere oportet: quoniam hoc est totius Reip. seminarium. Xenophon ille Socraticus, quem propter orationis suavitatem Apem, & Musam Atticam appellârunt, memoriæ prodidit, apud Persas olim fuisse Gymnasia, in quibus adolescentes æquitatem & justitiam publicè docerentur. Quid Athenienses

Contrarium per querelam.

Declaratio per exempla.

Collationis prisci ævi cum nostro declaratio.

Causa & fons malorum morum.

Illustratio per simile.

Comprobatio per exempla.

1. Græcorū.

2. Athenien-

nis, an non Academia, Lyceum, Porticus, omnium virtutum erant officinæ? quid aliud in illis Gymnasiis tractabatur, quàm quid honestum esset, quid turpe; quod extremum bonorum & malorum, ad quod essent omnia referenda? Romæ verò non tantùm Præceptores ipsi; sed etiam Parentes filios suos ad honestas vivendi rationes instruebant, atq; etiam in conviviis clarorum virorum laudes ad tibiam canebant; ut ad eorum imitationem juvenes excitarent. At hoc tempore tantum abest, ut scholæ sint honestatis & temperantiæ officinæ; ut etiam plerunq;, quod dicere pudeat, ab ipsis præceptoribus & parentibus adolescentes, ad vitia proclives & dociles, nefanda flagitia condiscant. Itaq; non mirum est, si res tàm privatæ; quàm publicæ in pejus quotidie ruunt: cum juventus domesticis imbuta venenis non ad honestatem adipiscendam; sed ad libidinē suam explendam, & perfruendas corporis voluptates animum incliner: quo fit, ut nemo justitiæ, nemo fortitudinis, nemo temperantiæ laudem assequatur: Ex hac autem virtutis & honestatis contemptione patriæ proditiones, rerum publicarum eversiones, cædes, latrocinia, furta; stupra, adulteria, scelera deniq; omnia proficiscuntur. Nam ut homo, quemadmodum scire ait Aristoteles, si omnibus suis partibus & numeris perfectus absolutusq; sit, multò cæteris animantibus antecellit: ita si leges & justitiam deserat, nulla ferarum fraus est tanta, nulla malitia, quæ possit cum ejus malitia contēdere. Cum enim injustitia armis instructa maxime sit horribilis, hominiq; à natura quasi arma quædam data sint prudentiæ ac virtutis, quibus in contrarias partes plurimùm uti possit; nihil eo, si virtute careat, sceleratius esse potest, nihil immanius,

3. Romanorum.

Oppositum à contrario è sensu & effectu.

A bove majore discit arare minor.

Illustratio prosyllogistica per similia.

Injustitiæ vituperium.

nius, nihil deniq; ad libidinem & intemperantiam abjectius. Hæc igitur viderunt olim veræ certæq; religionis ignari: nos Christiani non videbimus? Beatum judicarunt eum, qui omnibus virtutibus instructus & ornatus esset: quem nullus metus terreret, nullæ ægritudines cruciarent, nullæ libidines incitarent, nullæ futiles lætitiæ exultantem languidis liquefacerent voluptatibus: nos non idem judicabimus? Illi prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam pluris, quàm divitias, quàm opes, quàm omnia corporis & fortunæ bona, facienda esse censuerunt: nos non censebimus? Clamat sapiens ille legumlator Atheniensium Solon; At nos non commutabimus cum virtute divitias? Celebratur illa Critalai libra, qui cùm in alteram lancem animi bona imponeret, in alteram corporis & externa: tantum propendere illam boni lancem putabat, ut terram & maria deprimeret. Quantò igitur diligentiùs, & ardentiùs nos, quibus ipsa veritas clarissimè lucet, honestatem adipisci, turpitudinemq; fugere, contendere debemus? cùm præsertim id certum exploratumque nos habeamus, de quo illi perpetuò magnoperè dubitârunt. Animos nostros omninò esse immortales: & post hanc infelicem & calamitosam vitam, aliam esse perpetuam ac sempiternam: in qua illis, qui se optimè gesserint, immensa præmia: illis verò, qui se vitiorum illecebris commaculârint, ingentes pœnæ sint constitutæ: Hac fide atq; persuasione inducti, studeamus ea perficere, quorũ gratiâ nos natos esse prudentissimi viri statuerunt. Ajunt enim, Hominem ad intelligendum & agendum esse natum; quasi mortalem Deum: quoniam omnis intelligentia ad aliquem actionis finem semper est refe-

Repetitio honestatis apud gentiles præ Christianis.

Adhortatio.

Persuasio contrarii & quidem boni ad virtutem.

Ratio 1. ab animæ immortalitate.

2. Vitæ æternæ & inferni discrimine.

I. C. Scaliger l. 1. de Plant.

referenda. Sed quid potissimùm curare debet homo, ut intelligat? Certè qua ratione primò seipsum deinde familiam suam, postremò Remp. universam quàm optimè administrare sciat. Hic enim triplex est Moralis disciplinæ fœtus: quem qui benè perceperit, & observârit, is & sapientissimus & optimus appellari meritò poterit. Ac seipsum quidem optimè reget, si quæ de virtutibus ac vitiis ab eruditis auctoribus scripta sunt, & quæ à laudatis viris fiunt, diligenter advertat, ediscat, memoria teneat: deinde in eis multum ac diu se exerceat. Parum est enim ea nosse, quæ facienda sunt: nisi quis re ipsa præstare, atq; exequi agendo contendat. Unde benè dictum est: Virtutem esse actuosam, & ejus omnem laudem in actione consistere. Neq; enim quisquam unquam ideò magnam laudem est assecutus, quòd ea, quæ recta sunt, intelligeret; sed quòd in eorum actione studiosè diligenterq; se exerceret. Hinc Aristidis justicia, Themistoclis fortitudo, Phocionis temperantia celebratur; non quod illi præstantes viri virtutes has, quæ & quales essent, intelligeret: sed quòd primus eximiæ justiciæ, alter fortitudinis, tertius temperantiæ opera præstiterit. Discat igitur, qui se ipsum optimè regere concupiscit, primò, quid in quaq; re verissimum sit, quid expetendum aut fugiendum; deinde quid in hominum societate tuenda, tribuendoq; suum cuiq; & rerum contractarū fide conveniat: tum quid animi excelsi atq; invicti magnitudinem ac robur efficiat atq; conservet: deniq; in omnibus, quæ fiunt, quæq; dicuntur, qui modus & ordo servandus sit: postremò quibus modis appetitus rationi pareat, quo nihil est ad omnem vitam accommodatius. Eodem modo, qui familiam ac domum suam accuratè velit

Hominis finis est unio intellectus cum Deo. Deus unionis finis.

Comprobatio per exempla.

Boni viri requisita.

Patris familias boni munus.

velit instituere, priùs ea percipiat oportet, quæ de re uxoria, de paterno imperio, de herili potestate, de instrumentis tàm animatis; quàm inanimatis, de tuenda re familiari tradũtur; in eisq; se frequenter exercendo, in usum & habitum deducat. Omnis enim virtus ex frequentibus fit actionibus, Neque satis est, semel atq; iterum benè aliquid agere, ut benè agendi tibi habitum compares; verum optima intelligentia, constante voluntate, longo tempore, magnâ exercitatione opus est: & quò res illa, cui studemus, præstantior fuerit; eò etiam majori ingenio, & diuturniore labore semper indiget. Et qui benè Remp. velit administrare, quod tertium in morali Philosophia docetur, eum non tantùm longo rerum usu magnam sibi prudentiam comparâsse oportet; sed omnibus etiam aliis virtutibus instructum esse: ut reliquos omnes & consilio regere, & constantiâ tueri, & æquitate conciliare, & vitæ integritate, quocunq; voluerit, impellere posit. Necesse est igitur ut jus civile perdiscat, leges cognoscat: omnem antiquitatem percipiat: senatoriam consuetudinem, judiciales controversias, disciplinam Reipublicæ, jura sociorum, fœdera, pactiones, causas imperii teneat. Hæc enim una est sapientia, quæ reliquis omnibus humanis rebus antecellit: de qua ita apud Ciceronem Scipio superior: Nihil est enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quàm concilia cœtusque hominum jure sociati, quæ civitates appellantur: harum rectores & conservatores hinc profecti, huc revertentur. Quòd si quis hanc triplicem facultatem assequi potuerit, ut & seipsum, & familiam & civitatem optimè regat, quid ei deesse poterit ad bene beateq; viven-

Solus & artifices qui facit, usus erit.

Magistratus non è libro; sed gubernaculo.

Comprobatio ab exemplo.

Conclusio.

vivendum? Profectò nihil. Atqui hæc omnia moralis una Philosophia sui studioso præstituram se pollicetur: ut non sine maxima causa Cicero, cùm hæc præclarè intelligeret, ita exclamare non dubitârit: O vitæ Philosophia dux! O virtutis indagatrix, expultrixq; vitiorum! quid non modò nos sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti: Tu dissipatos homines in societatem vitæ convocâsti: tu eos inter se primò domiciliis, deinde conjugiis, tum literarum & vocum communione junxisti: tu inventrix legum: tu magistra morum & disciplinæ fuisti. Hæc & hujusmodi alia multa in Moralis Philosophiæ laudem jure optimo declamat Cicero. Quid enim aut pulchrius aut jucundius esse potest eo virtutum cœtu, quo cùm exornatus est animus, quasi in clarissimo quodam ac sublimi loco positus, infra se cœcas hominum mentes videt variis erroribus implicatas, & pro veris bonis inanes tantùm bonorum umbras prosequentes, assiduis fortunæ tempestatibus agitatas; se verò tanquam in tranquillissimo portu constitutum, nullas ampliùs turbulentas pertimescere tempestates? Nam verissimè Poëta Satyricus ait:

Qui sibi imperare nequit, quomodo aliis imperare poterit?

Exclamatio cum enumeratione commodorum.

Virtutis laudes & fructus.

Semita certè
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.

Ac primò quidem sese offert illa, quam Plato reliquarum virtutum ducem & moderatricem appellat, Aristoteles principem architectandi cæteras virtutes; Cicero vivendi artem & magistram; quoniam reliquis virtutibus, tanquam administris ad sapienter agendum utitur, ut earum ordinem, opportunitatem, agendi rationem ostendit: ipsa verò tanquam mentis oculus est undique lucidissimus: quæ, ut scienter ait Horatius:

Declaratio per species.

Quod

Quod verum atque decens est, curat & omnis in hoc est:

Hanc Latini Prudentiam, quò res expetendas & fugiendas, veras & falsas acutè provideat, appellare voluerunt. Ejus enim unius propria est indagatio atq; inventio veritatis. Græci φρόνησιν vocant, quod à vera perfectaq; mente proficiscatur; unde modum & exemplar pulcherrimum omnium suarum actionum deducit. Quòd si qua nobis cum Diis immortalibus communitas intercedit, ea maximè virtutis hujus gratiâ consistit. Itaq; non sine causa Juvenalis clamat:

1. A prudentia.

Nullum numen abest, si sit Prudentia.

Est autem Prudentiæ comes, ut ait Plato, veritas, quæ cœli civis est, & sola Deorum convictu fruitur; quam mens avidissimè complectitur, & cum ea semper esse desiderat. Hæc eadem virtus est quæ gravissimo nomine Sapientia vocatur, quæ scientia pollet una: qua qui verè prædit sunt, soli sunt beati, duplicíq; nomine decorantur. Quatenus enim rerum divinarum atque humanarum scientiam tenent, Sapientes appellantur: neque tantùm moralem, sed etiam naturalem, & divinam Philosophiam amplectuntur: quatenus autem res expetendas fugiendasq; discernunt. Prudentes nominantur. Ac sapiens quidem talis existit, qualem Ovidius Pythagoram describit, hoc modo:

Immoratio in prudẽtia laude. Sapientia & prudentia discrimen.

Mente Deos adiit & quæ natura negavit
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.
Cumq; animo, & vigili perspexerat omnia cura,
In medium discenda dabat, cœtumq; silentum,
Dictaq; mirantum: magni primordia mundi,
Et rerum causas, & quid natura docebat;
Quid Deus unde nives, quæ fulminis esset origo
Iuppiter, an ventis discussa nube, tonarent;

Vide C.8. lib. sapientia in SS.

Quid

Quid quateret terras; qua sidera lege mearent;
Et quotcunq; latet. Quid autem illo homine beatius esse potest, qui in his habitet pernoctetq; cogitationibus? qui omnium eorum, quæ in cœlo, quæ in mari, quæ in terra fiunt, diligentissimè causas investiget & inveniat? qui non hac tantùm sapientia; sed etiam illa prudentia fretus, cùm ad res gerendas adhibetur, possit ea verè dicere, quæ Ulysses apud Ovidium de seipso contra Ajacem hoc modo jactat, & gloriatur:

Tu vires sine mente geris, mihi cura futuri:
Tu pugnare potes, pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides: tu tantùm corpore prodes,
Nos animo: quantoq; ratem qui temperat, anteit;
Tantum ego te supero. Omninò prudentes ac sapientes viri maximam ubique dignitatem obtinent, eos reges, principes, imperatores observant, populi admirantur, omnes deniq; suspiciunt: hi soli civitates benè regere, leges & instituta condere, mores emendare, discordias & seditiones tranquillare, summamq; in populis concordiam & pacem conciliare facilè possunt. Hic est ille sapientissimus vir, quem divinus Poëta Virgilius in seditione vulgi furentis ita describit:

Tum pietate gravem, ac meritis si fortè virum quem
Conspexere; silent, arrectisq; auribus adstant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Huic succedit ea, quam Justitiam appellamus; quæ tantæ dignitatis est, ut virtutum omnium, quæ in actione totam commendationem suam habent, domina & regina meritissimo prædicetur. Ut enim prudentia in intelligendo; ita justitia in agendo principem locum obtinet. Unde rectè dixit Euripides: Justitiam os aureum habere, neque hespe-

2. A Iustitia.

rum

rum aut luciferum tantam sui admirationem concitare. Ex quo factum est jam tritum sermone proverbium; Justitiam in se virtutes omnes continere. Hæc enim (ut ait Cicero) societatem hominum inter ipsos & quasi vitæ communitatem continet: in hâc virtutis splendor est maximus: ex hac una boni viri nominantur: nulla civitas, nullus hominum cœtus, nulla vitæ communitas sine justitia esse potest: imò verò neq; latronum & improbissimorum hominum conventicula, nisi justitiæ aliquo vinculo colligentur, ullo modo consistere diutius possunt. Herodotus autor est, apud Medos olim justitiæ fruendæ gratiâ benè moratos reges fuisse constitutos: quoniam hoc munus omninò regium est, populos justo imperio continere. Qua de causa Poëtæ Justitiam Jovis ipsius Deorum atq; hominum regis filiam esse cōfinxerunt, & esse perpetuò virginem: quia sit constans, fidelis, vera atq; integra. Hæc una nobis Deorum religionem, patriæ caritatem, parentum pietatem, fraternum amorem, bonorum hominum amicitiam ingenerat: hæc honeste vivere, alterum non lædere, suum cuiq; tribuere docet: ab hac initium est perpetuæ commendationis & famæ; sine qua nihil omninò potest esse laudabile: hæc est legum omnium, jurium, institutorum, decretorum, conventionum, fœderum, pactorum fundamentum; ut qui justitiam contemnit, nullo penitùs humanitatis jure cum aliis sociari possit. Ecce autem illa, quæ in magno & excelso animo posita; pro justicia & æquitate pugnat; quæ pro communi utilitate, pro honestate, pro dignitate, pro gloria pericula quæque subire parata est, & mortem doloresq; contemnit; quæ injuriam à se atq; à suis propulsat: quæ nullo metu, nullâ cupi-

Anaphora.
A minori.

Justitia natales.

Justitia dotes & effectus.

3. Transitio.

ditate frangitur; quæ invictam se à labore, atq; voluptate præstat: quæ nunquam in rebus asperis perturbatur: quæ in omni re gerenda, consilioque capiendo constantiam servat: quæ viri maximè propria est, Fortitudo. Hæc est illa, quæ res humanas despicit, atq; infra se positas arbitratur, neq; fortunæ ulla fulmina pertimescit, neq; ulla ægritudine concutitur neq; unquam malis cedit: sed in ea semper audentior insurgit. Hic est ille fortis & constans animus, quem, (ut ait Horatius)

Ad fortitudinem & cum tolerātia constantiam.

Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinæ:

qui pro patria, pro aris & focis vitam exponere nihil dubitat, & sua sponte se periculis objectat; neq; expectat, ut ab aliquo excitetur; sed ultrò alios ipse excitat; ut apud Virgilium Turnus milites suos:

Quod votis optâstis, adest, perfringere dextra,
In manibus Mars ipse viri: nunc conjugis esto
Quisq; suæ tectiq; memor: nunc magna referto
Facta patrum, laudes: ultrò occurramus ad undam
Dum trepidi, egressiq; labant vestigia prima.
Audentes fortuna juvat.

Sunt autem hæc splendidissima, quæ animo magno elatoq; humanasq; res despiciente fiunt; & nescio quo modo pleniori ore laudantur. Hinc omnis disciplina militaris & bellica virtus, quæ cæteris præstat omnibus: in cujus tutela ac præsidio omnes urbanæ res, & omnia præclara studia latent: hinc Camilli, Fabii, Scipiones, Decii, Cæsares, innumerabilesq; alii sibi æternam gloriam pepererunt. Sequitur ea, quæ rebus in omnibus modum atq; ordinem servare docet; quæ reliquarum virtutum quasi condimentum quoddam est, quæ pacem animis affert, & eos concordia quadam placat

Vera fortitudinis & animositatis dotes.

ac lenit; quæ moderandis cupiditatibus, regendisq; animi motibus laudatur, cui Temperantiæ nomen est. In hac est verecundia, & quasi quidam ornatus vitæ, omnisq; sedatio perturbationum animi: hæc est rationis in libidinem atq; alios non rectos impetus animi summa & moderata dominatio: hanc unã Menander virtutis domicilium esse censuit: hanc Plato in Charmide humanæ vitæ custodem appellat. Idem in Gorgia præcipit, ut qui felix ac beatus esse velit, temperantiam exerceat. Xenophanes nihil in homine mali nasci posse dixit, qui temperantiam, quæ sapientiæ fundamentum est, amplexus fuerit. Neq; enim virum temperatum blandissimæ dominæ voluptates unquam decipiunt; hic à rebus alienis manus, oculos, mentem continet: hic nullis vitiorũ illecebris irretitur: hic parcè, continenter, severè, sobriè vitam agit, neq; ulla unquam luxuria diffluit. Quin etiam hæc una virtus non tantùm aliarum virtutum custos & conservatrix est, sed etiam bonæ valetudinis mater: itaq; sapientissimis viris semper amicissima fuit. Quanta enim temperantia vixisse memorantur olim apud Græcos Socrates, Plato, Xenocrates, aliiq; plurimi: apud Romanos Fabricius, Curius, Scipiones: deniq; omnes apud universas nationes, quicunq; avidi laudis & gloriæ, magniq; nominis appetentes fuerunt; & honestè vivere concupiverunt? Hic est ille concentus omnium virtutum undiq; perfectus & absolutus, quo noster animus cùm informatus fuerit, divinus efficitur; & eo splendore decoratur, ut nihil admirabilius in toto terrarum orbe, nihil præstantius, nihil speciosius esse posſit: quem non modo ego brevi hac oratione mea, sed ne vir quidem divina præditus eloquentia quisquam immensis volumini

Ad temperantiam.

Teste Platone.

Temperantiæ commendatio singularis.

Ab exemplis.

Virtutum effectus.

minibus explicare, atq; exornare satis pro dignitate valeat. Quamobrem vos quæso, viri Mediolanenses; quod nemo verbis efficere potest, ut omnium virtutum excellentiam persequatur, supplete cogitatione vestra, quæ omnis infinitatis, facilè capax est; & quæcunq; vult, ita sibi repræsentat, quasi ea, quæ oculis cernimus. Fingite igitur animis vestris eam honestatis & sapientiæ formam, quam oculis ipsis videre non possumus: quam putatis illam ardentes amores excitaturam sui, si videretur? Nam si corporum pulchritudine tantùm incendimur: quid futurum censemus, si mirificam illam animorum dignitatem, omnium virtutum numeris absolutam ac perfectam, oculis cernere possemus? Sed belluarum est atq; imperitissimorum hominum, sensibus tantum corporis, non autem animi intelligentia moveri: neq; cogitare, quantum animus corpori præstat, tantum etiam animi ornamenta corporis ornamentis antecellere. Vos autem juvenes, & expoliti viri, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis, dies noctesq; animo vestro pendite, quid gravitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid deniq; virtus valeat: quam quibus verbis melius aut elegantius, quàm ipsius oratorum principis Ciceronis commendari vobis possumus? *Virtus igitur* (ait Cicero) *in tempestate* sæva quieta est; & lucet in tenebris; & pulsa loco, manet tamen, atq; hæret in patria; splendetq; per se semper, neque alienis unquam sordibus obsolescit: hæc altissimis defixa radicibus, nunquam ulla vi labefactari, nunquam dimoveri loco potest: hæc neq; eripi, neq; surripi potest unquam; neq; naufragio neque incendio amittitur: hac qui præditi sunt, soli sunt divites. Cogitate quid

Conclusio generalis.

Idea.

Exaggeratio per collationem.

A simili.

A minori ad majus.

Adhortatio.

Et quidem à virtutis ipsius præstantia.

8. Ab exemplo.

I. Lipſ. l. 3. Stoic. Phil. Eſt etiam, quod ex aliquo magno viro vel tacente proficias.

Modus perveniendi ad honeſtatem morum.

illo viro nobilius, quid præſtantius, quid honorificentius dici aut fingi poſſit, qui ita ſuum animum exornârit, ut omnia prudenter, juſtè, fortiter & temperatè gerat; qui tanquam Deus quidam mortalis, & ſeipſum, & familiam & univerſam Remp. optimè regere atque adminiſtrare ſciat; ad quem tanquam ad oraculum undique conſilii capiendi gratiâ populi ac nationes confugiant, quem omnes ſuſpiciant, omnes admirentur; omnes digito commonſtrent, una voce laudent, extollant, felicem, beatum prædicent. Et cum illum animo veſtro tam præſtantem atq; eximium virum intuiti fueritis; tum in vos ipſos deſcendite; & omni cura, ſtudio, labore tales eſſe contendite, ut vel cùm eo conferri, vel ſaltem ad eum quam proximè accedere valeatis. Quod ita demum aſſequi poteritis, ſi hanc honeſtè vivendi artem atque diſciplinam, quam hoc anno vobis explicare decrevimus, ſumma cum attentione primo didiceritis; deinde quotidiana exercitatione ad uſum atq; experientiam deducere contenderitis. Neq; enim hujus diſciplinæ finis eſt cognitio; ſed actio. Quòd ſi vos ullus laudis amor tangit; ſi præſtare cæteris animantibus ſtudetis: ſi deniq; vobis aliqua eſt benè beateque vivendi cura quæ maxima eſſe debet: hæc, ad quæ vos adhortati ſumus, omni diligentiâ perficietis.

DE PARENTUM IN ERUDIENDIS LIBERIS ATQVE ADOLESCENTIUM IN STUDIIS OPTIMARUM ARTIUM OFFICIO, AD MEDIOLANENSES.

ORATIO XV.

Non procul abit à proxima. Nam cum deliberatione consilium optimum dat Parentibus, quo in regendis & erudiendis liberis maturè utantur; Nam ut Poeta canit, adeo à teneris assuescere multum est. Et alius succinit:

Quo semel est imbuta, recens servabit odorem testa diu.

Et Tullius alicubi conqueritur: Multiplicia sunt puerorum ingenia, quibus regendis magistri habent negotii satis; sed hic aliquid consilii & auxilii datur, quo levius & expeditius fiat illud onus.

Exordium à collatione diversitatis ingeniorum.

CRedo ego, vos unà mecum frequenter admirari, Viri Mediolanenses, quid in causa sit, quòd cùm omnes ferè nostri adolescentes, præter cæteros ingenio memoriaq; præcellant, & quodam etiam naturali mentis instinctu afflatuq; quasi divino trahantur ad cognitionis & scientiæ cupiditatē, magnaq; sint in hac civitate literarum studiis, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem proposita præ-

Applicatio.

Ratio & quidem duplex.

mia: tam pauci tamen ex eis emergere, & bonis in artibus excellentes evadere soleant. Ac mihi quidem diligenter hoc animo volventi atq; reputanti, cum hujusce mali permultæ esse causæ, tum duæ præcipue videntur: quæ si quo modo radicitus extirpari atq; evelli possent; tum vero spem minimè dubiam conciperem fore, ut brevi tempore nostri homines multùm cæteris hominibus omnium gentium literarum gloria præstarent. Dicam enim audacter id, quod verum est: Nimis indulgentes sunt in liberos suos cives nostri; & teneriore, quàm conveniat ac deceat, eos animo complectuntur. Quæ sanè mihi prima atque maxima videtur esse causa, cur plerunque tardiores atque segniores ad humanitatis ac literarum studia fiat. Ita enim ingenium est omnium hominum (quod ait Comicus) à labore proclive ad libidinem: ut nisi puerorum atque adolescentium animi severitate quadam, & frequentissimis quasi stimulis orationis ad honestatem excitentur; jurgiis autem & minis, vel etiam graviori, cum opus fuerit, reprehensione à turpitudine retrahantur; facilè studiis honestatis derelictis, in omne dedecus prolabantur. Nescit enim ætas illa rerum ullum modum suis in actionibus observare; sed quocunque rapit eam vehementior appetitus atq; cupiditas, eò sine diligenti cogitatione facillimè declinat. Altera est ejusdẽ mali causa, quoniam labores & vigilias, eamq;, sine qua nihil, quod laude dignum sit, assequi quisquam potest, diligentiam adolescentes pleriq; nostri refugiunt; & ea tantùm à pueritia percipiunt, quæ Præceptorum ope, sine studio suo, sine industria, sine labore percipere possunt. Nam per Deos immortales, quid adolescentibus nostris, dum iis in ar-

Remora disciplinæ.

Cur pueri ad desidiam procliviores?

artibus, quibus ætas puerilis informari solet, à Præceptoribus derinentur, ingeniosius? quid acutius? quid magis docile? quàm enim facilè, quæcunq; traduntur, percipere solent? quàm fideliter continere? quam deniq; mirabiles brevi tempore progressiones in percipiendis disciplinis efficiunt? quoniam eo tempore non sua, sed præceptorum tantùm industria atq; diligentia nituntur. Sed postquam è pueris excesserunt, nec ampliùs adest illis præceptorum cura, qua sedulò priùs ad studia trahebantur; liberius vivendi potestatem nacti, literarum studia, quasi servile quoddam jugum, aspernantur & rejiciunt: tantumq; abest, ut eam, quam à primis annis perceperant, eruditionem augere studiosè contendant, ut etiam, quæ anteà summa cum præceptorum assiduitate didicerant, oblivioni penitus tradant. Hujus igitur cessationis atq; negligentiæ partem sibi parentes ipsi vendicant, qui filiis suis habenas usq; eò laxant, ut in eis plerunque sit omnium rerum infinita atq; intoleranda licentia: partem etiam adolescentes, quos cœca & temeraria dominatrix animi cupiditas tantùm exagitat, ut ante eorum oculos non honor, non gloria, non dignitas, sed ludi, joci convivia, voluptates observentur. Itaq; cùm hanc tantam adolescentium corruptelam plerunq; multarum in Republica causam esse calamitatum non ignorem; neque publicis tantùm; sed etiam privatis rebus sæpissimè maxima videam afferre detrimenta: statui, si quo modo fieri poterit, hodierna concione mea rationem atq; modum ostendere, quò non solùm vitium hoc emendare; sed etiam facilè possint & parentes liberos suos in dignitatis atque amplitudinis via continere; & ado-

Comprobatio per interrogationem.

Oppositi ratio.

Utrimq; culpa partim parentum, partim adolescentium.

Propositio.

lescentes ad eam scientiarum & virtutum metam, quæ sit etiam ad posteritatis memoriam gloriosa, contento studio cursuq; pervenire. Quod dum facio, quæso vos, ut me attentissimis animis summâ cum benignitate, sicuti facere instituistis, audiatis. Est enim (ut hinc primum exordiar) in ipsis parentibus maximè situm, ut intemperantiam caveant, & verecundiæ meminerint adolescentes, & honestatis cursum teneant, & deniq; capiant gloriæ portum & dignitatis. Quod ita facilime facient, si ab ipsis statim incunabulis acerrimam illis curam impenderint, ut cum nutricis lacte moribus quam optimis imbuantur; ut non in delicato, sed simplici victu; non in otio, sed labore: non in luxu, sed rerum omnium parsimonia; non in temeritate & audaciâ; sed modestia & verecundia: non in licentia, sed timore: non in puerilibus nugis, sed in liberalibus disciplinis, primam eam ac teneram ætatem traducant. Atq; illud in primis apud animum suum parentes statuant. Nullas se filiis suis præstantiores posse divitias relinquere, quàm si eos bonis artibus instructos, & benè moratos reliquerint. Tales enim (ajebat Aristippus) nobis opes comparandæ sunt, quæ, si fortè naufragium facere contingat, unà cum domino possint enatare; quæ nec eripi, nec surripi possint: nec temporum, nec tempestatum permutatione mutari: quas nobiscum habere, nobiscum semper afferre possimus: ut si fortè peregrinari, solumq; vertere contigerit, liceat nobis cum Biante Prienensi dicere: Ego omnia mea mecũ porto. Quare multò magis filiorum animos, quàm corpora curare parentes debent. Sic enim quæso mecum, optimi Cives, cogitate: Si cui vestrum fortè filius dilaceratis vestibus, deformata facie, luto squalore obsitu

Attentio.

Narratio.

Modus instruendi.

Artes cum lacte materno sugere.

Exaggeratio per membra opposita.

Patrimoniũ quoddam optimum?

Eruditio incorruptibilis.

Apophthegma Biantis.

Ratio à nobilitate subjecti.

obsitus, macie atq; fame confectus occurrat, an non cujusque vestrum animum ad misericordiam ita commoveat, ut lachrymis præ nimio mœrore totus destillet? Cur igitur, cùm eundem filium ab omni honestate alienum, improbum, flagitiosum, obscœnis tantùm voluptatibus deditum videris, non eodem modo commoveamini? non omni studio, cura, diligentia laboratis, ut in viam redeat? ut turpem illam vivendi consuetudinem relinquat? Cur vos ipsi indulgendo facitis, ut deteriores quotidiè fiant? Utinam (ait Quintilianus) liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus. Infantiam statim deliciis solvimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam appellamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. Quos enim virtutum fructus adulta jam ætate laturum eum animum spe rare possumus, qui à teneris unguiculis vitia statim imbibit? Quid non ætatis progressu concupiscet, cujus infantiam parentes, argento, auro, purpura, preciosis atq; holosericis vestibus exornant? Quàm in adolescentia temperantiam præstare poteritis, quem puerum atque adeo infantem parentes conquisitissimis epulis, & obsoniorum omni genere saturant? Qua ratione sobrius in reliqua vita fiet ille, quem à pueritia parentes ebriosum efficiunt? Hæc nimirum in causa sunt, ut optima nostrorum adolescentium ingenia tâm facilè corrumpantur; ut omnis ferè juventus nostra voluptati se dedat, laborem effugiat, nihil cessatione melius existimet. Educantur enim ab infantia molliter & delicatè, stipantur muliebri & delicato ancillarum puerorumq; comitatu: molles tantùm; atq; etiam sæpissimè turpes audire sermones assuescunt: adest in mensa mater, quæ illis ad nutum, quæcunq; vo-

Illustratio à comparatione.

Increpatio matrum nimis lenium in natos.

Qualis surculus; talis arbor. Adeò à teneris assuescere multum est.

Corruptæ disciplinæ origo.

Ab educatione nimis blanda.

luerint, obsonia subministret: quæ merum affatim præbens, cor & vitam suam appellet: quæ cujusq; generis bellaria dulcissima frequenter ingerat: adsunt, qui illis assiduè blandiantur, qui adulentur, qui dominos ac principes appellent, qui jam puellas & amicas illas præparent: ipse vero puer fulget in purpura, tantis affluens delitiis, ut ad omnia quodammodo nauseare videatur: omnes jam quodam supercilio contemnat: & jam vulnera, jam mortes minitetur: cùm interim parentes gaudeant; si quid fortè majore cum licentia dixerit, & verba quavis acri reprehensione dignissima cum risu & osculo excipiunt. Et quisquam erit, qui cùm hæc intelligat, admiretur, tam paucos esse; qui doctrinarum gloriam capessant! Magna vis est consuetudinis; quæ non facilè cùm inhæserit, extirpari potest: sed quasi in naturam abit. Itaq; fit, ut juventus nostra, postquam adoleverit: ne si voluerit quidem, has infantiæ delicias prorsus exuere possit. Et quamvis nonnulli fortasse reperiantur, qui inter hanc tam mollem vivendi rationem, inter tantam parentum negligentiam atque indulgentiam nonnunquam emergant, & in præstantes viros evadant: quales multos habet hæc nostra civitas: non tamen ideò sperandum est, etiam reliquos horum vestigia secuturos. Id enim verissimum est, quod ait Satyricus:

Per adulationemq; & jocum.

Conclusio prioris.

Cur inter tot tam pauci studiosi?

Consuetudo est velut altera natura.

Objectio per concisionem.

Solutio.

Forsitan hæc spernāt juvenes, quibus arte benigna,
Et meliore luto finxit præcordia Titan.
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.

Conclusio generalis, cur consue-

Quamobrem qui parentes liberos suos ad gloriam, ad opes, ad dignitates aliquando maximas pervenire concupiscunt, hos penitus exuere mores, hanc immu-

immutare consuetudinem prorsus oportet: quæ tam perniciosa est, & puerorum ingeniis detrimenti tantum afferre solet, ut etiamsi optima nata fuerint; omninò brevi tempore depraventur. Servandumq; est ejusdem Poëtæ præceptum illud optimū:

tudo tàm ægre extirpetur.

Nil dictu fœdum, visuq; hæc limina tangat,
Intra quæ puer est; procul hinc procul inde puellæ,
Lenonum & cantus pernoctantis parasiti,
Maxima debetur puero reverentia.

Confestim igitur ita puer educandus, atq; monendus est, ut ne quid cupidè, ne quid improbè, ne quid impotenter faciat; habendumq; in animo semper illud Virgilianum:

Adeò à teneris assuescere multum est.

Abeunt (ut ait Ovidius) studia in mores. Ferunt olim puerum quendam, Platonis discipulum, cùm domum reversus parentem suum nimis effusè ridentem videret, vehementer admiratum dixisse. Quid hoc, pater, est, quod tam immodicè rides? equidem apud Platonem nihil unquam tale conspicatus sum. Faciles enim ad utramq; viam puerorum animos natura gignit: ut cùm ducem nacti sunt vel ad honestatem, vel ad turpitudinem, non admodùm repugnantes sequantur. Itaq; præcipuum hoc parentis officium esse statuo, ut nulla in re filiis suis nimium indulgeat: ut omnes ab eis delicias moveat: ut neminem ex familia, quem obscœnis moribus esse sciat, cum filiis consuetudinem habere patiatur, ut eos cujusq; generis laboribus assuefaciat: ut in vitæ frugalitate temperatis escis, modicisq; potationibus educet: ut & ipse doceat, quæcunq; potest: & probos atq; eruditos eis Præceptores quærat: imiteturq; Catonem illum Censorium, virtutum omnium pulcherrimum exemplar, qui

Ab exemplo miro.

Esse in utrumq; proclives.

Adhortatio ad parentum officia.

Requisita ad institutionem.

qui

Ab exemplo pulchritudinis Romanæ insignis.

qui præceptor ipse filii sui esse voluit, quamvis Chilonem optimum apud se Grammaticum haberet. Eum enim & literas & leges Romanas edocuit: eum jaculari, & arma tractare, equitare: calorem & frigus, famem & sitim tolerare; rapidos gurgites, & velocissimos fluvios tranare, ita assuefecit, ut nullus ex omni Romana juventute his in artibus eum antecelleret. Præterea Romanas Historias manu propria majusculis literis exarâsse dicitur; ut majorum suorum exempla, qui fuerant omni genere virtutum cumulati, semper ante oculos habere filius posset. A verborum non tantùm obscœnitate atq; turpitudine; sed etiam licentia, præsente filio, perinde temperavit, quasi cum Vestalibus virginibus loqueretur. Legerat enim, (ut arbitror) Platonem, illum gravissimum honestatis præceptorem, in omnibus ferè Dialogis suis parentes in primis ad rectè liberos educandos adhortari. Primam enim & maximam Reipub. curam in juventute liberaliter instituenda consistere Plato judicat: quæ deinde parentibus succedens, universam Rempub. & prudentia, & optimis consiliis, & motum integritate non solùm tueatur atq; conservet: sed etiam exornet & amplificet. Quòd si quando magna opus est in filiis custodiendis diligentia: tunc certè maxima est adhibenda, cùm à privatis præceptoribus profecti, vivere liberius incipiunt. Nam anteà ita facilè scire possumus, aut ingenium noscere, dum ætas, metus, magister, ut ait Terentius, prohibent: at verò cùm à pueritiæ disciplina discesserint, tunc maximè cujusque natura sese effert: quæ quasi custodiæ vinculis exemta, quocunq; tulit eam impetus, sine cogitatione defertur: quòd nisi rector aliquis adsit & moderator, qui auctoritate

Industria scribendi.

Modestia in sermone.

Ratio unde fons educationis & eruditionis.

Transitio ad majus studium si majores.

Ratio.

tate sua consilioque revocet ab iis cupiditatibus, quibus ætas illa majorem in modum obnoxia est, ad deteriorem partem plerunq; sese applicat. Tunc enim, quemadmodum rectè ait Persius,

Iter ambiguum est: & vitæ nescius error
Deducit trepidas ramosa in compita mentes.

Tunc quivis est (ut Horatius verissimè scribit)

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.

Horat. Tandem custode remoto gaudet equis &c.

Eo potissimùm tempore corporis voluptas, illecebra turpitudinis temerè & effrenatè sensus movet: quæ boni naturam fallaciter imitando adulterat; quam Plato escam malorum appellat; in cujus regno virtus consistere non potest. Ab hac blandissima domina, nisi omni cura atque diligentia retrahantur adolescentes, sæpè majores animi partes à virtute detorquent & paulatim omnem honestè vivendi rationem deserunt. Quod utinam non nimis frequenter nostris adolescentibus accidere videremus: quorum eo tempore curam parentes dimittunt, quo maximè curare eos oporteret: decimum enim sextum aut septimum agentes annum, qua quidem ætate, propter sanguinis fervorem, cujusq; generis voluptatibus æstuare magnoperè solent, sine ullo morum custode; sine studiorum moderatore, vel ad publica Gymnasia, quæ nostra tempestate scatent omni flagitiorum genere, mittunt: vel liberè, quocunq; voluerint, evagari patiuntur. Itaq; mehercule minimè mirum est, si labores omnes & vigilias aspernantur: voluptates autem & otium ambabus (quod ajunt) ulnis amplectuntur: cùm ab ipsa pueritia deliciis affluentes, nullam unquam corporis incommoditatem sentiant; ineunte verò adolescentia rerum omnium infinitam licentiam nanciscantur, ut suo arbitratu, quicquid libido

Ab incommodo neglectæ disciplinæ.

Ab importunitate temporis transmittendi juvenes ad Academias.

Otium hebetat, labor roborat.

bido præscripserit, aggredi possint: ut eorum tantùm, quos flagitiis atq; improbitati suæ favere senserint, consuetudinem & familiaritatem sequantur.

Oppositum à diverso Romanorum more.

Non hæc erat veterum illorum sapientissimorum hominum Romanorum consuetudo, qui ita suos adolescentes instituebant, ut ætate illa lubrica, cui inest maxima imbecillitas consilii, majores natu non aliter vererentur, quàm si communes omnium parentes essent: exq; his deligerent optimos & probatissimos, quorum consilio atque autoritate niterentur.

Delectus præceptorum.

Ratio.

Putabant enim ineuntis ætatis inscitiam, senum prudentia constituendam atque regendam esse: maximè autem hanc ætatem à libidinibus arcendam, exercendamq; in labore, patientia & animi & corporis arbitrabantur: ut eorum & in bellicis & in civilibus officiis vigeret industria.

Ab autoritate Maronis.

Quem quidem exercendæ magnis in laboribus juventutis morem antiquæ Italiæ fuisse Numanus quidam apud Virg. his verbis ostendit:

Durum a stirpe genus; natos ad flumina primum
Deferimus, sævoq; gelu duramus & undis.
Venatu invigilant pueri, silvasq; fatigant.
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornis.
At patiens operum, parvoq; assueta juventus
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.

Ab exemplo Lacedæmonum.

Legimus Lycurgum, Lacedæmonium Legislatorem, inter alias præclarissimas leges suas instituisse, ut adolescentes perpetuis in laboribus exercerentur; una tantùm veste, sive hyems, sive æstas esset, uterentur: sine ullo pulmento vescerentur;

Exercitia juventæ.

nihil sibi somni causa substernerent: venando, currendo, sudando, ciborum condimenta quærerent: famem, sitim tolerarent: quibus ex rebus fiebat, ut invicto prorsus animo Spartana juventus esse vide-

retur

retur. Persarum in adolescentibus instituendis morem & consuetudinem Xenophon exponit, quos à natu majoribus in omni disciplinarum genere, magnisq; in laboribus continenter exerceri tradit: & prætereà tam tenui victu sustentari, ut eos neget ad panem adhibere quicquam, præter nasturtium. Jam verò (ut ad Romanos revertar) majores natu superiorum suorum res egregiè gestas ad tibiam, carmine comprehensas, recitare solitos accepimus; ut ad eas imitandas juventutem alacriorem redderent. Quod si quando juvenibus relaxare animos, & dare se jucunditati concedebant: in ejusmodi etiam rebus, ut facilius intemperantiam caverent, majores natu volebant interesse. Inde oriebantur imperii clarissima lumina, Camilli, Scipiones, Fabricii, Catones, Fabii, cæteriq; innumerabiles viri præstantissimi: qui honoribus, & rerum gestarum gloriâ florentes, maximum patriæ suæ splendorem atq; adjumentum attulerunt, suum verò nomen in orbis terræ memoriam sempiternam disseminârunt. Hæc tàm egregia veterum, in custodienda exercendaq; bonis in artibus juventute, si nostri cives exempla sibi proponerent, eaque imitari magno studio, summaq; industria contenderent, minimè dubitandum esset, quin plurimos non tantùm iis, qui diversis in regionibus vivunt, eruditissimis viris præstantiores: sed etiam qui cum antiquis scientiæ gloria certare facilè possent, brevi tempore latura hæc esset civitas. Neq; enim existimandum est, tardiora aut hebetiora esse nostri temporis ingenia, quàm antiquorum fuerint. Quod sanè multis in rebus haud difficulter intelligi potest, quæ longè subtilius aut ingeniosius hoc nostro tempore tractantur, quàm

A Persarum more.

A Romanorum consuetudine.

Temperantia commoda.

Applicatio per adhortationem.

Ratio per collationem prisci & nostrati ævi.

Prærogatiba antiquorum. quam antiquis temporibus tractatæ fuerint. Sed si qua in re veteres antecelluerunt: non mentis acumine, sed industriâ; non ingenii sagacitate, sed incitato studio; non deniq; memoriæ tenacitate, sed assiduo labore superârunt. Itaq; si nobis idem labor, idem studium; eadem industria, qua illi utebantur, statim ab ineunte ætate adhiberetur: fortasse & in Philosophia Platones aliqui aut Varrones: & in Mathematicis Archimedes aut Caji Sulpitii: & in arte Poetica Homeri aut Virgilii: & in Eloquentia Demosthenes aut Cicerones: & in Jure civili Solones aut Scævolæ: & in arte Medica Hippocrates aut Cornelii Celsi: & in Historia Thucydides aut Salustii: & deniq; in Grammaticis Aristarchi aut Palæmones, nostris etiam temporibus exorirent videreutur. Dixi de parentum officio. Nunc de ipsis adolescentibus, quorum maximè interest, aliquantò plura dicam. Quamvis enim parentum cura atque diligentia ad filiorum eruditionem & excellentiam omnium maximè prosit; non tamen ideò sola sufficit. Nam nisi ipsorum etiam adolescentium studium & amor adjungatur: vanus est omnis parentum labor, inanis omnis industria. Quot enim ferè quotidiè videmus optimos cives mirè de suis filiis esse solicitos, ut & præceptores eruditos habeant, & in literis assiduè exerceantur, & ab aliis omnibus curis atq; negociis avocentur? cùm tamen interim isti sub tanta parentum diligentia parùm admodùm proficiant, & nunquam ad optatam metam perveniant. Cujus rei quid aliud in causa dicemus esse, præter summam ipsorũ adolescentium negligentiam atq; socordiam? qui tam remisso atq; vili animo sunt, & quamvis apertam dignitatis ac gloriæ viam oculis ipsis penè videant,

Assuetudinis per exempla.

Transitio ad juvenes.

Exempla & exercitia valde juvant.

deant, & eis omnia copiosè ſuppetant, quæ ad vir-
tutis culmen hominem provehere facilè poſſunt;
tamen ita ſeſe abjiciunt atq; proſternunt, ut nihil
inter eos & quadrupedes aliquas intereſſe videa-
tur. Quare vos ego, ſuaviſſimi, mihiq; cariſſimi
adoleſcentes & qui nobiles eſtis, & qui ingenio &
virtute nobilitatem conſequi poteſtis, non tan-
tùm moneo; ſed etiam vobis meo quodammodo
jure præcipio, ſi laudis & dignitatis, & honoris vi-
am ingredi concupiſcitis, ut duo illa ſemper ante
oculos habeatis quæ iſti ætati veſtræ non tantum
utiliſſima, ſed etiam maximè neceſſaria ſunt: ut &
iis, qui recta præcipiunt, parere animum induca-
tis; & plurimum etiam ſponte veſtra laboretis.
Neq; enim is, qui relinquit & abjicit obedientiam,
eosq; non audit, quibus eſt ſubjectus lege naturæ,
quicquam poterit unquam præſtare, quod laude
dignum eſſe videatur. Qui verò laborem atq; ani-
mi contentionem refugit; is planè (quod ait Mu-
ſonius Philoſophus) ſeipſum bonis rebus omnibus
indignum oſtendit. Veriſſimè namq; dictum ab
Epicharmo Siculo; Laboribus omnia bona Deos
immortales hominibus vendere. Juſtus enim ac
honeſtus labor (quemadmodum ait Cicero) præ-
miis, honoribus, ſplendore decoratur. Primum i-
gitur adoleſcentis officium eſt, ut eis omnibus (ſi
fieri poteſt) quos conſilio & prudentia plurimum
valere intelligit, obtemperet. Eſt enim magna
quædam virtus, & præcipuum in adoleſcente bo-
num Obedientia: cujus vis & utilitas tam longè
lateq; diffunditur, ut nullum non modò vitæ gra-
dus genus; ſed ne minimæ quidem actiones ejus
officiis vacare debeant. Hæc una virtus eſt, quæ
non ſolum humana omnia; ſed etiam divina regit,

Conclusio cũ adhortatione ſeriâ & ſeverâ.

Parendum 1. & aliunde parandum.

Ignavia crimen.

Per apophthegmata.

Enumeratio officiorum Juventæ.

I. Obedientiæ laus.

Declaratio à simili. gubernat, administrat. Nam qua ratione cœli perpetua conversio cuncta moveret, & quæcunque in terris vivunt, progigneret; quo pacto signorum ortus & obitus definitum quendam ordinem continenter servarent ut annuæ commutationes semper eodem modo fierent, atque ad utilitates rerum omnium accommodarentur; nisi motori suo primo semper obœdirent? Quid, in civitate, quæ rectè soleat administrari, annon cives omnes ita affectos esse oportet, ut prudentiores & sapientiores semper audiant, ut magistratibus omnibus in rebus pareant, ut sese legibus submittant? Quæ domus necessariis rebus instructa atque apparata reperiri potest, in qua non omnes & patrifamilias & iis, quibus est familiæ cura demandata, diligentissimè pareant? Quid in navibus, an aliter optimè cursum suum conficere possunt, nisi perito gubernatori nautæ omnes obediant? Jam verò tota ferè militaris disciplina constat obedientia. Quis enim quantumvis sapiens & callidus imperator, exercitum commodè regere, munia belli obire potest, cui non milites ad nutum præstò adsint? Itaq; non sine causa veteres illi Romani virtutem hanc tantopere servandam esse censuerunt; ut ne rempublicam quidem egregiè gerere, violata obedientia, voluerint: inobedientes autem tanta dignos esse pœna putaverint, ut ne parentes quidem propriis filiis, mandata transgredientibus, etiamsi rectissimè se gessissent, ullo modo parcerent. Quis enim non audivit, à Manlio Torquato proprium filium securi percussum fuisse, non alia de causa, nisi quia adversus edictum suum, qui consul erat eo tempore, cum Geminio Metio Thusculano, se ad singulare certamen provocante

Civium timor & obedientia.

Familiæ erga heros.

Nauclero nautæ.

Ratio à militia.

Ab exemplis Romanorum.

Severitas punita inobedientia.

1. A speciali M. Torquati exemplo.

con

congredi non dubitasset; quamvis insignem interfecto Geminio victoriam reportasset? Quis nescit Fabium Rutilianum Magistrum equitum, vix totius Senatus & universi populi Romani precibus, L. Papyrii Cursoris eripi severitati potuisse; quoniam ei denunciaverat, ne, se absente, cum hoste manum consereret; quamvis ingentem Samnitum exercitum profligasset? Quantò igitur severiores in eos fuissent, qui non obœdiendo peccassent; cùm tam atrociter eos, qui benè rem gessissent, puniendos esse censerent. Quid autem in privata vita, quantam non tantùm à filiis; sed etiam ab omnibus communiter adolescentibus obœdientiam exigebant? quamvis ea naturâ præditi ferè omnes essent eo tempore juvenes, ut natu majoribus libentissimè parerent; ut eos non aliter atque parentes observarent, & virtutes eorum imitari studiosè conarentur. Qua de causa fiebat, ut frequentissimè filii non tantùm parentum gloriam rebus suis præclarè gestis adæquarent: sed etiam longè superarent: quod certè nunquam ullo modo facere potuissent, nisi præceptis eorum, qui recta atq; honesta proponebant, obtemperare studuissent. Est enim ætas ista juvenilis maximè consiliorum inops, ut non facilè, quid rectum pravumve sit, per se dijudicare possit. Itaque benè moratus atque ingenuus adolescens optimis semper consiliis aures patefaciet: ut quoniam nondum in primo bonitatis gradu consistere potest, in quo statuuntur illi, qui per se, quæ recta sunt intelligunt & faciunt, at in secundo saltem esse posit; ne prorsus inutilis efficiatur, Sic enim Hesiodus:

8. Fabii Rutiliani Magistri.

A minori ad majus.

2. A privato cultu.

Quarti præcepti autoritas & sequela.

Ratio, ab indole juventa.

Felix qui potuit per se cognoscere vitæ
Quæq; sequenda foret, quæq; effugienda vicissim.
Fortunatus & ille, audit qui recta monentem,
Qui verò per sese ignarus, honesta docentem
Negligit: ille sibi prorsus & inutilis orbi est:

Nihil igitur eorum omninò, quæ rectè præcipiuntur, à quovis homine contemnere debet adolescens: sed inprimis, ut fidelissimis atque amantissimis parentum præceptorumq; consiliis pareat, oportet. Neq; enim minus ab eo, qui plurimum in literis proficere studet, præceptores, quàm parentes amandi sunt: quoniam hi nobis tantùm vitam tribuunt; illi verò dignitatem & gloriam, quam plurimi cum vita commutârunt: hi corporis curam suscipiunt, illi autem animorum; quos multo corpore præstantiores esse quis ignorat? ut non sine causa magnus ille Alexander multò se magis Aristoteli præceptori, quam patri Philippo debere prædicaret: nam Philippus (ajebat) pater, ut essem, tantùm effecit, Aristoteles autem, ut bene essem. Quin apud veteres Romanos, illa erat adolescentium consuetudo, quam commendat etiam Quintilianus, ut non minus, quàm studia præceptores amarent; & parentes esse, non quidem corporum, sed mentium crederent. Itaq; non immeritò majores suos summè commendat ille Satyricus & magnam eis felicitatem his quidem verbis precatur:

Munus & studium Iuvenis primũ.

Quantò magistri parẽtibus præstantiores.

Parentum laus & munus.

Dii majorum umbris tenuem, & sine pondere terrã,
Spirantesq; crocos, & in urna perpetuum ver,
Qui Præceptorem sancti voluêre parentis
Esse loco. Sit igitur hoc primum bonæ spei juvenis officium, ut sese meliori semper judicio submittat ut nihil suo consilio temere & arroganter gerat: u

Inculcatio officii adolescentum.

obe

obædientiam tanquam pulcherrimam morum reginam, fine qua nihil egregium præſtare poſſit, amplectatur; ut deniq; parentes & præceptores æque ſibi colendos & amandos eſſe cenſeat. Proximum eſt, ut qemvis omnino ſtatuat æquo animo laborem ſuſtinere. Quod quidem facile præſtabit ille, qui literarum ſtudia plurimùm amare incipit, qui virtutis ſtudio ducitur, qui dignitatis & gloriæ ſplendore trahitur, qui deniq; nihil ſibi, præter honeſtatem, in vita magnopere expetendum eſſe exiſtimat: hunc nulla difficultas ab inſtituto curſu revocabit; non libido ad voluptatem, non ocium ad animi remisſionem, non deniq; ſomnus ad quietem. Nihil eſt enim (ait Cicero) quod ſtudio & amore effici non posſit. Hic primus eſt ad omnem dignitatem atq; amplitudinem gradus, ſi quis amore virtutis incendatur; quod in libris de Oratore Craſſus apertisſime declarat. Cum enim ab eo Cotta quæſiiſſet quid ſibi ad ſummam eloquentiam comparandam aſſumendum putaret? tum Craſſus arridens; Quid cenſes (inquit) Cotta, niſi ſtudium & ardorem quendam amoris? ſine quo cùm in vita nihil quicquam egregium, tùm certè hoc, quod tu expetis, nemo unquam aſſequetur. Quin ad Brutum ſcribens idem Cicero, cum perfectum Oratorem formandum ſuſcepiſſet: Magnum (inquit) opus omninò & arduum, Brute, conamur: ſed nihil difficile amanti puto. Illud igitur Poetarum princeps in paſtoritio ſuo carmine verè ſcriptum reliquit: Omnia vincit amor. Atq; ideò non ſine magna ratione prudens finxit antiquitas non tantùm homines ipſos: ſed etiam Deos amori ſubjectos eſſe: quoniam nihil tam altè poſitum eſt à natura, nihil tam arduum

2. Eſt tolerantia in labore.

Cauſæ irritantes ad ſtudia.

Declaratio per virtutis ardorem.

Ergo ubi ſemel radices in animo egerit, tolli inde vix poteſt.

Impetus virtutis in omnia ſumma contendens.

atq; eminens, quò ſtudium & amor eniti non poſſit. Odit enim amor res turpes, viles & abjectas; amatque tantùm pulchras, ornatas, magnificas. Hunc igitur verè divinum amorem ſtudioſi juvenes colite, hunc quærite, hunc amplectimini, hunc ſemel apprehenſum, nunquam poſtea dimittite; hic enim ſolus vos in agendis rebus cautos & prudentes, in diſſerendo ſubtiles & acutos, in dicendo graves & ornatos, in arduis negotiis fortes atq; magnanimos efficiet: Amore duce nihil erit, neq; in humanis neq; in divinis rebus, quod non facilè ſcientia comprehendatis. Amor enim triplicem illum animi fœtum invenit: quorum unus in cognitione rerum, & in explicatione naturæ poſitus eſt: alter in vita atq; in moribus conformandis: tertius in diſſerendo, & quid verum, quid falſum ſit, judicando. Amor invenit

Exclamatio cum apoſtrophe.

Ratio ab uſu egregio.

Amoris ſeu appetitus honeſti vis.

errantem Lunam, Soliſq; labores,
Unde hominū genus, & pecudes unde imber & ignes.

Philoſophia unde?

Amor totius mundi motus converſionesque perſpicit, ſideraque videt innumerabilia, cœlo inhærentia, cum ejus ipſius motu congruere, certis infixa ſedibus: ſeptem alia ſuos quoque tenere curſus, multum inter ſe altitudine aut humilitate diſtantia, quorum vagi motus rata tamen & certa ſui curſus ſpatia definiant: Amor initiorum, & tanquam ſeminum indaginem movet; unde ſint omnia orta, generata, concreta; quæq; cujusq; generis vel inanimi vel animantis, vel muti, vel loquentis origo: quæ vita, quis interitus, quæque ex alio in aliud viciſſitudo atq; mutatio: unde terra, & quibus librata ponderibus, quibus cavernis maria ſuſtineat, in qua omnia delata gravitate medium mundi locum ſemper expetant. Amor rerum

Matheſis quid?

1. Comprobatio per enumerationem in ſingulis diſciplinis.

2. Phyſica.

rerum causas alias ex aliis aptas, & necessitate nexas videt, quibus ab æterno tempore fluentibus in æternum, ratio tamen mensque moderatur. Felicem eum certè animum, qui amore ductus in his habitat, pernoctatque cogitationibus: felicem etiam, quem idem amor à rebus occultis, & ab ipsa natura involutis ad vitam communem adducit, ut virtutem solam amplectatur: cui (quod ait Plato) quicquid auri vel supra terram est, vel sub terræ visceribus occultatur, nequaquam satis dignè conferri potest: quam Orpheus Heroum matrem appellavit, de qua Solon exclamat: At nos non commutabimus virtute divitias: quam seipsa contentam ad benè beateq; vivendum Stoici contendunt: quæ semper libera, semper invicta, semper amabilis, semper clara æternaque habetur; cujus denique forma & tanquam species, licet oculis non cernatur, admirabilem tamen amorem excitat sapientiæ, qui solus mentem atque animum mirandum in modum accendit ad id investigandum, quod natura spectet extremum in bonis, quod in malis ultimum, quo referenda sint officia, quæ degendæ ætatis ratio deligenda. Docet idem amor, res singulas definire, genera dispertire; perfecta concludere, vera & falsa dijudicare; præterea congruenter & cum ratione loqui, veterum monumenta atq omnem antiquitatem evolvere, Musarum domos ingredi, Poeticamque suavitatem degustare; aptè, distinctè atq; ornatè dicere. Quid, quod etiam ad tuendam Rempubl. idem amor transit? quo nihil in magno viro, casusq; omnes humanos despiciente, potest esse præstantius; qui non propriam; sed communem civium utilitatem spectet, religionem observet, pietatem

3. In causarũ indagine.

4. Ab Ethica.

Virtutis laus & forma inadspicua.

5. In Logica.

Poesi.

6. A Politica.

colat, amicitiarum fructus persequatur: quibus ex rebus, tam ingenua delectatio, tam digna sapiente homine jucundita percipi solet, ut nulla penè vita posuit esse beatior. O verè sanctum atq; admirabilem hunc amorem! O mira hujus amoris opera! O summam divinæ mentis providentiam, quæ nobis hunc tam excellentium rerum amorem immisit quo duce nihil est, quod assequi non possumus! Hæc investigate, per Deos immortales, quærite, percipite, vos qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis: hæc ampla sunt, hæc divina, hæc immortalia; hæc fama celebrantur, monimentis annalium mandantur, posteritati propagantur. Cur adhuc cessatis? cur tam tardi estis? quid est, quod vos à tanta laude revocet? à tam precioso thesauro distrahat? à tanta felicitate remoretur? Vos vos appello præstantes ingenio adolescentes; qui magnam de vobis spem atque expectationem concitâstis: quid est, quod institutum iter tam pauci perficitis? cur in medio cursu deficitis? cur tam frequentes diversam ab his disciplinis viam capitis? An vos fortasse deterret difficultas? labor debilitat? Equidem, adolescentes, hanc ego viam si aut asperam atque arduam, aut plenam esse difficultatum & laborum negem, mentiar: præsertim cùm id non modò jampridem intellexerim; sed etiam quotidie sentiam. Magno enim animi robore (mihi credite) opus est, magna indole virtutis & continentiæ: respuendæ sunt omnes voluptates; omittenda sunt studia delectationis, ludi, joci, convivia; omnis vitæ cursus in labore, atq; in animi contentione conficiendus est. Verùm ille, quicunq; fuerit, Poëta rectissimè dixit: Si te id quod multi invideant, multiq; expetant, inscitia sit, postula.

Exclamatio.

Impulsio à causis permoventibus.

Apostrophe per interrogationem.

Ratio à medio & modo.

Requisita studiorum per antithesin.

ftulare: si tu laborem summa cum cura efferas nullum. Nam ratio illa sempiterna, quem Deum vocamus, qui procurat cœlestia maximè, deinde in terris, quæ ad usum hominum pertinent: ut excelsos animos ab abjectis, industrios ab ignavis, exercitatos à remissis discerneret, huic naturali, quo trahuntur omnes, cognitionis amori comitem voluit laborem adjungere: ne si fortè facilis & plana virtutis esset atq; doctrinarum via, tardissimus eam & ignavissimus quisq; posset ingredi; atq; ita nulla forent industriæ studio, labori, diligentiæ separatim proposita præmia. Nunc autem cùm nemo dulcissimos virtutis fructus (ut appellat Isocrates) percipere possit, nisi prius amaras ejus radices gustaverit; facilè generosus atq; excellens adolescentis animus, quem (ut ait Seneca) labor ipse nutrit, qui noctes & dies gloriæ stimulis concitatur, quem nulla difficultas deterrere, nulla vis labefactare potest, emicat ipse per sese, splendetq; præter cæteros, velut inter ignes Luna minores, quemadmodum ait Horatius: cùm interim tenebricosus ille alter ignavia projectus, lutulentis in vitiis, tanquam sus in volutabro cœni, jaceat; nihil aliud, quàm truncus quidam, ac putrida caro, saturandis vermibus reservata: qui nunquam se erigat, nunquam resipiscat, nihil homine dignum cogitet: sed stupore quodam inertiæ pressus, quovis modico labore frangatur. Hoc est, quod egregius Poëta suavi cantu clamat Hesiodus:

Comprobatio à Dei nutu, qui & ipse est in perpetuo labore & motu.

Applicatio ad Virtutem percipiendam.

Per collationem.

A discrimine pigri & industrii Viri.

Augustum collem, tenuis quo semita ducit,
Ipsa colit Virtus, magno stipata labore.
Sic voluere Dei: sed summo in vertice montis
Planicies ignota jacet, tutiq; receptus,
Semper ubi fessæ poterunt requiescere mentes.

Illustratio à collatione Homerica. 1. Moly. 2. Aurei rami.

Quod Homerus herbæ suæ Moly, quæ contra Circes veneficia tantum valuit; ut Ulysſis socios ex belluis iterum in pristinam hominum formam reduxerit, candidum quidem florem, sed nigram radicem attribuit. Quod Maro noster aureum illum ramum, sine quo nemo potest eorum, qui ad inferos descenderint, revocare gradum, superasq; evadere ad auras, ait latere arbore opaca, & ab omni luco tegi, & ab umbris claudi in obscuris convallibus. Quod divinus Plato sæpissime repetit: Difficilia quæ pulchra; quod Euripides, Sine labore felicem fieri posse neminem, affirmat. Nam Heraclides Lycius (ut in vita Sophistarum ait Philostratus) unum de laboris laudibus librum edidit, sine quo dicebat nihil in rebus humanis frugiferum; nihil utile, nihil laudabile geri posse, adeoq; probari, ut vanus etiam labor, modò non vitiosus, otio ac deliciis sit anteferendus. Lassus Hermioneus interrogatus. A quo sapientiam didicisset? A labore (inquit) atq; experientia. Sensit vir prudentissimus, non quovis modico labore sapientiam posse comparari; sed eo, qui tam assiduus & diuturnus sit, ut usu frequenti rerum propè omnium peritiam nobis afferret. Hic est ille labor, quem Euripides gloriæ parentem esse dicit; de quo Sophocles intelligebat: cum ait: Laborare eum opus est, qui fortunam habere prosperam cupit. Quod idem his ferè verbis Theodectes approbat: Qui laudem & gloriam consequi studet, eum magnos subire labores oportet. Vita enim otiosa præsenti quidem fruitur voluptate; sed dolores postea solet afferre maximos. A. Gellius Catonis hæc verba recitat, ex oratione, quam ad equites habuit Numantiæ: Cogitate cum animis vestris: si quid vos per laborem rectè

Ab apophthegmasi.

Laus propria laboris.

Labor omnia vincit arduus.

Absq; labore nihil.

Iucundi acti labores.

rectè

rectè feceritis labor ille à vobis cito recedet; benè factum à vobis, dum vivetis, non abscedet: sed si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas citò abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit. Alexander ille magnus frequentissimè dicere solebat; Laboribus innutriri, Principe rem prorsus esse dignissimam. Cleanthes cùm ab adolescente quodam Lacone probari laborem audivisset, statim Homeri carmen illud subjecit:

Macte puer virtute, & nate ex sanguine claro.

Sed quid pluribus exemplis aut testimoniis opus est? cum pleni sint omnes scriptorum libri, omnes sapientum voces: quæ clarissimè testentur, rem tam necessariam esse laborem; ut sine eo nihil omnino laudabile possit acquiri: quo fit, ut vulgare proverbium illud non frustra jactari videatur: Qui vitat molam (ajunt) vitat farinam. Quamobrem duæ res potissimum in eo adolescente esse debent, qui virtute suasit aliquando se suamq; familiam plurimum illustraturus, hoc est, Amor & Labor: quas quidem ambas non sine magna ratione majores nostri uno Diligentiæ nomine comprehendi voluerunt: quoniam in eis tantùm rebus excellere possumus, quarum studium amamus atque unicè diligimus. Est enim ea diligentia, quæ ingenium ipsum ex tarditate incitat: quæ cùm omnibus in rebus, tùm in literarum studiis plurimum valet; hæc præcipuè colenda est nobis, inquit Antonius apud Ciceronem; hæc semper adhibenda; hæc, nihil est, quod non assequatur. Nam quæcunque sunt in cura, attentione, animi cogitatione, vigilantia, assiduitate, labore; uno verbo Diligentiæ complectimur, qua una virtute omnes virtutes reliquæ continentur. Sed qua ratione tandem hanc

Præteritio.

Conclusio prima generalis.

Duo q. cruræ emersionis, Amor & Labor.

Diligentiæ fructus.

Ratio, quid sub Labore contineatur.

Expositio.

Virtutis medio acquiri queant.

hanc diligentiæ virtutem amplectetur adolescens? Certè si spem animo firmam conceperit, fore ut aliquando laborum suorum præmia consequatur. Omnes enim (ut ait Democritus) labores tunc jucundiores esse solent, cùm illa se adepturos homines sperant, propter quæ laboraverunt. Nam diffident a plerunq; (quod ait Imperator Justinianus) à discendo juvenum animos avertit: sed ea nunquam ferè constantem & excelsum animum attingit, qui non aliter atque palma solet, contra impositum onus semper assurgit, & non modo laborum atq; vigiliarum difficultate, sed ne morte quidem ipsa terretur; quem,

Radices laboris amaræ fructus dulces.

Si fractus (ut ait Horatius) *illabatur orbis,*
Impavidum ferient ruinæ.

Correctio. Causæ studia impedientes & retardantes.

Sed quoniam inter mortales pauci admodùm tam erecto tamque firmo sunt animo, ut penitus contemnere ac pro nihilo habere labores possint: multiq; suis viribus tantoperè diffidunt, ut nunquam etiamsi plurimum laboraverint, ad summam eruditionem se perventuros sperent; vel quia parvo se esse ingenio, neque admodum tenaci memoria putant; vel quia tam varias & difficiles percipere disciplinas, tàmque multa cognoscere, non humanum; sed divinum esse potius existimāt; atq; ita quos præstare doctrina vident, potiùs admirandos, quàm imitandos arbitrantur: his etiam, si fieri potest, oratione mea conabor aliquam afferre medicinam. Ac primùm quoniam nulla tanta est humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur; volo, si proponat adolescens; quàm pulchrum sit aliis excellere, quàm turpe labi, errare, decipi: volo, credat atq; persuasum habeat, falsam omnino querelam eorum esse, (quemadmodum testatur

1. Ingenium vile.
2. Memoria languor.
3. Copia rerū.

Primum suasionis argumentum à jucundo.

etiam

etiam Fabius) qui paucissimis hominibus vim percipiendi, quæ tradantur, esse concessam dicunt; plerosq; vero laborem & tempora tarditate ingenii perdere. Nam sicuti aves ad volatum, equi ad cursum, ad sævitiam feræ gignuntur: ita nobis propria est (inquit) mentis agitatio, atq; solertia: unde origo animi cœlestis creditur. Hac de causa fit, ut animus hominis (quod ait Seneca) quicquid sibi imperavit, obtineat. Itaq; non est, quod quisquam desperatione debilitatus à literarum studiis animum avertat, sed par est, omnes (ut ait Cicero) omnia experiri, qui res magnas & magnoperè expetendas concupiverunt. Quòd si quem aut natura sua, aut illa præstantis ingenii vis fortè deficiat; teneat tamen eum cursum, quem poterit: prima enim sequentem, honestum est in secundis tertiisq; consistere. Neq; ita multa post ait idem Cicero: Non est, cur eorum, qui se studio eloquentiæ dediderunt, spes infringatur: aut languescat industria. Nam neq; illud ipsum, quod est optimum, desperandum est: & in præstantibus rebus magna sunt ea, quæ sunt optimis proxima, sed certè nunquam attinget eum desperatio, qui frequentissimè cogitabit, quid possit qualibet in re quantulacunq; sedulitas: qui silices itinere formicarum attritos videat: qui non ignoret, id esse verum, quod Tibullus ait:

Longa dies molli saxa peredit aqua:

qui sapientum in hanc sententiam dicta sæpius animo revolvat. Nam Democritus frequentissimis solebat usurpare sermonibus, Diligentia atque exercitatione longè plures, quàm naturâ præstantes fieri. Et Epicharmus idem fere prædicabat; Multo plura bona mortalibus à diligentia, quam à natu-

Trahimur omnes laudis studio & immortalitatis fama tenemur.

Ratio per collationem à paribus.

Objectio.

Solutio.

Vel in secundis consistere posse laudi ducitur.

Solus & artifices quos facit usus erit.

ta, donari. Sed diligentiæ vim atq; potestatem claritis expressit Antiphanes, cum dixit: Nihil esse, quod brevi tempore non sibi diligentia subjiciat, & in servitutem redigat. Menander etiam ait: Nihil tam difficile est, quin investigari quærendo possit. Et Philemon, Omnia possumus, inquit, invenire, si laborem eum, qui rebus quæsitis adest, subire voluerimus. Quid? annon etiam Maro noster quasi voce magna clamat?

Plana per se patent & prostant.

Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egestas.

Conclusio argumenti pro labore cum monito, ne quis assiduitate frãgatur.

Quàm igitur angusti, quamque pusilli animi judicandum est, desperatione frangi atque debilitari; cùm tanta sit industriæ, tanta laboris vis, ut nihil tam arduum, nihil tam difficile sit, quod assequi non possit! Hæc profectò spes perveniendi, quo velis, maximè animum excitare atque alacriorem ad subeundos labores efficere solet, cùm præsertim, quæ labores sequi solent, præmia tibi proposueris, divitias, honores, dignitates, gloriam nominis celebritatem, quam non sine causa veteres Musarum nutriciam esse dixerunt, quoniam ea maximè omnium generosum animum accendit. Hoc est, quod Valerius Flaccus ait:

Tu sola animos mentemq; peruris Gloria.

4. Ab exemplis aliorũ præclaris. 1. Themistoclis. 2. J. Cæsaris.

Sed multò etiam magis inflammatur alterius æmulatione, quem in magno esse honore viderit. Itaq; vir gravissimus, & Princeps Græciæ Themistocles, cùm nocturno tempore per civitatem vagaretur interrogatus, cur id faceret, Miltiadis (inquit) trophæa nequaquam me dormire patiuntur. Quin etiam Julius Cæsar cum Cades pervenisset, animadversa apud Herculis templum Magni Alexandri statua, vehementer ingemuit, quòd

ætate illa nihil memorabile gessisset, qua jam Alexander orbem terrarum penè subegerat. Quid Demosthenem, asotum primò puerum, & delitiis affluentem, annon Cleostrati Rhetoris gloria sola commovit, ut sese eloquentiæ studio traderet, in qua deinde facultate primas obtinuit? Tantam enim hæc gloriæ cupiditas in animo sedulitatem, tam incitatum studium, tantam curam ingenerat, ut quivis labor quodammodo suavis ac dulcis esse videatur, atq; etiam sæpè licet gravis sit, non sentiatur, unde verè Ovidius;

3. Demosthenes.

Et non sentitur sedulitate labor.

Plurimùm etiam laboranti juveni proderit ea cogitatio, si reputet animo suo, laborem quotidiè fieri leviorem, foreq; ut in maximam brevi tempore voluptatem convertatur. Ideò Pythagoras nos hortatur, ut optimam vivendi rationem à pueritia statim complectamur: quoniam etsi difficilis initio videtur; eam tamen posteà jucundam consuetudo reddere solet. Quin etiam immortales Deos laborantibus adesse, atque eos sublevare, persuasum est. Atq; idcircò dixit Euripides: Deus libenter, qui laborant, adjuvat. Quid, quòd eximiam quandam post se jucunditatem relinquere labores solent: ut etiam proverbio dicatur: Jucundi acti labores: & Suavis est laborum præteritorum memoria. Quòd sanè eleganter his verbis affirmat Seneca:

Quod fuit durum pati, meminisse dulce est.

Itaque Philemon, cùm laborum suorum fructus uberes suavesque perciperet, frequenter exclamabat: O jucundos adolescentiæ meæ labores! Nam nisi eo tempore laborassem, nunc certè tantas animo lætitias percipere non possem.

Æneas

Æneas autem ille Virgilianus majorem excogitare consolationem non potuisse videtur, quàm cum sociorum animos ad spem futuri temporis his verbis excitat:

—— revocate animos, mœstumq; timorem
Mittite: forsan ad hæc olim meminisse juvabit.

Collatio operosiorum vitæ. Quia si frequenter animo volvas, & diligenter cogites: opifices parvi lucri causa vigilare; laborare, nullam diei neque noctis partem quieti tradere; mercatores maria pertransire, labores immensos tolerare, maxima subire pericula, assiduè de vita periclitari; agricolas nunquam cessare, magnos æstus, immensa frigora, famem, sitim continenter perpeti; milites plenam ærumnarum vitam agere, assiduè sub pellibus esse, algere, æstuare, ad mortem ante oculos positam parva mercede conduci: tibi verò bonarum artium studiosis & vitam longè quietiorem & multo ampliora præmia esse proposita: quantam tibi laborum allevationem poterit hæc afferre cogitatio? Quid, cum circulatores & præstigiatores circumforaneos videas, longa exercitatione res tam arduas & admirabiles, quæ tamen nullius omnino sint utilitatis efficere, ut alii per extensos funes cursitent; alii per gladiorum aciem ambulare non extimescant; alii distantia tecta saltu transiliant; alii deniq; multa incredibilia faciant: ut reliquis voluptatem sibi victum acquirant: nonnè tibi tandem turpissimum esse putabis, non iis in studiis assiduè vigilare atque insudare quæ res omnes & actiones humanas præstantia superent? Quid si apum in conficiendo melle, quo vescantur, industriam consideres: quid si formicas, non tantum interdiu; sed etiam noctu laborentes, aspicias: & tam assiduas in opere

An miles malit esse aliquis, an studiosus? Oppositum.

Insinuatio à simili alio.

Exercitatio quid possit etiam in ludicris

Ab exemplo sedularum apum. Formicarū.

opere esse, ut itinere suo silices etiam atterant: nonne statim tibi veniat in mentem, multo magis homini, cum ut res sibi necessarias paret; tum ut cæteros antecellat, in optimis artibus esse laborandum? Optimum, ajunt, obsonium est labor senectuti. Quare pulchra quadam translatione juvenes ad laborem hortatur Hesiodus, cum ait:

Futuro prospiciendum. Sera in fundo parsimonia.

Æstas non semper fuerit, componite nidos.

Sed longè lepidius ille fabulator è Phrygia declaravit, cum in senectute frustrà cæterorum, opem implorare, qui non in juventute laboravit. Quadam (inquit) hyeme cicadæ, propè inedia confectæ, precario cibum petentes, ad formicas accesserunt: eas autem interrogarunt formicæ; Cur non æstivo tempore sibi victum ad annum proximum præparassent? Hic illæ: Non licuit (inquiunt) nobis: quoniam Musicæ per æstatem operam damus, & suaviter canimus. Tunc formicæ: Ergo si quo tempore laborandum est, ocio indulgetis, & canitis: nunc aliud vobis nihil superest, nisi ut saltetis: nos enim nobis tantum, non etiam vobis, laboramus, Hæc omnia diligens ille, quem quærimus, adolescens, animo reputabit; & viam, quæ ad opes & gloriam proxima est, arripiet: quemvis subeundum sibi esse laborem statuet: attentissimè literarum professores audiet: omne scriptorum genus excutiet: neq; unquam, quantum didicerit, sed quantum adhuc ignoret, considerabit. Frequenter etiam id in memoriam revocabit, quod verè Plato tradit in Theæteto: Corporum (inquit) habitus quiete atque otio corrumpitur, exercitatione vero atq; motu magna ex parte conservatur: eodem modo animi habitus, disciplina atq; meditatione, qui motus quidam in scientiis sunt, servatur,

Ab apologo Æsopi.

Applicatio ad studiosum.

Quid ipsius officii sit.

tur, evaditq; melior: otio verò, quod ab omni meditatione disciplinaq; vocatio est, neq; discit quicquam; & si qua didicerit, obliviscitur. Statuet etiam, nihil omninò sibi esse negligendum, quod ad eruditionem augendam aliquo modo pertineat, etiamsi minimum esse videatur. Rectè enim Hesiodus:

Si paulum paulo addideris, pergasq; frequenter
Hoc facere: exurget magnus tibi forsan acervus.

Illustratio à simili nautarum. *Applicatio.*

Nunquam omninò sibi remittendam esse diligentiam putabit. Ut enim remiges quanto sæpius remos inhibuerint, tanto tardius ad portum perveniunt: ita juvenes quanto studia sæpius intermittunt, tantò minùs proficiunt. Sed inprimis cavebit idem diligens juvenis, ne ad expertas olim voluptates aliquo modo retrahatur, servetq; Majorum præceptum illud, quid discipulis suis imperabant, Ne omninò respicerent: & Pythagoræ, qui quodam in symbolo suo per eandem viam reverti prohibet. Ita enim in omni sensu implicata insidei imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium; ut cum quis eam respicit, non facilè deinde possit ab ea divelli, sed ejus desiderio quodammodo contabescat, & omnes honestas actiones derelinquat. Quod elegantissima sanè fictione Poetæ nobis declarant, cum ajunt, à Proserpina datam Orpheo legem hanc fuisse: ut si vellet Eurydicem suam secum ad superos reducere, non eam priùs adspiceret, quam in patriam reversus esset tunc enim futurum, ut ejus complexibus, quam tum vellet, frui posset? at ille, cum nondum iter inceptum perfecisset,

Sic sacra prohibent. Luc. 9.v.62.

Declaratio per personæ fictionem.

Restitit, Eurydicemq; suam jam luce sub ipsa
Immemor heu, victusq; animi, respexit; ibi omn

Effus

Effusus labor, atq; immitis rupta tyranni
Fœdera. Quod ne nobis etiam accidat, optimi Juvenes, magnopere cavendum est; ne, dum fugacem Eurydicem respicere & persequi studemus, gloriosam illam & immortalem, quam ex laboribus & præclarè gestis rebus emanare scimus, voluptatem amittamus. Moveant igitur nos immensa virtutum atq; disciplinarum præmia: moveant majorum exempla, qui tanto scientiæ ardore flagrabant, ut nunquam studia literarum intermitterent, quin tempus omne perire existimabant, quod literarum studio non impenderent. Cui non sunt auditæ Demosthenis vigiliæ, qui vehementer se dolere dicebat, si quando opificum antelucana victus esset industria? Qui Pythagoram, Platonem, Democritum, Anaxagoram non audivit acquirendæ doctrinæ gratia totum penè terrarum orbem peragrasse? Quis Solonis perpetuam in dicendo diligentiam? Euclidis audentem animum? Chrysippi labores? Carneadis industriam non vel legit, vel audivit? Quis Cleanthem & Xenocratem nescit, hebetes & tardissimo ingenio viros, tamen infinitis propè laboribus effecisse, ut inter clarissimos sui temporis Philosophos haberentur? Quid de Catone Censorio dicam? qui extrema senectute Græcas ediscere literas voluit, imitatus Socratem illum Atheniensem: quem tradunt admodum senem fidibus discere voluisse; Satius esse prædicantem, quamvis ingenuam artem sero, quam nunquam percipere. Sed mehercule mihi tempus deficiet, si minimam eorum partem recensere velim, quorum in scientiis percipiendis ac memoriæ prodendis immensus labor

Exclamatio cum adhortatione.

Et quidem exemplis majorum.

1. Demosthenis.

2. Pythagoræ.

3. Solonis.

4. Chrysippi.

5. Cleanthis.

6. Catonis. Censorii.

atq; industria celebratur. Quorum hominum vestigia qui non omni studio sequuntur, nullo modo fieri potest, ut ad amplissimos dignitatis gradus perveniant. Quare vobis, egregii Juvenes, hæc exempla frequenter oculis obversentur; atque ipsa vos Doctrina suis illecebris trahat ad verum decus quæ quasi ex alto loco jucundissimaq; voce ad sese invitans atq; alliciens, ita proclamat: O quicunque magno atq; excelso animo estis, quos illa præpotens & gloriosa felicitatis via delectat, qui omni laude præstare atq; excellere pulcherrimum esse judicatis huc ad me toto animo, remis velisq; contendite, huc vestræ mentis aciem dirigite, huc omni cura studioque properate! Vobis enim ego, quicquid in vita laudabile atque expetendum est, condonabo; rerum omnium intelligentiam, dicendi vim atque facultatem, agendarum rerum prudentiam, opes, amicitias, dignitates, gloriam, immortalitatem. Vestrum ego animum, qua nulla pars hominis præstantior est, veris illis ac preciosis bonis exornabo, temperantia, pietate, justicia, fortitudine, modestia, virtutum omnium cumulo, rerum deniq; omnium honestissimarum amore. Hæc enim sola certa animi atque inviolata sunt ornamenta. Ego vobis eximia veterum exempla, qui me duce super astra volarunt, imitanda proponam; vobis antiquorum non tantum res egregiè gestas & admirabiles actiones; sed etiam orationes atque verba declarabo. Nihil omnino, si me sequi volueritis, vel eorum, quæ priscis illis temporibus acciderunt, vel quæ facienda sunt hoc tempore, vel quæ in posterum prospicienda, vos fugiet. Atq; (ut breviter dicam) quæcunque in divinarum atq; humanarum rerum cognitione posita

A contrario ed est, ignavia.

Conclusio per apostrophen.

Cum repetitione præcipuorum persuasionis argumentorum.

Utilitas diligentiæ inculcata per fructus.

Ab animi bonis.

In aliorum honesta exempla, ceu in speculum inspiciendum.

Exaggeratio per attentionem.

sita

ſita ſunt, ea vos ego brevi tempore condoce faciam. Quòd ſi quis veſtrum in præſentia pauper aut ignobilis eſt, eum ego non ita multò poſt non ſolùm divitem & illuſtrem, ſed etiam admirabilem & penè divinum efficiam. Nam, mihi credite: Juvenes, ſi vobis ego lumina mea prætulero, nemo ſibi quærendum exiſtimabit, quam alto loco, aut quam illuſtri genere nati ſitis. Sed omnes certatim vos honorabunt, laudibus ad cœlum ferent, & inter optimos atq; clariſsimos viros enumerabunt: quin etiam ii, qui divitiis & nobilitate præcellunt, & vos magnoperè ſuſpicient, & ſecum habere quàm frequentisſimè concupiſcent. Non vobis divitiæ, non precioſæ veſtes, non argenti, non auri copia deerit. In patria veſtra Magiſtratus, Imperia, Præfecturas facilè conſequemini. Si quando peregrinari, nationesq; exteras adire volueritis, talis vobis inſignia circumponam, ut non obſcuri aut incogniti, ſed apud omnes etiam infimi generis homines notisſimi eſſe videamini. Nam quicunq; vos aſpiciet, ſtatim eum, qui proximus erit, cubito commovens, digito vos commonſtrabit, & de unoquoq; veſtrum dicet: Hic eſt ille. Quod ſi quid aut inter amicos, aut in civitate, grave magniq; momenti forte contigerit, vos ſolos omnes intuebuntur, ad vos tanquam ad Oracula quædam confugient: & ſi quid in concione fortè dixeritis, ab ore veſtro pendens admirata multitudo, cum attentione veſtram orationem audiet; vosq; prorſus felices ac beatos, quod tantum dicendo valeatis, exiſtimabit. Quanti verò illud æſtimandum eſt, quod etiam ego ſola præſtare facilè poſſum, ut cum ab hac vita migraveritis, avo ſempiterno beati perfruamini: neq; tamen veſtri memoriam unquam delebit obli-

Et enumerationem commodorum.

Ex virtute & induſtria Nobilitas vera.

A' bonis fortunæ & corporis.

Etiam apud exteras virtus licet.

Quàm pulchrum eſt, digito monſtrari & dicier.

A publica autoritate & exiſtimatione.

Exaggeratio à futura vita beatitudine.

oblivio: sed per hominum ora perpetuò volitet; & nunquam vos inter eruditos versari, & cum optimis viris colloqui desinatis? Videtisné Demosthenem, illum cultrorum fabri filium, quantum ego tamen oratorem effecerim? Videtis Æschinem à Tympanistria natum, quem tamen Rex Philippus propter me coluit? Videtis Socratem statuarii filium, qui me duce sapientissimus omnium, vel Apollinis judicio, factus est? Quid Euripidem olitorem? quid Homerum, spurium, cœcum, mendicum, & obscurissimo loco natum commemorem? Quis M. Tullium Ciceronem novum hominem, à parvis initiis ad summum imperium & consularem dignitatem evexit? Annon ego? Quo Virgilium figuli filium & Horatium libertinum Mecœnati primo, deinde etiam Augusto Cæsari tantopere commendavit? Annon ego? Quis Nicolaum Quintum, humilimo loco natum & terræ (quod ajunt) filium? quis Innocentium Octavum, mercenarium hominem? quis Pium Secundum, ostiatim primo cibum emendicantem, ad Pontificatum maximum provexit? Annon ego? Et quisquam adhuc erit, qui dubitet me rebus omnibus anteponere, de me noctes & dies cogitare, mei curam nunquam intermittere, propter me labores, vigilias, pericula, detrimenta, rei familiaris jacturam, sitim, inediam, sudores, frigora constanter tolerare! cùm apertissimè videat, eam esse vim ac potestatem meam, ut ex abjectissima conditione, hominem ad eam amplitudinem atq; excellentiam extollam: ut, tanquam immortalis quidam Deus, inter homines versari videatur. Hæc atque hujusmodi plurima verba, Doctrinam ipsam vobis-

Comprobatio per exempla.
1. *Demosthenis*
2. *Æschinis.*
3. *Socratis.*
4. *Euripidis.*
5. *Homeri.*
6. *Tullii.*
7. *Maronis.*
8. *Flacci.*
9. *Pontificum aliquot.*
Conclusio.

biſcum aſſiduè facere, Juvenes optimi cogitate; neq; tam humaniter, tamq; liberaliter ad ſeſe vos invitantem deſpicite: ſed conſtanti atque alacri animo per eam, quam pauloante monſtravimus, virtutis viam omni cura, ſtudio, labore, diligentia properate: quò citius his tam amplis, tam divinis, tam immortalibus doctrinæ muneribus, tandem aliquando ſumma cum lætitia atque voluptate perfrui poſſitis.

Cum admonitione a fine & uſu.

DE MODO PROFICIENDI IN ELOQVENTIA ATQVE IN STUDIIS BONARUM ARTIUM, AD JUVENES MEDIOLANENSEIS.

ORATIO XVI.

Est paris cum proximè antegressa argumenti, seu scopi. Quod enim in priore generatim monuit ac suggessit; id facit hic speciatim, id est, ad Eloquentiæ studium juventutem instigando adhortatur, nec non ad alias ingenuas artes & liberales disciplinas quascunque, præscribens simul modum ac methodum, quâ faciliùs & feliciùs ad easdem pervenire possint; secutus hac in Parte Aristotelem, qui in Metaphysic. probè scripsit: ἄτοπον ἐστι, ἅμα ζητεῖν ἐπιστήμην καὶ τρόπον ἐπιστήμης.

Exordium à scopo studiosorum.

ANimadverti, Juvenes, omne studium vestrum, omnem curam atque diligentiam, qua summa in literis uti soletis, eò spectare potissimum: ut per has, quibus assiduè fideliterque incumbitis, ingenuas artes, vobis expositam dicendi facultatem, qui vel maximus doctrinarum fructus est, aliquando comparetis. Itaque cùm de Senatorii ordinis

nis sententia Rhetoricam artem, quæ vobis omnium maximè placere atque cordi esse videtur, ex hoc loco profiteri decreverim; supervacaneum omninò neque satis oportunum existimavi, coram vobis eam, ut certè dignissima est laudibus, in cœlum ferre: cum præsertim omnes uno eam ore prædicent, & cœterarum artium reginam atq; dominam appellent: ne fortasse vestrum aliquis id mihi meritò possit objicere, quod olim Sophistæ cuidam Lacedæmonius Antalcidas objecisse dicitur; qui cum eum rogasset, ut à se conscriptam orationem audiret: & percunctanti, quodnam esset ejus orationis argumentum, respondisset: Herculis encomium: Quis (inquit Antalcidas) illum vituperat? Quasi stultum prorsus atq; inane sit, in ea re laudauda frustra tempus consumere, quam omnes egregiam atq; præstantem esse confitentur. Quare mihi potius in eo laborandum & invigilandum esse censui, ut viam atque rationem aliquam vobis aperirem, qua magnam vobis facultatem & eloquentiam acquirere possitis; quam ut artem hanc dicendi, quæ probatur ab omnibus, & ad quam spontè vestra vos satis incitatos esse video, laudare contenderem. Quæ res licet ardua supra modum atque difficilis esse videatur, ut quis ad optatissimum eloquentiæ culmen perveniat, &

Pauci, quos æquus amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.

id assequi potuerint: non tamen ideò desperandum, aut animo deficiendum est; verùm illud semper animo volvendum atq; cogitandum: Nihil tam arduum aut difficile reperiri posse, quo facile virtus inflammata non aspiret: neque quicquam tam altè positum à natura, quo studium &

Translatio per excusationem.

Correctio.

Propositio de modo perveniendi ad eloquentiam.

Antithesis.

amor eniti non poſſit. Eſt enim (ut ait Fabius) aliquid certe perfecta Eloquentia: neq; ad eam pervenire natura humani ingenii prohibet: quod ſi non contingat: altius tamen ibunt, qui ad ſumma nitentur. Omnibus enim in rebus ita natura comparavit, ut quæ in quoque genere præſtantisſima atque honorificentisſima ſunt, ea maximas etiam ſecum annexas difficultates habeant. Sed animi fortitudo atq; conſtantia nullam omninò difficultatem pertimeſcit: quin potiùs ipſius honeſtatis atq; gloriæ cauſa, quæ virtutis amplisſima præmia ſunt, quemvis durum atque immenſum laborem ſubire non recuſat. Eſt igitur hæc in adoleſcente prima atque maxima proficiendi ratio, ſi perſuaſum habuerit nihil in omni diſciplinarum genere tam eſſe obſcurum, nihil tam reconditum, nihil tam admirabile, quod non poſſit hominum intelligentia facilè percipi, & illuſtrari, ingenii acumine penetrari, ſtudio atque induſtria ſuperari: ſi ſpem animo conceperit, fore, ut aliquando ſuo labore doctrinarum artem & eloquentiæ ſummam obtineat; ut aliquando pleroſq; ſui ordinis homines, longè infra ſe poſitos, læte atque alacri animo deſpiciat. Nihil enim eſt, quod juveni tantoperè noceat, nihil quod ab ingenuis diſciplinis magis retrahat, quam ad ſummam eruditionem evadendi diffidentia: hæc peſtis ingeniorum eſt, hæc fortem & audentem animum infringit; hæc diſcendi cupiditatem atq; ardorem reſtringuit; hæc omnes animi vires debilitat; hæc deniq; non tantùm remiſſum in ſtudiis & frigidum, ſed etiam prorſus negligentem atq; inertem reddit. At contra quem non erigit haud dubia ſpes propoſita? quem non incendit honor certus? quem non inflammat aperta

Requiſitus ſtudii pertinacia & animi obfirmati.

Applicatio.

Contrarii ratio a deſperatione & timiditate cum Epanaphora.

Ab oppoſito, ſed eſt, fiducia & certa ſpe;

perta dignitas? quos animi impetus, quas flammas, quos ardores ad discendum non commovent, ad opes, ad gloriam, maxima atque certissima præmia? Concipienda igitur animo spes optima? certo credendum est. Nihil esse volenti difficile: non dubitandum est, Animum hominis, quicquid sibi imperavit, obtinere. Jam qui sunt hac mente præditi, jam ad disciplinas patentem sibi viam & planam muniverunt; ut nihil sit omninò, quod discendi gratia non aggrediantur. Quamvis ego vobis, optimi Juvenes, non asperam aliquam aut molestam proficiendi rationem proponere, sed ea patefacere, quantum ferat facultas mea constitui, quibus diligentissimè conservatis, unusquisq; vestrum adoptabilem eam, quam quæritis, & maximè gloriosam eloquentiæ summam poterit haud difficulter pervenire. Neque enim discendi cupidos tam labor à disciplinis absterret, quàm aperta studendi ratio allicit atq; invitat ad laborem. Sed nemo vestrum existimet, me nova quædam, aut ante hunc diem inaudita præcepta vobis afferre. Quid enim minus attinet, quam regiam (quam appellant) viam munientem, obscuras aliquas aut angustas, & nondum planè tritas semitas investigare? Sunt igitur hæc præcepta nostra jam olim pervulgata, & præ oculis atq; in conspectu omnium posita; quæ licet ejusmodi sint, (quod mihi magnoperè mirandum esse videtur) pauci tamen admodum advertere illa atque observare solent. Tria sunt enim sola, quæ non disertum tantum atq; eloquentem hominem; sed etiam disciplinarum omnium peritissimum, diligenter observata, possunt efficere: quorum pri-

Conclusio.

1. Attentio ob facilitatem & jucunditatem.

2. Ob familiaritatem & consuetudinem.

Ratio.

Tria requisita ad omne per necessaria.

1. Attentio. 2. Lectio. 3. Scriptio & usus. Horum 3. arctissima inter se copula.

primum ac præcipuum est Audire, alterum Legere, tertium scribere. Quæ tria sunt ita inter se connexa atq; colligata, ut nullo modo regi, divelli aut separari possint: sed quandam ternarii numeri, quem sapienter maximè celebrant, perfectionem atque divinitatem præ se ferre videantur. Neq; enim quicquam rectè poteris unquam scribere, nisi multa prius audieris atq; legeris: neque ad eruditionem & eloquentiam comparandam tibi frequens auditio atq; lectio multum proderit, nisi multum etiam scriptitaris. De his igitur tribus dum aliqua sigillatim dispute, quæso vos, sicuti hactenus fecistis diligenter attendite. Est enim,

Attentio cum propositione. 1. Argumentũ à sensus auditus præstantia. Auditus usus. A collatione ejusdem cum visu.

Audiendi sensus (ut de hac primum parte loquamur) ideo nobis à natura datus, quemadmodum sapientissimi viri censuerunt, ut per ingenuas ac liberales disciplinas, quas audiendo percipimus, prudentiam nobis summam acquiramus. Solus enim omnium sensuum auditus ad animi institutionem, multarumq; rerum perceptionem plurimum confert: quo fit, ut (quemadmodum libro de Sensu tradit Aristoteles) capti oculis, & ab ipsis usque natalibus cœci prudentiores fieri possint: quam qui surdi, mutique nati sunt: quoniam auribus longè magis ad prudentiam & scientiam, quàm oculis adjuvamur. Id adeò licet inde cognoscere, quod etiam cum in disciplinis multum profecerimus, res tamen omnes longè nobis clariores & apertiores audiendo fiunt, quam legendo. Non enim sine causa tantoperè fuit illa semper viva vox ab antiquis laudata, quoniam ipsa docentis oratio, disciplinarum & artium quasi vita est. Licet enim (ait Fabius) satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet: tamen viva illa (ut dicitur) vox

vox alit plenit pleniùs, præcipueque præceptoris. Nam licet acriora sint, aut etiam doctiora, quæ legas, altius tamen in animo sedent, quæ pronunciatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis adfigit. Quod etiam magnus ille nostræ Religionis interpres, Hieronymus his verbis comprobat: Habet nescio quid latentis energiæ viva vox: & in aures discipuli, de doctoris ore transfusa, fortius sonat. Hoc illud certè est, quod jucundissimus orator Isocrates Demonicum suum ad libenter audiendum adhortatur: quippe qui præclarè intelligeret, adolescenti ac juveni nihil utilius esse posse, quam si plurimum in audiendis bonarum artium Professoribus operæ atque temporis collocet. Hoc enim modo facilè fit: ut quæ Professores ipsi diuturno studio, plurimo labore, multis vigiliis perceperint: ea temporis quasi momento, modica attentione, & nulla difficultate discant, qui diligenter audire voluerint. Ergo prima sit illi, qui summam adipisci doctrinam concupiscit, audiendi cura: qua tantoperè delectetur: ut cum eruditum aliquem audire professorem facultas datur, nequaquam in legendo potius aut scribendo consumere otium velit. Longè enim utilius, à sapientissimis viris audire, quàm legere aut scribere, juventuti semper judicatum fuit: cum præsertim multi dentur ad legendi atq; scribendi studia reditus: audiendi verò docti Professoris non perpetuò sese offerat occasio. Quod nisi præstantissimus & acutissimus omnium Philosophus Aristoteles, hanc audiendi consuetudinem rerum earum omnium, quæ ad studia pertinent, utilissimam esse censuisset, non sanè Platonem illum divinum annos viginti perpetuos ita audivisset, ut ne unam quidem interim ejus lectionem,

Discipuli cur debeant esse attenti.

Conclusio 1. in laude auditus & attentionis, Comprobatio.

1. Ab Exemplo Arist.

nem,

nem, nisi gravissimis obstrictus negotiis, prætermitteret. Jam verò satis ex historiis constat, nullum eorum, qui in aliquo doctrinæ genere clarissimi fuerunt, non audiendi fuisse studiosissimum. Quis enim ignorat, Platonem ipsum, Pythagoram, Democritum, Anaxagoram, innumerabilesque alios, maximè diversas atq; distantes regiones non alia de causa peragrasse, nisi ut varios disciplinarum præceptores audirent? Quid, quod Euclides Socraticus audiendi tanto flagrasse desiderio perhibetur, ut ejus res gratia capitis etiam periculum adire sæpissimè non dubitarit? Cùm enim Athenienses decreto suo cavissent, ut Megarensium civium nemo pedem Athenas inferre auderet, alioquin ea res illi homini capitalis esset: erant enim Athenienses odio Magarensium majorem in modum accensi: tamen Euclides, Megaris natus, qui ante id decretum frequenter & esse Athenis, & audire Socratem consueverat; postquam decretum esse factum audivit, sub noctem, priusquam advesperasceret, tunica longa muliebri indutus, & pallio versicolore amictus, velato capite è domo sua Megaris Athenas ad Socratem commeabat, ut vel noctis aliquo tempore consiliorum sermonumque ejus fieret particeps: rursusq; sub lucem millia passuum paullo amplius viginti eadem veste illa tectus redibat. O miram hominis constantiam! O discendi ardorem incredibilem! Quantum enim illud sciendi desiderium fuisse putandum est, quod hominem domi suæ nobilem à quiete nocturna, à domesticis penatibus, à tam longinquo loco, lectionis unius audiendi gratia ad pestem ac perniciem ante oculos positam traheret? Quis est hoc nostro tempore, qui, non di-

1. Platonis & aliorum.

2. Euclidis.

Exaggeratio; cum narratione facti audacis & stupendi.

Exclamatio in re admirabili.

Exaggeratio periculorum.

cam, aggredi talia audeat; sed qui longioris paulò itineris laborem suscipere velit, aut antelucano tempore surgere, ut ad Professorem aliquem, quamvis celeberrimum & eruditissimum, audiendum accedat? Itaq; minime profectò mirandum, si nulli Platones, nulli Aristoteles, nulli Euclides hoc nostro tempore reperiuntur. Illi enim audiendi gratia totum pene terrarum orbem peragrabant, nos etiam eos, quos domi habemus, eruditos homines audire nolumus. Illi non sex tantum aut octo annos, sed etiam viginti plerunque doctorem eundem audiebant: nos si viginti lectiones audiverimus, etiam Professorem ipsum à nobis superatum esse existimamus. Illi capitis periculum adire, modo memoria dignum aliquid audivissent, non recusabant; nos ne præsentes quidem, cum doctorum hominum lectionibus intersumus, audire curamus; sed interim aut nugamur, aut animo peregrinamur, aut quod longe pejus est, audientibus obstrepimus, & ipsos præceptores conturbamus. At longè aliter adolescentiam instituendam sapientissimus vir Pythagoras censuit; qui nullo modo fieri posse statuit, ut quis eruditionem aliquam acquireret, nisi prius audire didicisset. Itaq; statim ab initio adolescentes, qui se ad discendum obtulerant, tacere & audire præcipiebat, non uno quidem aut altero die, sed longo omnes tempore: nullus enim apud eum minus, quam biennium tacuit: is autem qui tacebat, quæque dicebantur ab aliis, audiebat: & intra tempus illud tacendi audiendique, Ἀκουστικὸς quasi audiendum accommodatus, vocabatur. Ast ubi res didicerant omnium difficilimas, tacere & audire: tum verba facere & interrogare,

Collatio ad nostrum ævum per extenuationem.

Conclusio, cur tam pauci solide docti hodie, ac olim.

Ratio à constantia auscultandi.

Per oppositum.

Lectiones nostris juvenibus nec curæ, nec cordi sunt.

Contrarii ostensio ab exemplo Pythagoræ.

Discipuli Pythagoræ ἀκουστικοὶ dicti.

quæ-

quæq; audissent, scribere, & quæ ipsi opinarentur, exprimere potestas erat. Quam certè Pythagoræ consuetudinem licet in ea parte aliqui non magnopere laudent, quod tamdiu tacere juvenes assuefaceret: in eo tamen omnes ad unum consentiunt, omnium rerum audiendi rationem utilissimam esse. Quod cùm ita sit, ad ea semper attentissimè sunt aures inclinandæ, quæ utiliter & honestè dicuntur: ne quid horum, quod nobis aliquo modo usui esse potest, pereat aut decidat: imitandaq; est M. Antonii illius diserti summa diligentia, qui de sua audiendi ratione prædicat illud egregium: Nihil à se unquam auditum, quod quidem memoratu dignum esset, quod non animo suo penitùs insedisset. At nos (si Diis placet) longè diligentius circulatorum cantiones, & mimorum ethologorum scurriles ineptias; quam doctissimorum hominum gravissimas disputationes audimus. Quin etiam ad scholas si quando nobis in mentem venit accedere, non ad eas discendi causa, sed tanquam ad theatrum, & ludorum spectacula, gratia tantum voluptatis accedimus: cum sapientum virorum præceptum sit, ut, non aliter ad audiendum, quam ad sacrum quoddam convivium, placido & quieto animo proficiscamur; & doctrina, qui unus suavissimus pastus est, animum nutriamus. Qua in re nos apes imitari jubent, qui ex omni florum genere, quæ sibi ad mel & ceram conficiendam usui esse possunt, diligenter & accuratè decerpunt; quæ verò sunt inutilia, derelinquunt: ita nos, quæ nostram eruditionem aliqua ex parte possunt augere; debemus ea summa cum attentione notare; quæ verè non satis utiliter à præceptore memorantur, ea prætermittere; neque unquam ab auditione

Objectio.

Solutio.

Conclusio commendationis & commoditatis auditus.

Ab exemplo Antonii.

Oppositum ob verecundiam & mores praeposteros juventæ.

Illustratio à simili apum.

Applicatio.

tione sine aliquo fructu redire. Neq; enim diligenter audire satis est, verum audiendi sine facto, statim ea sunt animo volutanda, quæ fuerunt à nobis audita: ut auditionis nostræ fructus constet; & sciamus, quid ex ea lectione profecerimus. Nam cùm lotus aut detonsus in tonstrina fueris, ait Plutarchus, nonné soles in speculo teipsum contemplari, ut videas, an ex lotione pulchrior effectus sis? Cur non igitur idem in Gymnasio facis; ut postquam audieris, consideres, an ex lectione doctior evaseris? Cogita quid agant in ludo gladiatorio juvenes: non enim tantùm ad lanistarum ictus ac percussiones cæsim punctimq; devibratas accedunt; sed arrepto rudi illo gladio, secum ipsi eosdem illos ictus meditantur: alioquí rectè nunquam digladiandi artem perdiscunt. Idem igitur tibi faciendum existima: ut non tantum præceptoris vocem attentè diligenterq; audias; sed ab ea statim librum ipsum manu capias & quæ doctè ac præclarè dicta fuerint; in memoriam revoces: Est enim admodùm res fragilis & caduca memoria, cui nunquam satis fidere oporteat. Nam illa etiam, quæ te rectissimè tenere putas, nisi frequenter meditando confirmes, excidere è memoria atq; effluere plerunq; solent: quantò igitur illa faciliùs effluent, quæ semel tantùm audieris, nisi tecum sæpiùs repetas, atq; animo volvas? Neque enim sine causa credas à sapientissimo Philosopho Platone pluribus in locis præceptum illud fuisse, ut Δὶς ϗ τρὶς τὸ καλὸν, hoc est, bis & ter, quod pulchrum est, repetamus. Videbat enim vir ille divinus, nihil in bonis diuturnum esse posse, nisi quod meditatione frequentissima familiare nobis & quasi domesticum reddiderimus. Nulla est enim

Illustratio à simili,

cum applicatione.

Ratio, ob memoria labilis adjumentum.

Plato.

Exercitatio quantum possit.

in nobis scientia, nisi quæ per habitum, (ut vocant Philosophi) hoc est, per diuturnam consuetudinem ita nobis insederit, ut non facilè possit ab animo atque è memoria nostra divelli. Verùm habitum ipsum sapientes docent non ab una tantùm atq; altera, sed à plurimis atq; iisdem frequentatis actionibus gigni consuevisse. Quamobrem hoc primum ejus adolescentis officium, qui doctrinarum amore captus est, esse statuo, ut quàm diligentissimè fieri potest; operam in audiendo consumat; & quæcunq; memoratu digna audierit, ea vel scriptis mandet, ut, cùm opus fuerit, inde petat; vel quod longè præstantius est, ita meditando memoriæ adfigat, ut nunquam ampliùs elabantur. Atq; hæc prima est atque præcipua proficiendi ratio. Sequitur altera, non minùs quidem utilis & necessaria; sed longè majoris certè laboris atque operis; ut scilicet quàm plurima legamus. Neque enim si audire, quemadmodum ostendimus, multò fructuosissimum atque necessarium, ideò solùm ad magnam eruditionem comparandam sufficit: sed longa etiam atque varia lectione opus est: cui tùm commodè dare operam poterimus, cùm ex longa audiendi consuetudine bonos intelligere per nos ipsos authores inceperimus. Qua in re potissimùm ea, quæ plurimum ubiq; commendatur, adhibenda est diligentia. Facilè enim, nisi diligenter advertamus, nos ipsa lectio decipit. Nam ferè fieri solet, ut ea frequenter in legendo per incuriam transeamus, quæ notatu multò dignissima fuerant. Neque enim quo tempore legimus, facile est, eodem temporis momento, sensum authoris, subjectam materiam, argumentorum inventionem, rerum & verborum collocationem, sen

Conclusio ab auditus præstantia.

Transitio ad 2.

Qua est lectio diligens.

Inter legendum quot & quæ petenda.

ſententiarum gravitatem, verborum exornationes, exempla, ſimilitudines, cæteraque ejus generis dicendi lumina diligenter advertere. Quamobrem eorum conſilium, qui præcipere ſolent, ut egregios authores nequaquam ſemel evolviſſe contenti ſimus, optimum eſſe videtur. Eſt enim in clariſſimorum hominum ſcriptis id admirabile, ut quantò frequentiùs ea legeris, tantò ſemper jucundiora tibi videantur, et in eis plura notatu reperias. Itaq; cùm ad aliquem, nunquam à nobis anteà viſum, ſcriptorem aggredimur, eum primò quaſi per tranſennam totum percurrere nos jubent, aut ſi in plures diſtinctus libros fuerit, integrum primò librum legere: deinde, rurſus ad initium regredientes, totum ejus argumentum animo comprehendere, & quâ ratione tractetur ab eo, ſigillatim advertere: ut, ſi quando nobis in eodem, aut ſimili materiæ genere verſari opus fuerit, quam imitemur, paratam rationem habeamus. Sed ut lectio nobis non unam tantùm utilitatem præbeat; interea dum legimus, paratum ſemper habere calamum, mirandum in modum utile eſt; ut ſi fortè aliquod in legendo dictũ occurrat inſigne, nova aliqua locutio, ſuavis exornatio, ſententia gravis, illuſtris amplificatio, notabilis hiſtoria, ſimilitudo non vulgaris, præceptum egregium, atq; id genus cætera, accuratiſſimè deſcribantur; & ad communes quoſdam locos, à nobis anteà præparatos, tanquam ad nidos ſeu fontes ſuos reducantur: unde cùm opus fuerit, expromi faciliimè poſſint. Hac ſanè conſuetudine & aliàs ſemper uſi ſunt, & hoc etiam tempore utuntur eruditi viri, ut ex omni lectionis genere ſemper aliqua decerpant, quæ ad eruditionem

Duo obſervanda.

1. Ordo autorum.

2. Res.

Locorum communium uſus.

Probatio per exempla.

1. *Plinii.*

aliquo modo amplificandam pertineant. Nam cui non est auditum Plinii Novocomensis studium? qui tanto legendi & audiendi ardore flagrabat, ut sive staret sive sederet, sive domi esset, sive iter faceret, semper aliquid aut ipse legeret, aut alium legentem audiret: cujus etiam illud sapientissimum dictum celebratur: Omne perire tempus, quod studio non impertitur.

Bibliothecarum fructus.

Hic cùm multa scriptorum millia perlegisset, nunquam tamen ullum legisse librum perhibetur, ex quo non aliquid notatu dignum excerperet: quippe qui frequenter etiam dicere solebat; Nullum esse tam malum librum, qui non aliqua ex parte utilis esse posset. Quod ante illum Plato, Aristoteles, Cicero, innumerabilesq; alii sapientes viri censuerunt, qui fortunas suas ferè universas coëmendis libris profuderunt.

2. *Platonis.*

Nam Plato, qui tenui admodum pecunia familiari fuisse dicitur, tres Phitolai Pythagorici libros decem millibus denariorum mercatus est: quod tamen ei pretium donasse quidem amicum ejus Dionem Syracusanum memoriæ prodiderunt.

3. *Aristotelis.*

Aristotelem quoq; tradunt libros pauculos Speusippi Philosophi post mortem ejus emisse talentis Atticis tribus, quæ summa fit aureorum nostrorum mille & octingentorum.

4. *Ciceronis.*

Cicero, modò librorum copiam habere possit, Crassum divitiis superare, atq; omnium vicos & prata se contemnere testatur. Atq; alibi ad Atticum scribens, Bibliothecam, inquit, tuam cave cuiquam despondeas, quamvis acrem amatorem inveneris. Nam ego omnes meas vindemiolas eò reservo, ut illud subsidium senectuti parem.

Exaggeratio inimica diligentiæ.

Tanta erat eis hominibus legendi cupiditas, ut nullam aliam majorem voluntatem, nullum majus solatium existimarent.

Itaq;

Itaq; nullum idoneum, neq; diurnum, neque nocturnum tempus intermittebant: quin etiam tum, cum aliis negotiis distraherentur, succisivas quasdam horas cæteris occupationibus subter furari conabantur, ut interim aliquid legere atq; notare possent: quod de Catone Majore legimus, qui etiam in extrema senectute Græcis erudiri literis voluit: cujus egregia proles. Inferior Cato tanta doctrinæ cupiditate flagravit, ut ne in curia quidem, dum Senatus cogeretur, temperaret sibi, quò minus Græcos libros lectitaret. Sed nullus exemplorum finis esset, si singulorum ardens atque assiduum in legendo studium eorum, qui clarissimi fuere, commemorare velim. Quare quicunq; gloriam eorum & dignitatem æmulantur: etiam industriam & laborem imitari convenit. Quamvis ego vobis, Auditores, nequaquam author sum, ut ista ætate juvenili quoslibet authores aggrediamini. Servetur ad annos maturiores hæc varia ratio. Evolvant scriptores omnes, qui jam elegantem & politum sibi stylum compararunt: hoc vestræ ætati non convenit, non utile est, non est probandum: eligendi sunt vobis excellentiores, & in eis insistendum atque insudandum, ut Romanæ linguæ puritatem atque elegantiam, quæ in paucis admodum authoribus perspicitur, in adolescentia percipiatis. Nam nisi ætate ista vobis ornatam dicendi copiam acquiratis; posteà (mihi credite) frustra laborabitis. Duos igitur vobis præcipuè Latinos scriptores, vos (inquam) qui dicendi rationem & artem Oratoriam colitis, eligite, Cæsarem & Ciceronem, duos etiam Græcos, Isocratem & Demosthenem; quibus immoremini, quos imbibatis, quorum singula verba notetis, quorum

5. Catonis ultimą.

Præcisio cum rejectione.

Conclusio.

Correctio.

Non multa: sed multùm legendum.

Delectus est habendus.

Autores latini qui legendi?

Cæsar & Cicero.

Græci & Isocrates & Demosthenes.

locutiones, figuras, dicendi formulas ediscatis, quos ita vobis familiares efficiatis, ut quicquid vel Latinè, vel Græcè pronuncietis, quicquid literis mandetis, id semper aut Cæsarianum, aut Ciceronianum aliquod dicendi genus præ se ferat; aut Isocratea myrothecia, aut Demosthenis lucernam redoleat. Nam hi vobis Latini atq; Græci scriptores, ad omne ferè locutionis genus satis uberem materiam suppeditabunt, neq; ulli unquam omninò verba deerunt, cui sint Cæsaris atq; Ciceronis familiaria scripta atque domestica: neque verò jucunditate aut gravitate carere poterit, cui benè notus Isocrates atq; Demosthenes fuerit. Sed hæc ratio longa eget exercitatione, diurno studio, diligenti atq; assidua lectione. Quid ergò? dicet aliquis: An alios tot ac tantos authores relinquemus & negligemus: ut his duobus tantum Latinis operam demus? Imò verò cùm quis vestrum judicio recto uti noverit, & rerum atq; verborum delectum habere: nullum ab eo negligendum esse scriptorem censeo: & eorum præsertim, qui vel Augusti Cæsaris ætate fuerunt, vel eam præcesserunt: quoniam eo tempore Latinus adhuc sermo florebat. Itaq; non tantùm ab iis, qui jam aliquid profecerunt, legi: sed etiam, si fieri posset, edisci scriptores illos magnoperè velim. Sed quia non eos omnes, in hac præsertim dicendi arte atque ratione, imitari possumus: duos illos, quos initio diximus, ut omnium præstantissimos, eligamus, quorum in dicendo vestigiis insistamus, quos è manibus nunquam deponamus, quos ediscamus, quos nobis familiarissimos efficiamus, reliquos verò etiam omnes, quàm fieri potest diligentissimè, legamus: non tantùm imitandi gratia, nisi si quid occur-

Usus lectionis bonum 4.

Ratio.

Instantia.

Correctio.

Consilium imitandi.

occurrat egregium; quantum ut solidam nobis eruditionem ex varia lectione comparemus. Nam (ut ingenuè fatear) si quis Cæsarem tantùm atque Ciceronem lectitaret, alios autem omnes optimarum artium scriptores contemneret; quales ego nonnullos agnosco: is certè nunquam inter eruditos enumerari posset. Quamvis enim elegantem ac politam sibi fortasse dicendi facultatem pararet: tamen si quis diligentiùs advertat in ejus oratione nullæ vires, nulli nervi, nulla solida doctrina, nulla deniq; recondita eruditio; sed verborum tantum ornatorum volubilitas, & inanis quidam cum jucunditate sonus percipietur. Quod sanè in Christophoro Longolio, quem unum maxime Ciceronianum esse volunt, apertissimè videre licet, qui non apes, è florum succis mel optimum atq; suavissimum conficientes, sed puellas, e solis floribus corollas contexentes, imitatus fuisse videtur. Volvendum est igitur (ut Fabius censet) omne scriptorum genus, sed optimis insistendum. Nam ex rerum cognitione redundet oportet, & efflorescat oratio, quæ non nisi per multorum authorum lectionem comparari potest. Ergo ab aliis scriptoribus doctrinam & eruditionem, à Cæsare verò atque Cicerone venustam eam, quam quærimus, & exornatam dicendi rationem petamus. Tertia atque ultima studiosi juvenis cura illa esse debet, ut, posteaquam multa diligenter audierit, multa accuratè lectitarit, magnumque sibi verborum optimorum & sententiarum cumulum ex audiendi consuetudine, atque ex varia lectione congesserit; tùm demùm omni cura atque diligentia scribere aliquid incipiat, & ad usum atque exercitationem ea ducere

Ratio.

Objectio.

Solutio.

Probatio per exempla.

Fabii monitum.

Quid delectus prosit.

Transitio ad 3. i. e. styli exercitium.

Refutatio studii præposteri.

laboret, quæ priùs cognitione perceperit. Neq; enim eorum labor approbandus est, qui relicta audiendi & legendi cura nimis propere, atque ideò intempestivè sese ad scribendum conferunt. Nam eos nequaquam solidos atq; integros, planeq; perfectos partus; sed inanes, (ut Plato vocat) ἀνεμιαίους, quasi vento conceptos dicas, emittere necesse est.

Ratio ab absurdo.

Quam enim eruditionem in scribendo possunt illi promere, qui neque ex auditu, neq; ex mutis (quod ajunt) magistris longo studio plurima notarint? Licet hoc tempore quorundam hominum, qui se doctos atq; eruditos existimari volunt, scripta videre, tam inania, tam levia, tam succi expertia, ut nihil aliud in eis, quàm verba reperias: non reconditiorem aliquem sensum, non antiquitatem, non doctrinam, non deniq; aliquid, quod à vulgari omnium cognitione abhorreat.

Hodierna κενοδοξία.

Hi sunt (ut ait Horatius) versus inopes rerum nugæq; canoræ. Nam omninò sine rerum plurimarum scientia, verborum volubilitas inanis atq; irridenda est.

Ab autoritate Tullii.

Quid est enim (ait Cicero) tam furiosum, quàm verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subjecta sententia vel scientia. Comprehendenda est igitur priùs multarum rerum scientia, & audiendo, & legendo: tùm demùm eleganter & politè scribere incipiemus. Unde enim copiosa atq; elegans oratio provenire solet? Annon à sola sapientia? Nam quod Poëta Venusinus ait, omninò verissimum est:

Vera oratoriæ scaturigo.

Scribendi rectè, sapere est & principium & fons.
Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ:
Verbaq; prævisam rem non invita sequentur.

Quin etiam illud esse probabile fatetur orator, quod Socrates dicere solebat; Omnes in eo, quod scirent

scirent, satis esse eloquentes. Itaq; nemo sperare debet, aliquid se magna laude dignum conscribere posse, nisi prius multa didicerit. Sed hæc duo sunt ita inter se conjuncta atq; conglutinata; ut neutrum sine altero perfectum esse possit. Quemadmodum enim nullus diserte loqui aut scribere potest, nisi cognitione ac scientiâ multa comprehenderit: ita quamvis multa didicerit, audierit, legerit, & non dicendo ac scribendo sese multum ac diu exercuerit; nequaquam tamen ea, quæ vel optimè novit, polite eloqui poterit. Sed quantæ sit utilitatis ad dicendi facultatem acquirendam, diuturna atq; accurata scriptio, nullus profectò melius atq; exquisitiùs exprimere posset, quàm Crassus ille vir eloquentia singulari, dicendique gloria præstantissimus, apud Ciceronem his verbis expressit: Caput est autem (inquit) quod, ut vere dicam, minimi facimus: est enim magni laboris, quem plerią; fugimus, quam plurimum scribere. Stylus, optimus & præstantissimus dicendi effector ac magister est. Neq; injuria. Nam si subitam & fortuitam orationem commentatio & cogitatio facilè vincit: hanc ipsam profectò assidua ac diligens scriptura superabit. Omnes enim sive artis sunt loci, sive ingenii cujusdam atque prudentiæ, qui modo insunt in ea re, de qua scribimus, inquirentibus nobis, omniq; acie ingenii contemplantibus ostendunt se & occurrunt; omnesq; sententiæ verbaq; omnia, quæ sunt cujusq; generis, maximeque illustria, sub acumen styli subeant & succedant necesse est; tùm ipsa collatio, confirmatioq; verborum perficitur in scribendo, non poëtico, sed quodam oratorio numero & modo. Hæc sunt, quæ clamores & admirationes in bonis oratoribus effi-

Habitus quî paretur?

Comprobatio ab autoritate Crassi.

Ratio per collationem.

Inventio & dispositio oratori necessaria.

Virtutes Rhetoris.

ciunt, neque ea quisquam, nisi diu multumq; scriptitarit, etiamsi vehementissimè se in his subitis dictionibus exercuerit, consequetur. Et qui à scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, ut etiam subito si dicat, tamen illa, quæ dicantur similia scriptorum esse videantur. Atque etiam, si quando in dicendo scriptum attulerit aliquid? cùm ab eo discesserit, reliqua similis oratio consequetur. Ut concitato navigio, cùm remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa navis motum & cursum suum, intermisso impetu, pulsuq; remorum: sic in oratione perpetua, cum scripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua cursum, scriptorum similitudine, & vi concitata. Quis est igitur vestrum, Juvenes, qui cùm ex his Crassi verbis intelligat, quanta assiduè scribendi utilitas; non omni cura, studio, labore, opera, diligentia, sese ad plurimum scribendum conferat? Nam quamvis initio res admodùm laboriosa atq; ardua videatur: posteà tamen consuetudine fit quotidiè facilior & planior. Sed illud inter scribendum observare diligentissimè oportet, ut non quicquid sub acumen styli subit ac succedit, admittatur: multa enim scribenti occurrunt, quæ vel levia sunt, vel à re, de qua agitur, aliena; vel denique inculta, horrida, lepore omni spoliata; quæ rejicienda sunt omnia: tantumq; illa sunt admittenda, quæ causæ nostræ primò sint accommodata. deinde quæ cujusq; generis dicendi luminibus distincta sunt. Habendus est enim rerum ac verborum delectus; ut rationes & argumenta, quibus causa nostra confirmetur, accuratè quæramus & excogitemus, eoq; ordine disponamus, ut nihil

Illustratio à simili navis.

Applicatio.

Conclusio usus scriptandi.

Judicium.

Observandum decorum.
1. In inventione & dispositione.

nihil alienum a re proposita, nihil importunum atq; intempestivum à nobis dici videatur: sed ita inter se omnia colligentur, ut unum quoddam absolutum & elegans corpus, omnium membrorum apta compositione, & partium convenientia confletur.

2. In elocutione.
Orationis ornamenta.

Verba verò ipsa primo Latina sint & polita & antiquam illam Ciceroniani temporis majestatem & dignitatem præ se ferant: deinde splendida, consonantia, gravia, rebus deniq; ipsis accommodata; verborum compositio plena, & quodammodo rotunda, ut aures ipsæ, clausularum numeros metientes, semper expleantur; ne aut non compleatur verbis, quod propositum; aut redundet: Oratio tota dilucida. Nam (ut ait Aristoteles) prima virtus orationis, perspicuitas est; & quò quisq; fuerit excellentior; tantò etiam dicendo facilior esse solet: quod adeo licet apertissimis Cæsaris, Ciceronis & Virgilii exemplis agnoscere:

Ad exempla Trium virûm Cæsaris, Tullii & Maronis.

qui cùm omnium scriptorum præstantissimi atque excellentissimi sint, & habeantur, omnium etiam (ut perspicuũ est) facilimi atq; dilucidissimi sunt.

Oppositum contra antiquarios.

Quamobrem eorum consuetudo, qui sermonis obscuritatem sectantur, & ea studiosè scribunt, quæ potius mirentur aut spernant homines, quàm æquè intelligant, irridenda est.

Ratio cum objurgatione.

Est enim ideo nobis à natura data oratio, ut per eam animi sensa dicendo exprimamus: quo fit, ut quanto quis apertiùs & clariùs id efficit, is tantò etiam excellentiùs & loquatur & scribat. Sit ergò vestra, Juvenes, oratio clara, aperta, dilucida; sed eo tamen studio atque industria elaborata, ut omnes dicendi Veneres, omnes exornationes, omnia lenocinia complectatur. Illustris enim illa atq;

suavis

suavis oratio, concentu quodam atque apta modulatione condîta, crebrisque figuris distincta, mirandum in modum audientium animos delectat. Eam autem quomodo, & quibus præceptis efficere possitis; ex arte, quam docebimus, Rhetorica percipietis: usum autem atque experientiam in ipsius Ciceronis orationibus, quas interpretabimur, expressam videbitis. Quamobrem ut aliquando dicendi finem faciam; & summatim omnia colligam, optimam in adolescentia proficiendi rationem hanc esse statuimus; ut prima sit artium Professores attentissimè audiendi cura, sine qua nihil rectè percipi, nihil clarè intelligi potest; & quæ nos à magnis, quos alioqui subire opus esset, laboribus & obscuritatibus liberat. Altera, ut quàm plurima legere atque evolvere studeamus, variasq; disciplinas percipiamus, sine quibus nulla potest esse satis exornata atq; laudabilis oratio: & ut eos, quos imitare volumus, autores, nobis frequenti lectione familiarissimos efficiamus. Tertia atque ultima, ut multum atq; accuratè scribamus: quoniam neque artes optimæ, neq; rerum cognitio ad eloquentiam sine scribendi assiduitate multum juvant. Quod igitur superest, nisi ut vos rogem obtesterque, Juvenes, per ipsas, quas maximè colitis, venerandas atque amabiles Musas, per exoptatæ à vobis eloquentiæ pulchritudinem atq; claritatem, per ipsius humanitatis splendidissimum & maximè suspiciendum nomen; sic ad hunc locum audiendi mei gratiâ veniatis, ut vos modestissimè gerentes, & silentium, quod istam ætatem vestram majorem in modum exornat, amplectentes ex omni lectione utilitatis aliquid referre studeatis: deinde privatim ita bonos authores evol-

Fontes, unde haurienda Rhetorica.

Conclusio generalis cum repetitione 3. præcipuorum argumentum.

1. Ab auditu.

2. A lectione.

3. A scriptione.

Apostrophe cum adhortatione ad studium Rhetoricum.

vatis,

vatis, & scribendo stylum exerceatis, ut nullum omninò diem (quod ajunt) sine linea transeatis. Ita fiet, ut apertas Musarum januas ingressi; facili promptoque animo; ingenio, Musis ipsis faventibus, eo splendore atque dignitate ab eis revertamini; ut vos omnes, tam nostrates; quàm exteræ nationes, tanquam eximios quosdam ac propè divinos viros magnoperè suspiciant & admirentur.

Ob finem & usum, qui inde sperandus.

DE AUDIENDI RATIONE, AD IUVENES MEDIOLANENSEIS.

ORATIO XVII.

Est mixti generis. Partim enim ad Demonstrativum refertur. Quia auditus præstantiam præ aliis sensibus externis commendat, cujus usus & necessitas maxima est in tradendis & rectè percipiendis disciplinis; partim ad deliberativum. Quia juventutem & diligentiorem auscultationem & crebriorem lectionum frequentationem sedulò adhortatur. Quod & Aristoteles notavit l. 2. de An. c. 8

Exordium à suspicione dubii eventus ob belli interventum.

CUm non ita pridem, Auditores, Christianorum Principum discordiis & bellico tumultu perculsos viderem ac perterrefactos omnium animos, verebar equidem ne id accideret, quod in hujusmodi temporibus & calamitatibus contingere solere scimus omnes; ut neglecta liberalium artium & disciplinarum studia desererentur: dolebamque, nec mediocriter angebar, post longum temporis intervallum renascentes jam in hac florenti civitate bonas literas, tam citò temporum injuria penitùs extingui. Nihil enim (ut ingenuè fatear) fiduciæ; nihil spei, nihil deniq; erat fore, ut hoc anno quisquam publicè profiteretur: ita videbam jam pro-

Ratio.

stra-

ſtratas jacere literas, omnes ferè Profeſſores ſti-pendio ſuo privatos, ſolutum Tricinenſe Gymna-ſium, edicto publico diſcipulos auditoresq; dimiſ-ſos: ut nullam unquam allevationem, nullam am-plius dignitatem habitura literarum ſtudia vide-rentur. Sed vicit tandem prudentiſſima Senatus auctoritas temporum injuriam. Nolunt optimi parentes, vi Martis ac belli fervore fieri, ut peni-tus intereant; erigunt in ſpem præmiorum ac di-gnitatatis Profeſſores: memores ſunt, Non minùs doctrinam, atq; eloquentiam, quàm artem milita-rem Reip. conducere. Itaq; nullo modò pati poſ-ſunt, ut hæc Mediolanenſium juventus ingenio-ſiſſima, ſine ullo rectore, ſine moderatore ſtudio-rum, ſine duce vivens, rectiſſimam vitæ rationem deſerat. Quæ ſapientiſſimi Senatus humanitas & clementia, quo præconio, quibus laudibus in cæ-lum digna ſit efferri, quis eſt veſtrum, Auditores, quin intelligat? Quis non videt, hoc tantò benefi-cio tantum Senatui noſtro omnes ingenuarum ar-tium amatores debere, quantum perſolvere diffi-cilimum eſſe videatur? Reliqvum eſt igitur, egre-gii juvenes; ut quoniam ad utilitatem veſtram vi-detis omnium bonorum diligentiam excubare, vobis ipſi non deeſſe videamini: ſed hominum ſa-pientiſſimorum exempla, qui omne ſuum tempus perdiſcendis literis transmittendū eſſe voluerunt, vobis ob oculos proponatis: quorum imitari indu-ſtriam continentiamq; maximè debetis, ut eundem quem optimi ac nobiliſſimi, petere curſum laudis ac dignitatis facilè poſſitis. Et quoniã præter cæte-ros omnes cujuslibet nationis adoleſcentes, vos Mediolanenſes ingenioſiſſimos eſſe & literarũ ap-petentiſſimos, iampridẽ cognitum ac perſpectum

Adverſa-tiva in contrario eventu & ſperato.

Encomium Magiſtra-tus providi per interroga-tionem.

Propoſitio cũ attem-tione.

habeo

habeo: sed tamen (ut fit in ista ætate plerosq; vestrûm aut ignorare, quibus modis id assequantur, quod magnoperè conspiciunt; aut apertam ac patentem Musarum januam non ingredi: statui vobis hodiè breviter exponere. Qua ratione si publice profitentes auditis, plurimum in doctrina proficere valeatis. Ut quemadmodum diligentissimi solent agricolæ, priusquam semina projiciant, terram conscindere, vepres adurere, silices extirpare, sulcos omni diligentia præmollire: ut quam optimè grana foveantur: ita nos etiam vestros animos, si quid in eis fortassè vitii reperiatur, prius repurgemus: deinde ad audiendum, & percipienda liberalium artium semina præparemus, quæ fructum, cum tempus fuerit, vobis uberrimum & amplissimum afferant. Sic enim facilè omnes intelligent, mihi neq; industriam neq; diligentiam deesse, in eo exequendo, quod magna cum ratione suscepi, negotio, & vos, cum ad me audiendum congregabimini, non sine magna utilitate quotidiè discedetis. Adeste igitur æquo animo, & quod sit vestrum officium in audiendo, cognoscite. Primum igitur mihi videtur, quales esse debeant auditores, deinde quod eorum sit officium, esse dicendum. Et quoniam mihi cum eis potissimùm sermo est, qui jam à privatis Magistris discessere, & publicas tantum lectiones audituri sunt: ii quoniam & faciliùs & periculosiùs peccant, à me in primis admonendi sunt, ut assuescant, rectè & salubriter admonentibus obtemperare. Est enim quasi propria florentis istius ætatis intemperantia, quæ toto impetu fertur ad voluptates, neq; facilè cujusquam imperium patitur, quo fit, ut dum se liberos ac solutos id ætatis adolescentes, quia præ-

Status causæ.

Narratio per illustrationem à simili.

Applicatio.

Propositio bipertita.

Attentio.

1. Auditorum aptitudo.

2. Officium.

Academica juventus liberiùs vivit, quàm scholastica.

Vitia & pravi mores juventutis Academicæ?

Unde?

cepto-

ceptore carent, arbitrantur, in multo pejores ac perniciosiores pædagogos (ut ait Plutarchus) incidant, hoc est, in pravas cupiditates; quæ hominem ita commovent & perturbant, ut nihil de bonis moribus, nihil de virtute sinant cogitare. Itaq; juvenes eos, qui jam à Præceptore discesserunt, aut doctorum hominum fidelissimis atq; amantissimis consiliis parere opus est; aut ipsos per se, quæ sit optima vivendi ratio, considerare, atque illam omni contentione sequi. Perclarè enim Hesiodus scriptum reliquit; Omnium illum mortalium esse optimum, qui per omne vitæ suæ tempus, quæ sunt optima, per se cogitat: qvin etiam illum bonum esse, qvi rectè consulenti parere studet: qvi verò neqve per se qvicqvam rectè sapit, neq; rectis obedire consiliis animum inducit, cum & sibi & aliis penitùs inutilem esse. Vobis igitur, Juvenes, si qvid unqvam egregium præstare concupiscitis, omni cura ac solicitudine providendum est, ne in eorum numero sitis, qvi penitùs habentur inutiles. Qvod dedecus & infamiam facillimè fugietis, si præclaram eam sententiam, qvæ inter septem Græciæ Sapientum Oracula celebratur, audivetis, qvæ jubet, ut Deum seqvamur, hoc est, (ut Plutarchus interpretatur) ut rationi pareamus, qvæ sola in nobis divina est, qvæ semper animum ad res honestas à turpibus revocat. Hæc est ea Pallas, qvam apud Homerum Achilles audiendam esse censet; qvam prudentissimum virum Ulyssem audire Socrates prædicabat; qvæ à turpitudine semper eum, abstraheret, & ad honestatem impelleret. Hæc est ea natura, qvam se, tanqvam optimam ducem, seqvi Cato Major apud Ciceronem prædicat; cui qvi paret, à recta via nunqvam aberrare potest,

Argumentum dissuasionis ab indecoro.

Per fabulam poëtarum.

Qvid Pallas?

Natura est recta ratio.

cum hoc divino numine cœca ac temeraria domi- natrix animi cupiditas non permiſcetur. Qvare, ſi eam animi veſtri partem, qvæ mollis eſt, & rationis expers (qvoniam apud ſapientes in duas partes animus dividitur) ita effeceritis, ut obedire conſilio rationiqve poſſit, maximum ad omnem virtutem ac diſciplinam gradum jam vos paraſſe intelligetis: cætera enim omnia levia & facilia videbuntur. Nam qvi apud animum ſuum ita conſtituit ac decrevit, ut nihil aliud, qvam vir probus eſſe velit: is profectò nulla cupiditate, nullis voluptatum illecebris ab honeſtarum artium ſtudiis ad ocium retrahetur. Itaqve mihi dentur ii auditores, qvos primum literarum ardor trahat, atqve iis ſtudiis deditiſint, qvæ nobiles atq; ingenuos deceant adoleſcentes: deniq; qvi rationem, non appetitum ſeqvantur. Eos ego nunqvam incontinentes aut temerarios forè pertimeſcam: in iis ego nunqvam deſidiam aut tarditatem verebor. Teſtis enim Iſocrates, Eos multum brevi tempore proficere, qvi diſcendi ſtudio atq; amore dicuntur. Qvibus verò conſilio ac ratione nihil eſt antiqvius, ii nihil unqvam temerè, nihil turpiter, nihil inconſtanter efficient. Reſtat igitur, qvoniam docuimus, qvales auditores eſſe oporteat, ut etiam de eorum officio nonnulla diſſeramus. Qvod dum facio, qvæſo vos, ſicut hactenus feciſtis, diligenter audite. Nulla eſt enim, mihi credite, juvenes, proficiendi via brevior, nulla melior, nulla præſtantior, qvam eos, qvi profitentur, revereri & amare: deinde qvibus de rebus verba faciant, libenter & diligtnter attendere. Nullo enim modo fieri poteſt, ut qvi Profeſſorem non ſuſpicit, ex ejus verbis utilitatem capiat: qvin potius in deteriorem partem omnia con-

Appetitus rectæ rationis freno coërcendus. Adverſativa.

Auditorum ingenium, qvale?

Tranſitio ad alterum membrum. Repetitio & attentio.

Officium Auditoris qvondam. A contrario.

contemptor trahit: & qvæ præclarè dicuntur, ea præter mittit: si qvid in dicendo titubatum fuerit, illud arripit, & memoriæ mandat.

Discit enim citiùs, (ut ait Horatius) *meminitq́; libentiùs illud,*
Qvod qvis deridet, qvam qvod probat & veneratur.

Qvapropter aliqvando mihi Præceptorum sortem ac fortunam venit in mentem deplorare. Adeò sunt multi, qvi sinistro qvodam more nihil attendant, qvam multa, & erudita, & recondita, publici lectores afferant, qvanta cura & industria lectiones suas amplificent, qva memoria & qvo ingenio de variis rebus edisserant, qvo deniqve labore plurima pervestigent: verùm si qvis eorum breviorem aut longiorem in dicendo syllabam unam pronunciarit; aut si in orationis cursu lingvæ, non mentis errori parum aliqvid appositè dixerit: statim imperitum appellant; bonarum literarum ignarum, barbarum, nullius frugis hominem. Hinc contemptio professorum: qvæ pestis usq; eo mentem auditoris invadit, ut nihil ampliùs proficiat. Hoc igitur providendum est, Juvenes, ut ne nobis in mentem unqvam veniat, auctorem vestrum irridere. Qvod ita facillimè fiet, si vos per ætatem nondum rectè judicare posse intellexeritis: si cogitetis, à Sapientissimo Senatu, id est, à doctissimis hominibus, eligi, qvi publicè doceant: qvi non admitterentur ad tam grave munus, nisi priùs eruditionis & doctrinæ specimen de se præbuissent: deniqve putetis, neminem esse tam audacem ac temerarium, qvi nisi multa audierit, legerit, scripserit, annotarit, publicè profitendi munus suscipiat: postremò si apud animum vestrum ita statueritis. Nullum esse morta-

Qvarta de sinistro Auditorum judicio & contemptu Professorum.

Autoritas docentis qvantum possit in discente.

lium, qvi omnia scire possit, aut qvi non interdum in re aliqva labatur. Sed illius Horatianæ sententiæ memores esse oportet:

Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, qvas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura.

Excusatio Professorum

Hoc enim modo etiamsi qvando Professor unò verbo lapsus fuerit; qvod qvis non facit? non statim contemnetis; sed potiùs, tanqvam parentem, amabitis, qvi nihil magis cupiat, qvam ut vos in omni doctrinæ genere sub eo duce præstantes evadatis, qvi dies & noctes illud unum cogitat, qvomodo qvam plurimum de vobis bené mereri possit. Hæc si cui vestrûm in mentem veniant, non dubito, qvin ille Præceptorem suum maximo sit amore prosecuturus: qvi primus est, & maximus ad doctrinam gradus. Proxima est audiendi ratio: qvæ si diligens fuerit, nihil in studiis utilius esse potest. Itaqve Demonicum suum Isocrates sapientissimè cohortatur, ut omne suum tempus, omnem juvenilem ætatem in audiendo consumat. Fit enim, ut qvæ præceptores ipsi longo tempore laborante, longo studio & industria perceperunt, ea sine labore statim auditores ediscant. Qvod si bonos & eruditos esse magistros acciderit: non tantùm audientes in disciplinis proficiunt; sed honestos etiam mores ac probitatem imbibunt. Docet enim Teophrastus, Audiendi sensum ad affectus commovendos omnium maximè pollere. Qvippe variæ cupiditates per cæteros sensus in animum irrepunt, per visum, per tactum, per gustum, per odoratum. Sed ut ad honestatem ac bonam frugem juventus perducatur, una via atq; una ratio: Honestis præceptionibus aures imbuantur, Benè autem

1. Gradus ad eruditionem qvis?

2. Modus auscultandi ab exemplo Isocratis.

Mores cum doctrinâ imbibuntur.

Auris vta q. tam ad bonum qvàm malum.

tem & ſapienter Xenocrates præcepit, ut auribus noſtris ab una parte qvaſdam qvaſi ſepes apponeremus; ne fœdi ac pernicioſi ſermones ingrederentur: ab altera diſciplinis atqve optimis Philoſophiæ præceptis pateret aditus; ne qvid eorum, qvæ honeſtè ac ſalubriter dicuntur, decidat & evaneſcat. Verùm neſcio qvo pacto contaminatus eſt, & corruptus in pleriſqve ſenſus hic omnium utiliſſimus audiendi. Nam ſi qvis in foro circulator aut præſtigiator meras nugas, & Siculis gerris vaniores, atq; inutiles fabulas recitet; aut ſi qvis Thraſo glorioſus ferociam ſuam oſtentet, & Martios furores ab bella percrepet; deniqve ſi qvis de lautis epulis, de meretriciis amoribus, de choreis, de tripudiis verba fecerit: multi ſtatim adſunt auditores, qvi ſingula notent, qvi ex illius fabulatoris ore pendentes ſileant: atq; (ut ait Virgilius) *arrectis auribus aſtent.* Si verò qvis de literarum ſtudiis, de honeſtate, de recta vivendi ratione differat: mirùm dictu, qvam paucos inveniat, qvi animum intendunt, qvi cupidè audiant, qvi finem orationis expectent. Adeò multi ſunt hoc tempore, qvi (ut ait Cicero) diſcum audire malunt, qvàm Philoſophum. Sed nos qvaſi deſperatos iſtos relinqvamus, qvi omnis veræ laudis expertes, nihil, qvod utile ſit, audire, nihil diſcere concupiſcunt. Mihi vobiſcum ſermo eſt, egregii Juvenes, qvos virtutis ardor excitat, qvos dignitatis ac famæ cupiditis incendit, qvos memoria poſteritatis inflammat; qvi nihil ocio literario dulcius, nihil doctrinis amabiliùs, nihil virtute formoſiùs intelligitis: vos igitur oportet ad Profeſſorem (ut optimè Plutarchus docet) non aliter atqve ſacrum epulum accedere, animo videlicet placido & benigno; ut ea laude

Adverſatiba per qvere-lam in abuſu auditus.

Contrà in recto uſu pauci.

Rejectio & reiiectio.

Apoſtrophe ad probos Auditores.

Qvid ad lectiones afferendum.

laudetis, quæ pulchra & apposita, memoriæq; commendetis: præterea benevolentiam & officium doctoris ametis: cui nihil est potius, quam ut vestram juventutem alat, & ad veram laudem ac gloriam inducat. Hæc est ea modestia, quam apud Platonem reqvirit Socrates, quam tantopere laudat in Theæteto quodam Attico juvene: quem ait ad liberalium artium disciplinas magna cum mansuetudine venire solitum, non aliter atqve solet oleum sine strepitu defluere. Et merito. Qvis enim modestum adolescentem & verecundum, qvi freno rationis ætatis fervorem coërceat, & se gerat in rebus omnibus, ut nihil petulanter, nihil improbè, nihil temerè faciat, non vehementer amet? Qvis non placidos adolescentis mores, & pene maturam in florenti ætate prudentiam exosculetur? Qvis non eum juvenem admiretur, qvi nulla protervitate, nulla petulantia, nulla libidine trahatur ad dedecus; sed ad studium virtutis & honoris inflammatus, nullam jucundiorem aut beatiorem vitam esse judicat, qvam in optimis disciplinarum artibus ætatem suam conterere? An non ille juvenis amandus? non (ut dicitur) in sinu gestandus, non summis laudibus extollendus? qvi omni studio, cura, diligentia providet, ne qvid omninò committat, qvòd sibi vitio verti possit; & nihil honestate præstantius esse judicat. Confer huic effrenatum illum & intemperantem adolescentem, qvem neq; ratio, neq; existimatio populi, neqve leges sapienter institutæ possunt à turpitudine revocare; qvi spreta religione, contemptis disciplinis, eam tantum, qva nulla capitalior pestis est, corporis voluptatem seqvitur, qvæ omne consilium ac rationem impedit, qvæ mentis perstringit

Ab exemplis & monitis Philosophorum priscorum.

Ratio ab effectu.

Exaggeratio cum admiratione.

Adversativa per contrarii ostensionem.

git oculos, nec ullum habet cum virtute commercium. Qvis non videt, qvanta sit inter eos dissimilitudo? qvantum laudandus ille sit: hic improbandus? Neqve hæc dico, qvod qvisqvam eorum, qvos ego novi, ex vobis hac labe dedecoris sit infectus. Nam ut liberè de vobis, qvod sentio, dicam: multis in rebus, Mediolanensis juventus excellit: promptum habet ingenium; felicem memoriam, naturam omnibus literis accommodatam. Sed unum est, qvod in vobis reprehendatur; qvod tamen est eiusmodi, ut emendari facillime possit. Nam ut elegantem & veram similitudinem inducam: Qvemadmodum Momus, ille Deorum reprehensor, nihil in venere, qvod reprehensione dignum videretur, in venire potuit; nisi qvod illius sandalium, ut stridulum, nimisqve loqvax, & strepitu molestum calumniabatur: qvod si Venus sandalium illud abjecisset, nullam omninò Momus ansam calumniandi reperisset: Ita ego, si vos paulò qvietiores & attentiores in audiendo viderem, tantum inter alios omnes excellere judicarem, ut etiam ipsi Momo satisfacere possitis. Atqve útinam ea mihi dicendi facultas esset, ea vis, ea copia, qvæ vestros animos ab iis vitiis, qvæ fert adolescentia, penitùs amovere, & ad unicum benè beateq; vivendi scopum inflammare possem! profectò intelligeretis, nihil mihi magis esse in optatis, qvàm ut præstantes in omni genere virtutis, ad magnos dignitatis gradus aliqvando veniatis. Ponite vobis ante oculos Polemonis exemplum, qvi una sapientissimi hominis reprehensione mutatus, ex infami ac perdito ganeone, maximus Philosophus evasit. Hic enim ditissimus erat Athenis, sed luxu perditissimus adolescens; qvi non

Applicatio ad juventutem Mediolanensem.
Correctio.
Per illustrationem à simili.

Applicatio ad studiosos.
Exclamatio in re difficili cum voto.

Persuasio ab exemplis & qvidem Polemonis.

ſolùm voluptatem illecebris, ſed ipſa etiam infamia gaudebat: ſed cum aliqvando è convivio, non poſt occaſum Solis, verùm matutino tempore domum reverteretur, vino gravis, ungventa redolens, ſertis capite redimito, veſte pellucida conſpicuus, Xenocratis Academici Philoſophi patentem januam vidit: itaq; ſcholam ejus turba doctorum hominum refertam, cum eo ornatu petulanter intravit; nec contentus tam deformi introitu, conſedit etiam, ut clariſſimam Xenocratis eloqventiam, & prudentiſſima Philoſophiæ præcepta, temulentiæ laſciviis irrideret. Sed cum inter omnes orta eſſet indignatio, Xenocrates ipſe vultum in eodem habitu continuit; omiſſaq; re, de qva diſſerebat, de modeſtia ac temperantia loqvi cœpit. Qva in oratione tanta fuit ſententiarum gravitas, tantum verborum pondus, ut reſipiſcere coactus Polemon, primo coronam capiti detractam projecerit, paulò poſt brachium etiam intra pallium reduxerit: atqve ita ſumma cum attentione Xenocratis orationem audiens, eam temulentiam ac laſciviam, qvam è convivio portaverat, eloqventiæ vi coactus, depoſuit: poſtremò totam penitùs laſciviam exuit: atq; ita unius orationis ſaluberrima medicina ſanatus, turpiſſimam illam vitæ conſvetudinem dereliqvit, & tanto ardore ac ſtudio Philoſophiam complexus eſt, ut inter primos brevi tempore Philoſophos haberetur, & Xenocrati magiſtro ſuccederet. Ecqvam creditis mentem Polemoni fuiſſe, Juvenes? ecqvem animum, cùm ſapientiſſimam Xenocratis orationem audiens, ætatis ſuæ labem & ignominiam apud ſe cogitaret? Eqvidem eum credo adeò commotum ac perturbatum amiſſi temporis recordatione, ut nullo modò lachymas conti-

Communicatio.

continere potuerit, atq; ita ſecum tacitè locutum: O miſeram & infelicem vitam meam, qvi florem ætatis fruſtra conteram: qvi non intelligam, has delicias & voluptates brevi dilapſuras: qvi non æternitatis dulcedine commoveat! O triſte fatum: ſiqvidem inglorius & infamis ſemper futurus ſum! Ergo Xenocrates in omnium ore verſabitur? Polemoni per ignaviam tempus peribit? O ſi pueriles annos recte collocaſſem! qvibus illi negociis, qvibus ineptiis per imprudentiam mihi defluxere? Heu ſortem iniqvam! nemo unqvam mihi virtutis ſpeciem oſtendit, nemo deſidem ac inertem excitavit, nemo ſcientiæ pulchritudinem aperuit: ſic infelix pubillus, neglectus ab omnibus rerum ignarus turpiter vixi. Sed jam valeant delitiæ, valeant convivia: Procul, ô procul abſint voluptates, qvibus nullum eſt cum virtute commercium. En unicum eſt remedium: Toto impetu ferar ad labores: ardentiùs ac vigilantiùs literarum ſtudia complectar: Nullum me ocium, nullus ſomnus retardabit: non fames non ſitis, non frigus, non calor ab incepto ſtudio removebit. Ingens enim, ut video, gloria longo labori comitatur. O factum egregium & ab omnibus vobis imitandum, Juvenes! O ſumme Parens, & omnium conditor Deus, hæc vota mea, qvæ tibi ſanctiſſimè nuncupo, fac ut rata ſint! Fac, ut hanc nobiliſſimorum adoleſcentium conſociationem, virtutum omnium amore flagrare videam. O felicem ac beatam iſtam ætatem veſtram, Juvenes; ſi, relictis voluptatibus, & qvæcunqve vobis infamiam poſſunt ac dedecus apportare, unam honeſtatem, & literarum gloriam ac ſplendorem amplexi fueritis? Qvod

Adumbratio reſipiſcentis juvenis.

Serò ſapiunt Phryges.

Conſilium pro correctione morum.

Exclamatio in facto cum probo voti auctario

& cum bona ſpe.

nescio, qva permotus animi divinatione, futurum confido.

CUM MEDIOLANO DISCESSURUS ESSET, ad Auditores suos.

ORATIO XVIII.

Est valedictoria cum gratiarum actione, non secus ac illa Ciceronis, anteqvam abiret in exilium. Qvapropter ad genus demonstrativum refertur; sed dum obitus laudis Senatus & Populi Mediolanensis recenset, suaq; beneficia commemorat & officia haud obscurè per insinuationem defert, ad svasorium reduci simul potest; cùm flectere Senatum annitatur; qvò professione sibi semel demandata ulteriùs ea fide & industria fungi, qvâ priùs, ipsorum venia & indultu liceat.

Exordium prore natâ & eventu insperato.

DIUTURNI laboris, Auditores, qvo publicæ qvidem utilitatis gratia; sed inutili mihi diligentia, sum his temporibus usus, in hac (ut vera dicam) non satis fortunata civitate, finem hodiernus dies attulit. Neqve enim posthac ex hoc loco more solito, me qvisqvam summos authores, Tullium ac Demosthenem interpretantem atqve officio me studiosè invigilantem, fortasse unqvam audiet. Decretum

est

est enim jam pridem mihi, qvod vos omnes jam audivisse existimo, civitatem hanc derelinqvere, sedesqve alias & vitæ conditiones investigare. Qvamoprem meas partes esse duxi, vobis hac extrema oratione discessionis meæ causas aperire; simulq; ostendere, qvantum huic civitati debeam, qvantumqve vos omnes colam ac observem. Ac primùm illud vos intelligere sanè pervelim, me non integerrimi Senatus nostri causa, qvi me, qvod qvivis facilè judicare possit, & vehementer amat, & certatim beneficiis suis, & privatis, & publicis, dignitatem meam amplificat, discedere statuisset: sed partim temporum injuria, partim etiam qvodam consilio meo. Nam cùm gravissima Senatus authoritate diligentissimè provisum esset, ut non imperitos juventus nostra disciplinarum ferè omnium Professores haberet: eiusmodi tempora secuta sunt, ut non jam doctrinæ; sed rei militaris peritis præmia proponere, ac stipendia persolvere necesse sit. Itaqve rectissimè illi facere videntur hoc tempore, qvi de publicis præmiis desperantes, aut privatam sibi vivendi rationem eligant, aut patriis sedibus derelictis alias sibi conditiones & provincias qværunt, ubi nec Bellonæ, nec Martis nomen audiatur. Nam qvis non videt, eo redactam esse civitatem nostram, ut non solùm jam ærarium omninò sit exhaustum: sed etiam omnium ferè privatorum domus exinanitæ? Qvod nisi Deus aliqvis, ex improviso apparens (ut in Tragœdiis fieri solet) ab ampendentibus miseriis eam liberet, vereor ne vehementius etiam affligatur. Sed hæc ille viderit, qvi cœlestia maximè procurat, deinde In terris, qvœ ad homines pertinent. Ego certè, si qvis unqvam amator patriæ fuisse

I. Abitu ex Academiâ Mediolanensi.

Propositio bipartita.

I. Causa abitus

Ratio ob belli ingruentis cladem.

Narratio.

Repromissio officiorum erga patriam.

fuisse perhibetur, & pro ea, in qva natus & altus est, Republica non opes solùm ac fortunas: sed ipsam etiam, si sit opus, vitam profundere paratus sit, ut eam ab imminentibus malis & calamitatibus liberet: ex eorum esse me numero profiteor, qvi neq; Codro Atheniensi, neq; Thebano Meneceo, neq; Romanis Deciis cessuri sint. Sed cùm eum esse Reip. statum videamus, ut nihil ei neqve nostra opera, neq; consilio prodesse, aut opitulari possimus: stultum est, in ea diutiùs commorari: cùm præsertim alibi commodiùs esse liceat: ac non eam potiùs Teucri vocem usurpare, qvam Tullius ait ad omnem rationem accommodari posse: Patria est, ubicunq; est benè. Qvod neq; malè dixisse videri potest Ovidius:

Adversativa à desperato.

Apophthegma.

Omne solum forti patria est, ut piscibus æqvor,
Ut volucri, vacuo qvicqvid in orbe patet.

Ab Exemplo Socratis.

Hinc illa divina Socratis sapientissima responsio qvi cùm aliqvando cujatem se esse diceret? interrogaretur; Mundanum se esse respondit. Totiû enim (ut ait Tullius) mundi se incolam, & civen arbitrabatur. Qvippe noverat ille Philosophorun præstantissimus, Animal hoc providum, sagax multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilii, qvem vocamus hominem, præclara qva dam conditione generatum esse à summo Deo, u globum hunc totius cœli medium tueretur, qv terra dicitur; non ut hanc aut illam tantum par tem tenere necessitas aliqva cogeret: sed ut omne terrarum orbis regiones, si libuisset ei, peragrar posset Itaq; multos accipimus suam rem bene ge sisse, & publicam patriâ procul: multos, qvi do mi ætatem agerent, propterea fuisse improbato Nam qvi nunqvam à patria sua discedunt, ii pro fect

Homo est qvasi mundi Dominus. Psalm. 8.

Peregrinatio laudatur.

A contra-

fectò mihi spongiis ac lepadibus persimiles esse videntur: qvæ, qvoniam sentire creduntur, à qvibusdam inter animalia numerari solent: sed cùm ab eo loco, cui semel nacivis testis adhæserint, avelluntur, non ita multò post intereunt. Qvid ergo? Nonne Zoophytis istis (ut Aristoteles appellat) ii simillimi sunt, qvi nusqvam locorum sciunt, nisi in patria sua vivere? Atqvi longè aliter sensere Pythagoras, Plato, Democritus, Anaxagoras, aliiq; penè innummerabiles Philosophi, qvi ætates suas in perpetua peregrinatione consumpserunt. Qvid, qvòd ex nobilissimis Philosophis plurimos accepimus, semel patriæ fines egressos domum nunqvam revertisse? ita Xenocrates, Crantor, Arcesilas, Aristoteles, Theophrastus Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Antipater, Carneades, Panætius, Clitomachus, Philo, Antiochus, Posidonius, infinitiq; alii. Qvis igitur non hos imitari potiùs velit; qvàm istos inertes ac desides, qvi tanqvam claudi sutores, aut cochleæ perpetuò domi sedent, neq; unqvam agelli sui fines egrediuntur? Hæc est medius fidius res homine libero dignissima: Varias lustrare provincias ac regiones; celebres invisere civitates; multarum nationum mores ac vitas ediscere: sinus, portus, promontoria, montes, flumina, maria, Chersonesas insulas, loca deniq;, qvæcunq; sunt insignia diligentissimè cognoscere. Nihil enim hac prudentia fieri potest ornatiûs. Qvare tùm Poëtarum ille coryphæus Homerus,

rio, & qvidem simili.

Adversativa.

Ab exemplis.

Conclusio, peregrinandum esse.

Usus peregrinationis.

Aqvo, ceu fonte perenni,
Vatum Pierii ora rigantur aqvis,

Ulyssem suum amplissimis laudibus in cœlum ferre decrevisset, illum à peregrinatione primò laudavit, ut plurimarum rerum peritissimum ostenderet.

Ab exemplo Ulyssis.

deret. Sic enim ab Ulyssis nomine qvod inscripsit, Opus inchoavit:

Dic mihi Musa virum, captæ post mœnia Trojæ,
Qvi mores hominum multorum vidit; & urbes.

Et meritò. Qvid enim fuisset Ulysses, si Ithacam illam suam, saxutis asperrimis inhærentem, tanqvam nidum semper incoluisset? Qvid Alexander Magnus, si Macedoniæ fines nunqvam esset egressus? Qvid Democritus, nisi obscurissimam Thraciæ civitatem Abderam, patriam suam reliqvisset? Qvis Diogenem Cynicum agnovisset, si perpetuò Sinopem, in qva civitate natus erat, incoluisset? Anacharsis non in Schytia: sed Athenis cognitus est. Tarqvinius Priscus non in patria sua, sed Romæ regnum adeptus est. Hercules etiam (ut ad fabulas veniamus) non Thebis Bootiis, neq; in Græcia tantùm: sed in extremas Occidentis partes progressus, atqve erectis ibi duabus columnis sempiternam gloriam ac divivos honores acqvisivit. Saturnus, à sedibus paternis expulsus à filio, non tantùm regnum in Italia; sed etiam divinitatem adeptus est. Stultum est omninò atq; inane votum eorum, qvi sperant, in perturbata patria atqve etiam in tranqvilla & qvieta multum excellere posse. Certum est enim ac vulgatum illud ex Evangelio; Neminem esse Prophetam acceptum aut honoratum in patria. Nam qvi cives tam benigni, tam comes, tam candidi reperiri possunt, qvibus non illud Ephesiorum Elogium placeat, de qvo scriptum esse dicitur apud Heraclitum Physicum, de Principe Ephesiorum Hermodoto; qvem cum civitate expellerent, ita locuti sunt: Nemo de nobis unus excellat: sin qvis extiterit; alio in loco & apud alios sit. Ita profectò nemo est,

Alexandri Magni. *Democriti.* *Diogenis.* *Anacharsis.* *Tarqvinii.* *Herculis.* *Saturni.* *Comprobatio alia ab absurdo.* Lucæ 4.

eſt, qvi non velit, cives ſuos apud exteras nationes eſſe qvàm florentiſſimos & celeberrimos: præſentes verò cum in aliqva re vident excellere, vel eis invident, vel aliqva ratione conantur expellere. Clariſſimus fuit Superior Africanus, dum in Hiſpania, dum in Africa, dum in Aſia bellaret, dum Pœnorium impetum, Annibalis crudelitatem, Antiochi temeritatem à provinciis Romanorum, à mœnibus patriis, à ſociis atqve amicis propulſaret: ſed cùm Romæ in toties conſervata, & victoriis ac triumphis illuſtrata patria cœpiſſet immorari; plurimis calumniis, & injuſtiſſimis accuſationibus exagitatus, furori tandem civium ceſſit, & in villa ſua *Linterni* mortuus, ſepulchro ſuo tale juſſit epitaphium inſcribi: Ingrata patria ne oſſa qvidem mea retinens. Qvid Æmilianus Scipio huic virtute ſimilis, rerum geſtarum gloria major, qvo demum ſplendore, qvanta dignitate, qva celebritate fuit in Africa, dum Carthaginem, Romani Imperii pertinacem æmulam, expugnaret, ac funditùs dirueret? qva poſt hæc virtutis admiratione, dum in Hiſpania Numantiam, decem annos obſeſſam à Romanis, radicitus evelleret? tamen domum reverſus, propinqvorum ſuorum inſidiis interfectus eſt. Tempus mehercule citiùs; qvàm oratio deficeret, ſi de Themiſtocle, Alcibiade, Miltiade, Cimone, infinitisq́; aliis commemorare velim; qvid de patria ſua benè, vel potiùs optimè meriti; tamen qvod apud exteras nationes ſummam gloriam & honorem adepti fuiſſent, à civibus ſuis maximas injurias perpeſſi ſunt. Sed nemo verum exiſtimet, me hæc ea de cauſa recenſere, ut aliqvem à patriæ ſalute defendenda ac tutanda deterream, hoc n. omninò ſceleſtum atq; impium eſſet; cùm ut nobiliſſimorum ſententia Philoſopho-

Ab exemplo Africani.

Æmiliani Scipionis.

Præteritio.

Correctio.

rum

rum est. Magis patriæ, qvam parentibus, ac nobismetipsis debeamus; verùm ut ostendam; Non debere qvenqvam nimium dolere aut cruciari; si dignitatem suam in patria diutiùs obtinere non possit: neqve multum iniqvo ferre animo, cùm ab ea fuerit sibi recedendum. Ad dicet fortasse qvispiam: Qvid est, qvod tu de civibus tuis conqveraris? Qvasi verò non ego jam initiò proposuerim, me hodiè velle declarare, qvantum civitati debeam. Tantum enim abest, ut qvicqvam ego de Mediolanensibus viris conqverar; ut etiam eos omnes divinis propè laudibus exornare contendam, & tantum eis me debere libentissime fatear & agnoscam, qvantum persolvere difficilimum esse videatur. Neq; fuit alia causa, qvæ me impelleret ad hanc habendam hodierno die coram vobis orationem: nisi ut hac extrema voce mea de hoc loco, qvantum facultas mea ferret, testatum apud animos vestros relinqverem, meam erga vos omnes incredibilem benevolentiam, vel pôtiùs pietatem; ut Mediolanensium civium, ut sapientissimi Senatus, ut Principum nostrorum immortalia erga me beneficia prædicarem, ut omnium nobilium virorum propensam in me voluntatem extollerem. Nullus enim fuit jam multis annis (ut arbitror) ex ordine meo, cui magis faverit hæc universa civitas qvam mihi. Cujus rei testes mihi sunt omnes, qvi hæc advertere solent. Cùm enim adhuc essem ignotus plurimis, propterea qvod qvinq; perpetuos annos dedita opera studia mea occultaram, amplissimis præmiis nonnulli me cives invitarunt, ut filios suos erudiendos susciperem. Qvod cùm haud gravatè fecissem, brevi tempore tanta nobilissimorum adolescentium ad me multitudo con-

Objectio. *Excusatio, ad patriam.* *Scopus præsentis orationis.* *Valedictio & gratiarum actio.* *Ratio utriusq; ob beneficia in se collata.* *Declaratio per enumerationem.*

confinxit, ut vix oneri ſuſtinendo ſufficere poſſem. Subſecutum eſt poſteà tempus, qvo, de amicorum conſilio ac ſententia, publicè legendi provinciam à Senatu petere ſum aggreſſus. Dii boni, qvàm faciles in favorem meum totius Senatus animos inveni! qvam paratos ad amplificandam dignitatem meam! qvàm promptos ad mihi gratificandum! qva comitate, qvo vultu; qva hilaritate me excipiebant! Verè hoc jurare poſſum, Auditores; à nemine me penitùs eorum; qvi publici conſilii ſunt authores, non modo non repulſam tuliſſe; ſed ne aſperiore qvidem verbo unqvam appellatum. Qva in re non mediocrem animo cepi voluptatem: cùm longè majorem apud ſapientes viros de me conceptam opinionem reperiſſem, qvàm unqvam non modò ſperaſſem, ſed ne cogitaſſem qvidem. Publicè cœpi legere. Qvid reliĉtum eſt à Principibus noſtris, qvod ad augendam & illuſtrandam gloriam meam pertineret? Ipſe noſtri Senatus Princeps eximius, Philippus Saccus, qvem amplitudinis & honoris cauſa nomino, jam ſenio confectus, multis ex ordine Senatorio comitantibus, orationi noſtræ primæ intereſſe voluit, graviſſimumqve mihi teſtimonium eruditionis ac doctrinæ, plurimis audientibus, reddidit: qvod idem alii multi doctiſſimi homines approbarunt. Qvanta verò fuerit auditorum mihi ſemper freqventia; non opus eſt, ut ego commemorem: vosipſi teſtes eſtis optimi. Qvin etiam, qvod mirum ſit omnibus, cùm domi meæ diſcipulos exercerem in declamando, multi Senatores, Juriſconſulti, Medici, multi deniqve Principes civitatis adventitabant; cùm ut pueros, qvibus nihil fieri poterat, feſtivius, audirent; tùm etiam, ut

& narrationem facti.
Exclamatio in evenitu fauſto.
ab applauſu Senatus totius.
Exaggeratio à teſtimonio publico. Principis Mediolanenſis.
A copia auditorum.
A privato ſtudio.

Exaggeratio major à favore alius principis.

honori meo velificarentur. Qvid, qvod etiam magnus hic noster Princeps Alphonsus Avalus, humanissimus & clementissimus: qvi non minor apud Carolum Qvintum Imperatorem Augustissimum habetur, qvàm olim apud Alexandrum Macedonem Ephestion, apud Scipionem Lælius, apud Octavium Augustum Agrippa; nos domum suam invitavit, & apparatu munificentissimo ac regio cum discipulis nostris excepit, ut Terentianam Eunuchum eos agentes audiret. O miram tanti Principis modestiam! ô prædicandam facilitatem! His igitur tot ac tantis affectus honoribus, qvid causæ est, cur non omnes cives Mediolanenses, universum ordinem Senatorium, omnes Princiepes nostros; totam deniqve civitatem vehementer amare, colere, celebrare debeam? Nam qvicqvid honoris, gloriæ, dignitatis, amplitudinis adolescentium Moderator asseqvi potest; id ego sine controversia, vel invidiâ teste, sum in hac urbe consecutus. Nihil est, qvod amplius addi possit, ad meam in hac arte dignitatem. Itaqve nunc aliò mens adspirat, & altiora concupiscit: majora qvædam tentare animus est. Video Grammaticorum, qvæ summa est, si cum aliarum liberalium artium gloria conferatur, tenuissimam ac minimam esse gloriam; labores verò plus, qvàm Herculeos: video nullum esse genus vitæ magis molestum, ac turbulentum. Video deniqve non esse mihi tam sperandam majorem laudem in hac arte, qvam verendum, ne, qvam hactenus acqvisivi, si qvit de summo labore ac diligentia amisero, fortassis amittam. Cùm hoc vereor, tùm illud etiam non mediocriter pertimesco, ne Respublica nostra propter hos belli tumultus, qvi jam-

Exultatio in re læta.

Conclusio.

Ratio repetita ad conciliationem benevolentiæ pristinæ.

Illustratio per collationem cum aliis disciplinis.

A minori.

A dubio belli eventu.

pridem

pridem vicinis in regionibus excitantur, gravius perturbetur. Sed absint omnia mala. Benè omnino benè, inqvam, sperandum est: his præsertim tam egregiis & sapientibus Ducibus, ac Principibus nostris, qvi nunqvam cogitare cessant, & omni diligentia providere, qva ratione fieri possit, ut ne qvid Respub. detrimenti patiatur. Nos verò, qvò maximus ardor mentis, & recto (ut opinor) ratio trahit, proficisci decrevimus, & sacrosancta Philosophiæ Legumqve Christianorum adyta perscrutari, qvo nullum aliud hominibus à Deis immortalibus majus donum concessum est. Hactenus Præceptoris partes sustinui, posthac me discipulum divinarum atqve humanarum rerum peritorum forè profiteor. Longè enim præclarius esse statuo, Philosophum ac Theologum esse infimum, qvàm Grammaticorum summum. Nam si hac in parte velim orationis velatendere, & ostendere, qvantò sit excellentior vel mediocris Theologiæ cognitio, qvàm exqvisita Grammaticarum doctrina; facilè probare possem omnibus consilium meum. Sed non faciam, sinum plerosq; collegas meos errare, & suum unicuiq; (qvod dici solet) pulchrum esse. Non enim me latet, multos fore, qvi me imprudentem, & nullius consilii virum appellent: qvi cùm in hac civitate possim magno (ut ipsi putant) cum honore & lucro, more solito, versari; malim tamen longè minori cum dignitate alibi vivere. Ac me qvidem, Auditores, si nihil hac hominum de me existimatione moveri dicam, mentiar profecto: non enim mediocriter me perturbat. Sed tamen nihil erit unqvam tam grave, qvod ab hoc me proposito dimovere possit.

A bono omine.

Insinuatio.

Objectio ob vitæ genus mutandum.

Collatio Theologiæ & Philologiæ.

Præteritio.

Communicatio consilii intercepta.

Video enim qvasi ea, qvæ oculis cernuntur, hanc vitæ commutationem, & utilissimam & honestissimam mihi futuram. Restat, ut, qvoniam explicui vobis omnem consilii mei rationem vos orem atqve obtester, jucundissimi Auditores, ut qvem ego semper erga vos animum habui, atqve etiam hoc tempore habeo, eundem erga me vos habeatis. En vestrum Majoragium, vobis totum deditum, vestri amantissimum, laudis vestræ cupidissimum; qvi, ubicunqve fuerit, modestiam vestram, vestros amabiles mores, summum ingenium vestrum, probitatem, honestatem prædicabit. En qvi vos, parentes vestros, fratres, propinqvos, amicos, vestra deniqve omnia, magis qvàm se; qvàm vitam propriam amat. En qvi perpetuò paratus erit, qvibuscunqve rebus poterit, vobis gratificari; qvi vestri memoriam summa cum benevolentia semper retinebit; qvi vos ad cœlum summis laudibus semper feret, qvi vestram nobilitatem & morum integritatem magnis extollet præconiis. Ubicunqve vester hic erit Majoragius, ibi qvotidiè Mediolanensium laudes personabunt. Vos spero ita gesturos, qvemadmodum hactenus fecistis, ut meis laudibus dignissimi esse videamini. Qvod qvidem facilimè præstabitis, si literarum gloriam, cujus majores nostri semper appetentissimi fuerunt, etiam vos omni conatu vestro complexi fueritis. Illud in extremo orationis meæ parte de me vobis polliceor ac spondeo; Sit Deus ipse, qvi cuncta videt, mihi testis; Me, qvibuscunqve in regionibus fuero, Mediolanensium juventuti, qvantum facultas mea tulerit, libentissimè fauturum, facturumqve, ut omnes intel-

Obtestatio sub valedictione,

cum studii oblatione,

Adhortatio.

Repetita pollicitatio.

intelligant, me cives meus præcipuo qvodam amore, singulariq; benevolentia proseqvi.

DE PRÆSTANTIA LITERARUM.

AD SENATUM MEDIOLANENSEM.

Qvam primam habuit, qvo tempore publicè docere cœpit.

ORATIO XIX.

Ex titulo liqvet esse è genere Demonstrativo deductum hujus orationis filum. Prædicat enim & dilaudat, ut Professorem decet, pro incitamento & calcari juventuti addendo, literarum & artium humaniorum eminentiam, necessitatem, utilitatem & commoditatem in omne vitæ genus redundantem, simulq; aditum sibi facit & struit ad novæ provinciæ munus feliciter obeundum, Poeta teste;

Excitat Auditor studium ludataqve virtus,
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Exordium à fine & usu, id est, spe & fructu commodorum.

CUm propter egregia Principum nostrorum instituta, & singularem in Rep. gubernanda diligentiam, vestramq; in primis fidẽ atq; integritatem, Patres conscripti. bonis viris & industriis spem dignitatis uberrimã, præmiaq; amplissima, & ad opes & ad magnificentiam proposita esse viderem: iis verò, qvi se vitiorum illecebris & cupiditatum lenociniis dedissent, non omnem solùm honoris viam interclausam; sed etiam dedecus & ignominiam subeundam esse maximam: eam mihi vivendi rationem ab ineunte ætate suscipiendam censui, ut in hac optima Rep. in ocio literario, qvo nihil dulcius aut jucundius est, cũ dignitate esse possem. Nibil enim omninò videbam, in qvo ego majori cũ laude nervos omnes ætatis, industriæqve meæ contenderem, aut in qvo magis huic civitati prodesse possem, qvàm si omnes undiqve literarum & ingenuarum artium flosculos ex amœnissimis doctissimorum hominum viretis carpens atq; delibans, liberis vestris impertirem. Ac me qvidem diu laborantem, præmiumq; laborum meorum nullum aliud, qvam laborem gloriamqve expetentem, diuturna spes ac expectatio non fefellit. Verè enim dicam; qvamvis timidè; propterea qvòd intueor coràm hæc lumina atq; ornamenta Reipublicæ: Sic à bonis omnibus coli, sic observari me video, ut multò plura, qvàm ego non modò optare unqvam ausus fuisse; sed ne cogitare qvidem potuissem; me consecutum esse existimem. Vos mihi certatim clarissimos liberos, unicam spem vestram, cùm primùm ludum aperuissem, in disciplinam tradidistis: vos me jucundissima consvetudine ac familiaritate vestra dignum censuistis: vos me, qvamvis ætatem videretis, hoc amplissi-

Adversativa.

Accommodatio ad seipsũ.

Ratio ab honeste.

Ab eventu fausto.

Enumeratio commodorũ.

Anaphora.

amplissimo publicè legendi munere libentissimè decorastis. Qvare meritò ingratissimus esse videar, nisi istam vestram tam propensam in me voluntatem, tam incredibilem humanitatem, tam liberalem animum non ubiqve prædicem, non extollam, non omni studio meo dignum putem. Sed nihil est (mihi credite) P. C. qvod qvisqvam de me, aut de mea possit industria dubitare. Ego enim à pueritia & literis omnibus deditus, & voce doctissimi præceptoris eruditus, & sapientissimorum virorum exemplis admonitus, & ipsa deniq; natura impulsus, cum primùm per ætatem, qvid optimum atqve expetendum esset, potui cognoscere; semper illud, qvantum facultas mea tulit, amplecti studui: nec ullum unqvam per socordiam atqve ignaviam rei benè gerendæ tempus amisi. Nunc verò cùm ad hanc honestissimam provinciam vestra liberalitate atqve beneficientia delectus accesserim, beneficiū eqvidem maximum à vobis accepisse me fateor: cum occasionem mihi pulcherrimam oblatam esse videam, pro multorum civium liberis, atqve adeò tota hujus civitatis juventute, & vigilandi, & laborandi. Itaq; majori mihi, qvàm anteâ studio, majoreq; diligentia opus esse intelligo: ut multorum expectationi, qvam de mè concitavi, aliqva saltem ex parte respondeam. Vos verò, P.C. sic existimare, ac vobis ipsis persvadere debetis: Totam me profectus mei spem, honoris adjumentum, studiorū præsidium, in amplitudine vestra collocasse. Vobis fretus, hoc cum maximo vestro beneficio negotiū suscepi. Vestri authoritas, virtus, integritas fecit, ut non vererer penè viribus meis impar onus aggredi: qvod tamen non dubito, qvin auxilio vestro facilè perlaturus sim. Vos enim universos litera-

Conclusio cum gratiarum actione.

Occupatio.

Solutio per narrationē.

Studioso qvid agendū

Eventus boni declaratio.

Munus publicum & professorium

Insinuatio.

Translatio modesta oneris & honoris in alios.

Ratio à juvandi promptitudine.

rum cultores & ingenuarum artium Professores plurimnm obſervatis: vos ſtudioſam omni conatu atqve auxilio juventutem ſublevatis; vos deniqve nullam penitus virtutem diutius jacere ſuſtinetis.

Attentio,

Et qvoniam me tam erectis animis ſumma cum attentione auditis; utar iſta benignitate veſtra; & de Studiis humanitatis ac literarum, qvibus vos, cùm in eis plurimum excellatis, etiam filios veſtros omni diligentia incumbere, & nihil aliud, qvàm de illis cogitare deſideratis, paulò dicam liberiùs:

Cum propoſitione.

De literarum & artium præcellentia.

ut hos adoleſcentes, & qvi nobiles ſunt ad majorum ſuorum imitationem excitem: & qvi ingenio & virtute nobilitatem conſeqvi poſſunt, ad eam vitæ rationem, in qva multi homines novi & honore & gloria floruerunt, ingrediendam adhorter.

Attentio iterată.

Qvod dum facio, qvæſo vos P.C. qvamvis hæc ad vos oratio parum aut nihil potiùs pertinere videatur, tamen qvoniam me præſentia veſtra decorare voluiſtis, bona cum venia audiatis. Hæc enim res juventuti ad diſcendum præclariſſima; neqve mihi perdifficilis ad docendum.

Fontes perſuaſionis.

1. Ab Honeſto.

2. Utili.

3. Jucundo.

Nam qvi nihil in vita penitùs expetendum putat, niſi qvod ſit cum laude atq; dignitate conjunctum; eum ſumma ope niti decet, ut ea complectatur, qvæ niſi vigilantes homines, niſi ſobrii, niſi induſtrii conſeqvi non poſſunt: tantoq; vehementiùs literarum ſtudiis incumbat, qvanto ea præſtantiora & utiliora cæteris omnib. ſtudiis eſſe planũ ac manifeſtum eſt.

Comprobatio per declarationem.

Nam, per Deos immortales qvid humano generi datum eſt à providentia majus aut clarius, qvàm ſtudia literarum? qvid honeſtius? qvid dulcius? qvid, qvod magis excelſum ac ſublimem animum deceat; qvod magis à vitiorum ſordibus, & effrenatis cupiditatibus poſſit hominum mentes ad virtutem,

ac

ac honeſtatem ſublevare? Ac mihi qvidem, de his ſtudiis ſæpius cogitanti ac pertractanti, venit in mentem admirari ſummam Dei immortalis beneficientiam & benignitatem incredibilem; qvi primò nos hoc munere tam eximio literarum beare voluerit; deinde cognitionis ac ſcientiæ deſiderium noſtris mentibus inſpirarit. Neqve enim ullus mortalium inveniri poteſt: qvi naturæ ipſius inſtinctu ſcire non deſideret. Unde factum eſt, ut aſſidua mentis agitatio, qvæ nunqvam qvieſcit. tot ac tam varias diſciplinas atqve ſcientias excogitaverit, qvibus animum ſi qvis ita excoluerit, ut excellat, qvaſi Deus aliqvis in terris in ſumma omnium eſt admiratione, ab omnibus obſervatur ac diligitur. Hæc eſt una via (mihi credite) & laudis & dignitatis, & honoris, Bonis artibus ac diſciplinis animum conformare: nullus eſt animi cultus ſanctior, nulla occupatio liberalior, nullum ocium amœnius, nullum ſtudium præſtantius. Qvis enim ignorat, Studio literarum fieri, ut ſcire poſſimus, qvid majores noſtri, qvid exteræ nationes, qvid omnis antiqvitas geſſerit, aut dixerit? Age verò, Nonné literis docemur perfectè loqvi, politè dicere, veri ac falſi cognitionem habere: cœlum, maria, terras intelligentia permeare, totius naturæ vim & rerum cauſas cognoſcere, privatas domos regere, Reſpublicas adminiſtrare, vitia propulſare, mores emendare, bellorum ſedare tempeſtatem, pacis ſervare tranqvillitatem? Proh Dii immortales! tantumné fructum, tam amplum, tam immenſum, non toto pectore cupiamus? non remis (ut ajunt) veliſqve petamus? non manibus pedibuſqve teneamus? Qvod ingenium tam acre tam ſublimè, tam varium, tam fœcundum; qvis

Artes à quo inventæ?

Demonſtratio per uſus in diſciplinis

Ἐπιφώνημα. cum admonitione.

Exaggeratio hyperbolica, cum obtestatione. tantus eloqventiæ torrens inveniri poteſt, qvi literarii ſtudii præſtantiam, atqve optimarum artium amplitudinem poſſit oratione comprehendere. ? Obſecro vos per Deos immortales, P. C. date mihi hanc veniam, ut liceat orationi meæ in hoc qvaſi dicendi campo, ſuo qvodammodo jure parumper exultare! *Attentio renovata.* Atqve utinam ea mihi facultas eſſet orationis, qva rei magnitudinem dicendo poſſem aſſeqvi! cùm vos omnes hæc verba mea videã tam humaniter ac diligenter audire. *Demonſtratio, qvid ſplendorem Reip. conciliet?* Veſtra iſta gloria, P.C. (erumpet enim ex me vera vox, & dicam audacter coram manſvetiſſimo Senatu, qvod ſentio:) veſtra iſta tam egregia, tam excellens, tam omni laude ferenda gloria, qva proximè ad Deorum immortaliun dignitatem acceditis, omninò jaceret in tenebris, neqve divinum illum fulgorem ſuum explicare poſſet, niſi literarum lumen accederet: *Unicum literarum decg.* tot facta memorabilia domi, militiæq; tot res geſtæ, tot dimicationes, tot prælia, tot triumphi, tot imperia, qvæ maxima cum laude celebrantur, jam pridem in æternam oblivionem conceſſiſſent. *Literæ immortalitalitatem gignunt.* Qvis ex tot egregiis & probatiſſimis viris, ex tot fortiſſimis Imperatoribus, qvi majorum noſtrorum ætate, & priſcis illis temporibus floruerunt, hoc tempore noſceretur, niſi ſacratiſſima Literarum monumenta extitiſſent? *Adverſativa.* vanus eſſet omnis labor noſter, vana ſpes omnis poſteritatis, vani conatus, vigiliæ, curæ, ſolicitudines, occideret una cum corpore rerum omnium geſtarum memoria: nulla laus eſſet homini relicta poſt cineres, nulla gloria; qvam unam mercedem laborum ac periculorum ſuorum virtutis maximè deſiderat. *Exaggeratio* Literæ ſolæ rebus præclarè geſtis immortalitatem donant. Literæ, tanqvam ſmaragdi precioſiſſimi, ſvaviter

ac perpetuò virent. Literæ ſunt fideliſſimæ vitæ duces, virtutum indagatrices, expultriceſqve vitiorum. Literæ ſunt dominæ rerum, qvibus perſvademus: qvibus afflictos conſolamur: qvibus cupiditates iracundiamq; reſtinguimus: qvibus juris legum, urbium ſocietate devincimur? qvarum majeſtate omnia vitæ ac fortunæ ornamenta decorantur. Literæ ſunt lumina veritatis, vivendi magiſtræ, nunciæ vetuſtatis. Jamverò Literæ in omnibus negociis & rebus agendis, maximam ſolent hominibus afferre prudentiam: dum nobis ob oculos clariſſimorum virorum exempla proponunt: dum inveſtigandi veri deſiderium inſpirant: animi atqve mentis agitationem excitant: omnium virtutum viam per ſcientias aperiunt, Nec minora nobis ad juſtitiam adjumenta præbent: Religionem enim docent, pietatem in patriam, in parentes, in liberos: in amicos concordiam, fidem, conſtantiam, vitæ communionem ac ſocietatem. Qvid, ad animi magnitudinem qvantas in nobis faces accendunt? ut labores ac pericula toleremus: vilium rerum contemptione magnarum appetentia ducamur; placabilitatem, clementiam, abſtinentiam complectamur. Ad modeſtiam autem ac temperantiam vel invitos penè dixerim homines Literæ trahunt; cùm toties libidinum eradicationem inculcent, vigilantiam, ſobrietatem, rerum omnium modum. Sed qvò rapimur amore literatū? Proh Deum atq; hominum fidem! video Literis cœlum etiam ipſum aperiri, æternā animis noſtris felicitatē condonari. Video per literas tantam nobis induſtriā, tantum mentis acumen, tantam ſolertiam inſpirari, ut cœleſtes etiā globos cognitione penetremus, & qvaſdam ibi naturas ab omni mortali-

Literarum laus ab uſu & fructu.

Literæ nulli bi non regnant.

In choro & foro; & toro.

Ad virtutem ſunt calcari.

Reticentia.

Repetitio uſus literarū.

tate

tate separatas esse intelligamus; qvarum summa sit ratio sempiterna, qvam eandem mentem sapientiamq; perfectam, & Deum appellamus; omnium rerum, qvæ sunt ei subjectæ, conditorem, procurantem cœlestia maximè, deinde in terris ea, qvæ ad homines pertinent: præterea novem orbibus connexa esse omnia; qvorum in infimo Luna per tristes tenebras, pavidasqve umbras feratur prorsus horrida & tenebricosa, nisi Phœbi radiis illustretur; cujus mutabilitate maria nunc exurgant, nunc refluendo derprimantur. Supra Lunam æterna esse omnia, infra nihil, nisi mortale & caducum; præter animos nostros, qvi Dei beneficto sunt immortales. Inter se conjuncta esse rerum elementa, concordi discordia, qvæ vicissim generentur & corrumpantur: ita ut vicissitudine qvadam omnia renoventur. Novimus per Literas, qvæ sit ventorum, tonitruum pluviarum causa, qvæ terrestrium, aqvatilium, volucrum, amphibiorum animalium natura sit: qvâ ratione fieri possit, ut certis momentis atqve eo semper tenore tempora decedant: cur nunc annus odorum suavitate, qvi afflantur è rosis ac floribus, & camporum amœnitate vernet; nunc maturos fructus afferat; nunc horrida tempestate teneatur. O jucunda naturæ contemplatio! O mira rerum spectacula! His ego rebus pascor, his delector, his perfruor.

In Astronomia & Astrologia. Luna aspectus.

In Physica & Meteorologia.

Exclamatio.

Conclusio;

Felices animæ, qvibus hæc cognoscere primis,
Inq; domos superas scandere cura fuit.

Nihil est in terris, nihil in mari, nihil in cœlo, nihil deniqve in universo mundi ambitu, qvod homines animo non investigarint, mente non penetrarint, ingenio non comprehenderint, eloqventia non exornarint, & inclitis literarum monumentis

Omnia literis pervia.

tis;

tis non prodiderint. Itaqve nemini dubium esse potest qvin literæ sint omnium rerum pulcherrimarum qvasi preciosissimus qvidam thesaurus. Nefas est (meo qvidem jucio) credere, Literas, qvibus nihil excogitari divinius potest, aliorum, qvàm Dei immortalis inventum fuisse. Scribat mendax Græcia, qvicqvid voluerit; Fuisse qvosdam olim in Æthiopiâ populos, qvi mortalium primi literas invenerint, à qvibus eas Ægyptii, qvi Æthiopum coloni fuisse dicuntur, posteà sumpserint, moxqve ab iis, qvi ex Thebis Ægyptiacis migravere, in Phœniciam fuisse delatas: unde Cadmus, Agenoris filius, earum usum in Græciam deportarit; deinde successu temporis, Evandri matrem Nicostratam, qvæ eadem & Carmenta dicta est, eas in Italiam advexisse: vel (qvod apud Platonem legimus) Ægyptium qvendam Dæmonem, nomisse Theut, literarum fuisse repertorem. Ut volet qvisq; accipiat: ego tamen Josephi, non ignobilis Historici, de hac re sententiam verissimam esse judico. Is enim scriptum reliqvit, Adami filium, nomine Sethum literarum usum habuisse; & in duabus eum columnis, cœlestium rerum disciplinam, qvam scilicet ab Adamo patre didicerat, conscripsisse. Qvæ si vera est sententia cuinam dubium esse potest, qvin literas à Deo primus omnium parens Adamus acceperit, & filium Sethum, qvem post Abelis mortem unicè diligebat, eas docuerit? Sunt igitur Literæ præstantissimum Deorum immortalium munus; qvod ejus res gratia mortalibus traditum est, ut noster animus in hoc mortali corpore, tanqvam obscuro qvodam carcere, penè violenter inclausus, splendorem illum pristinum divini luminis recuperet, & rerum omni-

Argumentũ ab inventore Literarum primo.

Per remotionem falsò creditorum autorum.

Cadmus unde Cadmi filia. literæ sunt.

Assertio veræ sententiæ.

Adam primus ὀνοματοθέτης. Sethus literarum propagator.

Commendatio literarũ ab origine divina.

omnium divinarum atq; humanarum cognitionem acqvirat. Adhæc ut per literas, & qvid superiori tempore gestum esset, recordemur; & qvid in præsenti gerendum sit, intelligamus, & qvid posteà sit futurum, prævideamus; ut per literas omnis vitæ communitas contineatur, ut nullum commercium inter mortales, nullus contractus, non pax, non bellum non induciæ sine literis sanciantur. Sed nimium multa de re minimè dubia loqvor. Qvis est enim, qvi nesciat, nihil esse tam excellens, tam sanctum, tam religiosum qvd meritò possit cum scientiarum cognitione comparari? Qvod cùm agnovissent illi antiqvi prutendissimi ac sapientissimi viri, qvorum gloria disseminata in orbis terræ memoriam sempiternam; nullum unqvam tempus ab iis studiis vacuum esse sinebant: & qvò majorē atq; altiorem, dignitatis gradum obtinebant; tantò ardentiùs ad percipiendas disciplinas inflammabantur: neq; hoc solùm; sed etiā literatos omnes omni studio & honore proseqvebantur. Nam cui non auditum est? Augustum Cæsarem, summū orbis terrarum Monarcham, summum etiam ingeniorum ac literarum fautorem extitisse, & liberalibus studiis adeò deditum, ut nullum omninò diem prætermitteret, in qvo non aliqvid aut legeret, aut componeret: qvi qvamvis præclarè intelligeret: res gestas suas immortales futuras, nec ullo modo fieri posse, ut injuria temporū nominis sui fama intercideret: nihilò tamen minùs etiam ex literis qværebat. Qvid hujus pater ex adoptione Julius Cæsar? nonnè sicuti bellica gloria majores omnes superasse: ita etiam eloqventiæ palmam arripuisse videtur, ut uni Ciceroni cesserit: Cæteros omnes longo intervallo post se reliqverit? Atq; hunc etiam do-

Ab usu in Historiis.

Exaggeratio per collationem.

ab exemplo majorum.

1. *Augusti Cæsaris.*

Nulla dies sine linea aut litera.

2. *Julii Cæsaris*

ctorum hominum ita studiosum fuisse accepimus, ut omnes liberalium artium Professores civitate donaverit. Jam verò Scipiones, duo belli fulmina, Superiorem & Inferiorem Africanos, ambos Pœnorum & Hispanorum debellatores, ita doctrinæ cupidos fuisse legimus, ut ille superior, cum Africæ ruinam volveret, inter difficilimi belli molitiones & apparatus bonarum artium studia non prætermitteret: sed Philosophorum scholas crepidatus in Sicilia freqventaret. Hic autem posterior Æmilianus, etiam Poëticæ studiosus fuisse fertur, ut Terentium Comicum, qvi cum familiarissimè vivebat, in conscribendis Comœdiis plurimum adjuvisse dicatur. Qvid autem Catones duos commemorem, Censorium & Uticensem, sapientissimos viros? qvos constat senes admodum operam dedisse literis, & adeò flagrasse discendi cupiditate, ut ille superior Censorius, annum natus sextum & octogesimum, juvenili tamen animo in discendo persisteret. Uticensis verò in ipsa curia, dum Senatus cogeretur, Græcos libros lectitabat. O verè sapientissimos homines, qvos à colendis his literarum studiis, qvæ omnium utilissima esse intelligebant, nullum unqvam tempus abstraxerit, nullum negocium avocarit, non deniq; ætas jam ingravescens retardarit! Age verò, qvid de Anaxagora Philosopho dicemus? qvi patrimonium amplissimum amicis suis largitus est, ut liberius Philosophiæ vacare posset. Qvid Democritus Abderites, cujus pater adeo dives fuisse dicitur, ut epulum Xerxis Persarum regis exercitui dare potuerit, nonne discendi gratia, tot ac tantis spretis divitiis, patriam deseruit, & diversas mundi regiones peragravit? Nec mehercle Megarensis Euclides filen-

3. Scipionum utriusq.

4. Catonum utriusq.

Exclamatio.

5. Anaxagoræ per prateritionem.

6. Democriti.

silentio prætermittendus; qvi usqve eo discendi cupiditate flagravit, ut vel capitis periculo, sumpta muliebri stola, noctu Athenas, qvod Megarensibus erat capitale, commearet, ut philosophantem Socratem audiret. Qvantus autem fuit Cleanthis ardor in literis? qvanta industria? qvi cùm usqve eò mendicitate premeretur, ut ne cibi qvidem facultas suppeteret, nocturno tempore ad aqvam è puteis hauriendam, operam suam locabat, ut eo saltem qvæstu inopiam sustentaret: unde etiam vulgò Phreantles appellatus est: interdiu verò principem Stoicorum Zenonem audiebat. Qvid verò dicam, qvantam obscurissimis hominibus, & humilimi loco natis gloriam afferre soleant Literæ? Qvis Melesigenem Homerum ex ignobili genere, imò potiùs ex adulterio, & incerto patre natum, agnosceret; nisi Poetica illa divina per eum qvasi qvædam immortalitatis incunabula recepisset, & ad summum qvasi perfectionis gradum processisset? Qvis Ennium Rudium hominem natum sciret, nisi per doctrinam ad hominum existimationem dimanasset! qvem superior Africanus adeò charum habuit, ut eum & civitate donârit, & sepulchro suo constitui jusserit. Qvid Socratem; Phænareta matre obstretrice & Sophronisco patre marmorario natum, commemorem? qvi non nisi propter singularem & admirandam Philosophiæ scientiam ad tantum gloriæ lumen evasit, ut nullus unqvam fuerit, non solùm hominum consensu; sed etiam Apollinis oraculò sapientior. Euripidem verò qvis ignorat non generis excellentia, sed doctrinæ vera nobilitate inclaruisse? Cujus matrem Clito ferunt olera solitam fuisse venditare. Jam verò Demosthenis patrem cultorum vendito-

8. Cleanthis.

Cognomen ab improbo labore.

3. Literæ nobilitant ab exemplis.

1. Homeri.

2. Ennii.

3. Socratis.

4. Euripidis.

5. Demosthenis.

ditorem fuisse, memoriæ proditum est; & qvid hoc Oratore nobilius, aut clarius? ut intelligi facilimè possit, veram gloriam in literis & doctrina positam esse, non in fumosis majorum imaginibus. Qvid Æschinem tympanistriæ filium, Demadem piscatorem, Anacharsim Tartarum, Æsopum, & Epictetum Stoicum, ambos servos, Lucianum Syrum lapicidam? Qvid innumerabiles alios commemorem? qvorum genus obscurissimis ignobilitatis oppressum tenebris fulgentissimo literarum splendore fuit illustratum. Sed neq; tempus, neq; latera, neq; vox sufficeret, si minimam eorum partem, qvorum in mentem exempla mihi veniunt, commemorare velim. Qvare mihi modus potius, qvam copia, qværendus est: cum præsertim huc me cursus orationis, non voluntas mea detulerit. Incredibile dictu est, P. C. qvam sæpè mecum admirer antiqvorum hominum studium & diligentiam, in perqvirendis & memoriæ prodendis disciplinis, qvos non fames, non sitis, non frigus, non immensa pericula retrahebant; nihil erat tam arduum, nihil tam difficilè, nihil tam periculosum, qvod discendi desiderio non adirent: omnia loca peragrabant, omnes regiones, in qvibus aliqvid egregium & cognitione dignum percipere posse confidebant: qvin etiam cibi somniqve immemores, totas sæpissimè noctes, totos dies in literarum studiis consumebant. Itaqve non mirum est, si tantum de se nomen, tantum decus, tantam memoriam reliqverunt. Hæc igitur, egregiæ indolis Adolescentes, imitamini, per Deos immortales, qvi dignitatem, qvi laudem, qvi gloriam qværitis, hæc sunt excelsa, hæc magnifica, hæc fama celebrantur, hæc posteritati propagantur. Est qvidem his stu-

6 Æschinis, & aliorum per παραδειγμάτων.

Rejectio plurium exemplorum.

Conclusio est admiratione.

Finis eruditionis, fama & immortalitas.

Apostropho ad juventutem.

Objectio cum concessione. Solutio. diis magna qvædam difficultas, & labor præpositus: multo sudore, multis vigiliis opus est: omittendæ sunt voluptates; relinqvenda studia delectationis, ludus, jocus, convivium. Verum inscitia est honorem aut famam sperare, cùm à laboribus, à curis, vigiliis animus abhorruerit. *per oppositum.* Tritissimum est vetustate proverbium: Difficilia, qvæ pulchra. Et verissimè Poeta qvidam cecinit:

Non datur ad Musas currere lata via.

Sed mihi omnis ratio est cum virtute, non cum desidia; cum dignitate, non cum voluptate; cum iis, qvi patriæ, qvi suis civibus, qvi laudi, qvi gloriæ, non qvi somno, & conviviis. & delectationi natos arbitrantur. *Conclusio cũ adhortatione.* Qvare moneo vos, Adolescentes, atqve hoc meo jure præcipio, qvi dignitatem; gloriam spectatis, ut hæc studia literarum, tam ampla, tam divina, tam immortalia, omni animi conatu, omni labore, omni industria complectamini. *Dissuasio per abominationem.* Nam qvem generosum animum labor, qvamvis immensus, possit ab his tantis præmiis remorari? Cæteros pudeat, umbras hominum, inutilia terræ pondera: qvi seipsos ita prosternunt atqve abjiciunt; ut corporis tantùm voluptatibus inservientes, nihil unqvam eximium animo volvant: qvi pro vilissimo divitiarum cœno, preciosissimos virtutis uniones derelinqvunt: qvi more pecudum, ventri, somno obedientes, fœdissimis libidinibus & ocio veternoso marcescunt: qvi res fluxas ac fragiles, æternis & clarissimis viris relictis ac neglectis, perseqvuntur. *Declaratio per collationem corporis & animi.* Nos verò cogitemus, corpus hoc esse mortale; animi verò motus, & virtutis gloriam sempiternam: cogitemus, animum nos cum Diis communem habere, corpus verò cum belluis; qvantoq; animus corpore præstan-

tior

tior est, tantò etiam animi ornamenta corporis ornamentis antecellere. Valeant apud vos vota hominum illa, qvæ multos usurpare sæpissimè auditis: ô si mihi repuerascere liceret, qvo ardore animi literas amplexarer! Optimum est (ajunt) aliena frui insania: qvod alii jam in provectiori ætate non fecisse dolent, id vos in ista florenti juventute atq; adolescentia præoccupate. Nulla sunt alia, (mihi credite) præter Literas, claræ virtutis rudimenta atqve incunabula, qvibus animi ad gloriæ cupiditatem accendantur: nihil est, in qvo flores ætatis vestræ consumentes, uberiorem posteà fructum demeratis. Qvare agite mecum Juvenes, veræ nobilitatis amatores, tantum literarum fructum, tantam utilitatem, tantam gloriam amplexamini: sapientissimorum hominum vestigiis insistite: ad immortalitatis arcem enitimini. Me vobis ducem, sive mavultis, comitem polliceor atqve offero, non omninò pigrum neq; remissum hortatorem, sed eum, qvi simul & strenui militis & boni imperatoris officia possit exeqvi, me (ut spero) videbitis. Si vos cepit unqvam ulla gloriæ atq; æterni nominis cupiditas, si studium virtutis ac honoris unqvam oblectavit, si clarissimorum virorum exempla vos commovent, si vos suis illecebris ipsa virtus trahit ad verum decus: incumbite, per Deos immortales, spretis & conculcatis voluptatibus, in hoc optimarum artium studium, qvod & viventibus vobis summos dignitatis gradus acqviret, & fato functis nominis vestri memoriam æternis monumentis consecrabit. Vos verò, P. C. & Cives nobilissimi, egregiã prolem vestrã (si qvã habetis) huic gloriæ destinate, cũ nutricis lacte, facite, ut bonarũ qvoq; rerum scientiam complectatur

Conclusio cum adhortatione ad bonas literas

Causæ impellente ultrò ad literarũ studia.

Apostrophe ad Senatum & Parentes.

Nihil unqvàm in vita felicius diſcitur, qvàm qvod ab ipſa ſtatim infantia diſcitur: nec qvicqvam tenacius hæret, qvàm qvod rudibus annis ſemel perceptum eſt. Sed nihil opus eſt vos adhortari: cùm ſponte veſtra ſatis accenſos eſſe videam. Qvare finem dicendi faciam; ſi priùs unum illud addidero, qvod; ut ſpero, poſteà meliùs intelligetis: Nihil mihi magis eſſe in optatis, qvam ut liberis veſtris, ut omnibus bonis, ut toti Reip. qvantùm ingenti facultas poteſt, maximè proſim. Ad hoc negocium amore patriæ, qvam ſalute propria chariorem habeo, vobis ita decernentibus, acceſſi: nec me profectò res ulla potuiſſet ad tantum laborem impellere, præter hanc meam ſummam erga patriam charitatem. Qvo munere omni ſtudio & induſtria, ut, qvam fieri poterit optimè, fungar, diligentiſſimè providebo. Itaqve vos P. C. obſecro atqve obteſtor; qvod tamen libentiſſimè vos facturos certum habeo: ne meum hunc animum tam promptum ac paratum ad hujus Reip. utilitatem contemnatis: ſed in dies magis atq; magis, ut jam cœpiſtis, autoritate veſtra, favore, gratia ſublevetis. Ego his teſtibus, qvi præſentes ſunt, omnibus illud de me polliceri non dubitabo: qvantum humano conſilio ac labore fieri potuerit, nihil me prætermiſſurum, qvod qvidem ad provehendas bonas literas, & inflammandos ad diſciplinas adoleſcentium animos pertinere videatur. Qvod ſi meæ diligentiæ veſtra qvoqve autoritas ſuffragata fuerit: nullus erit (ut opinor) tam iniqvus judex, qvin ex hac re plurimum huic noſtræ civitati cenſeat utilitatis acceſſurum.

Concluſio generalis cũ præmonitione.

1. à Patriæ amore & ſalute.

2. Ab induſtria & fide datas.

Obteſtatio.

Repromiſſio.

DE GRAMMATICÆ ARTIS EXCELLENTIA AD Senatum Populumqve Mediolanensem.

ORATIO XX.

Qvod generatim modò fecit, id speciatim qvasi per hypothesin applicat ad Grammatices studium, & id studiosæ pueritiæ ut maximè necessarium & velut fundamentum unicè commendat. Nam, ut Fabius Qvintilianus benè præcipit; nisi qvis hoc fideliter à teneris ungviculis jecerit, qvicqvid superstruxerit, corruet. Qvia absq; Grammatices notitia, nemo ad lingvarum, ne dum literarum cognitionem unqvam adspirabit.

SI qvis est vestrum, Patres Conscripti, vosq; cæteri Cives honestissimi, qvi fortè miretur, me, qvi jam duos abhinc annos hanc publicè docenti atqve humaniores literas profitendi provinciam eo animo reliqveram, ut ad Juris civilis studium, qvod omnium opinione putatur esse gravius atq; præstantius, me transferrem; subitò nunc immutata voluntate, ad eandem illam, qvam anteà reliqvi disciplinam profitendam descendere: is, si mei consilii causam rationemq; cognorit, profectò & id, qvod facio, probabit; & hac nostra, qvam à pueris secuti

Exordium ab absurdo per occupationem.

Solutio.

Ratio mutati studii ab ansa ludi aperti.

fueramus, liberali sanè scientia, nullam neqve utiliorem humano generi, neqve honestiorem existimabit. Nam cum sextum (ut opinor) abhinc annum in hac amplissima civitate nostra, cùm adhuc admodum essem adolescens, ex amicorum sententia ludum aperuissem; & non tantùm privatim; sed etiam publicè Mediolanenses adolescentes ita erudire instituisem, ut nemo prorsus diligentiam aut assiduitatem meam desideraret; multumqve & diurni & nocturni laboris, ut suscepto negotio planè satisfacerem, per annos qvatuor suscepissem: secutum est deindè perniciosum tempus illud, cùm hæc civitas propter assiduum bellum, qvod à Carolo Qvinto Cæsare invictissimo per multos annos in Taurinis contra Gallos gestum est, gravissimis tributis atqve exactionibus assiduè vexaretur: qvo qvidem tempore nulla neqve publicè, neqve privatim erat studiorum cura aut gratia. Nam bello occupati Principes, literarum studia negligebant, neq; debita professoribus præmia reddebant: cives autem propter crebras tributorum exactiones, pecuniis exinaniti, etiam filiorum erudiendorum curam abjicere cogebantur: qvin etiam in adolescentium animis (ut fit in ejusmodi temporibus) ardor ille discendi pristinus penè extinctus esse videbatur. Qvæ cùm ego neqve obscura, neqve incerta viderem, nullusqve omninò tantorum finis malorum appareret; & jam mesatis in hac Arte docenda nominis & gloriæ consecutum existimarem: cœpi de mutanda vitæ ratione cogitare, meqve totum juri civili perdiscendo tradere. Videbam enim me adhuc admodum esse juvenem ac penè adolescentem; qvippe qvi nondum octavum & vigesimum annum attigissem:

Interruptio studii ob cladem bellicã.

Per Narrationem belli gesti.

Belli incommoda.

Ratio mutati studii Rhetorici in Juridicum.

A facili & ætatis more.

giſſem: itaqve ſperabam, facile poſſe, ſi Legum ſtudia fuiſſem amplexus, brevi tempore Juriſconſultus evadere. Qvod meum conſilium cùm amicis omnibus placuiſſet, & pleriq; me ſponte mea ſatis incitatum impellerent: Ferrariam eo animo profectus ſum, ut magnum illum Alciatum, ibi profitentem, audirem. Ac primo qvidem Alciati copia, atqve elegantia delectatus: deindè etiam ipſorum Juriſconſultorum veterum, qvibus nihil purius aut politius inveniri poteſt, eloqventia captus, egregiam mihi operam in Jure præſtaturus videbar. Sed poſtqvâm Bartolos, Alexandros, Paulos, Jaſones volvere cœpiſſem, Dii boni! qvem mihi metum, qvem horrorem ſuis commentationibus incuſſerunt? qvantas mihi talium verborum inſolenti, tenebras offuderunt? Nihil enim in eis purum, nihil elegans, nihil candidum: ſed omnia horrida, ſqalida, tenebricoſa inveniebam. Qva re factum eſt, ut animus meus, qvi in Artis Oratoriæ jucunditate, & Poëticæ amœnitate, à lacte nutricis educatus anteà fuerat, ab eo ſcientiæ genere penitùs refugeret. Hac igitur ſpe deſtitutus, ad eam, qvam antiqvi illi ſapientes maximè excoluerunt, divinarum atqve humanarum rerum ſcientiam, animum intendere cœpi: qvippè qvi præclarè intelligerem, unam eſſe Philoſophiam, qvæ omnium laudatarum artium procreatrix ac regina meritò dici poſſit. Sed in hac etiam re multùm mea me fefellit opinio. Qvam enim cultam ac nitidam me viſurum eſſe ſcientiam exiſtimabam; eam omnium maximè inqvinatam atqve ſordidatam reperi. Tam enim fœdis atqve inſolentibus verbis, tam inauditis atqve portentoſis vocaculis Philoſophi noſtræ tempeſtatis utuntur; ut paulò delicatiores

Peregrinatio in Italiam.

Rejectio tempti ſtudii ob barbariem ſermonis.

Tranſitio ad aliud ſtudii genus.

Correctio & rejectio.

Eadem de causâ.

aures sonum illum, tanqvam Cyclopicum, omninò refugiant, ac nullo modo ferre possint. Qvæ cum omnia mihi præter spem atqve opinionem evenissent, diutius mecum cœpi cogitare: Qvænam esset hujusce rei causa, qvòd duæ nobilissimæ omnium artes, Jurisprudentia & Philosophia, tam incultæ, tam sordidæ viderentur. Tandem intellexi, eorum hominum, qvi artes istas nostra & patrum nostrorum memoria professi sunt, imperitia atqve ignorantia hoc accidisse: qvi cùm Grammaticas rationes neqve scirent, neq; percipere curarent, fœdissima barbariè libros omnes referserunt. Hæc enim, qvæ Grammatica dicitur, una scientia est, qvæ cæteras omnes ingenuas artes non solum nutrire atqve educare; sed etiam excolere atq; exornare mirificè soleat: & qvæ non tantùm reliqvarum principium atqve fundamentum est; verùm etiam condimentum svavissimum. Atq; ut nullus cibus tam preciosus inveniri potest, qvi, si sale careat; aliqvam in se svavitatem habere videatur: ita nulla scientia, ope Grammaticæ destituta, splendorem aliqvem aut nitorem habere potest. Et qvemadmodum præstantia hominum corpora, illota facie, & laceris inqvinatisqve vestibus, dignitatem omnem ac venustatem amittunt: ita Jurisprudentia & Philosophia, cæteræqve liberales scientiæ, nisi à Grammaticis subsidia sibi atq; ornamenta petant, ut omni lepore atqve gratia careant, necesse est. Cùm igitur nostri temporis Jurisconsultos & Philosophos non alia de causa tam jejunos, tam sordidos, tam deniqve barbaros esse intelligerem; nisi qvia Latinè loqvi nunqvam didicissent; eosqve ipsos, qvi inter eos maximè barbari sunt, adverterem, suspicere tamen eum atqve admirari, si qvem

Unde barbaries in Jurisprudentiam & Philosophiam irrepserit.

Sc. è Grammatices inscitia.

Ejus necessitas.

Ab alio.

Illustratio à simili salis Condimenti optimi.

sui ordinis paulò cultius atqve elegantius loqventem audirent: statui neqvaqvam mihi famam inconstantiæ pertimescendam, si (qvod pleriqve sapientes fecisse perhibentur) postqvam errorem meum cognovissem, ad pristinam vitæ rationem iterum me conferrem; eamq; artem repeterem atqve colerem, in qva & à pueritia nutritus educatusqve fuissem; & qvæ mihi longo tempore magnos atqve uberes fructus, neqve parum honoris attulisset; & qvæ deniq; cæteris omnibus ingenuis artibus maximum lumen atqve ornamentum afferret. Cum præsertim hac una ratione maximam hominibus nostris utilitatem afferre me posse intelligerem, ut percepta diligenter à me Grammatica, possint excultiores atqve elegantiores ad Legum & Philosophiæ studia pervenire; ut tandem, si qvo modo fieri potest, omni relicta barbarie, incipiant Jurisprudentes atqve Philosophi purè ornateqve dicere. Hoc sanè consilium meum bonis omnibus atqve intelligentibus viris maximè probatum iri confido: atqve illis præcipuè, qvi politæ orationis svavitatem, & oratorium splendorem jam aliqvo modo degustarunt. Sed ex omnibus (ut ego qvidem arbitror) ii maximè nostram sententiam laudare, atq; in cœlum tollere non desistent, qvi qvantum utilitatis ex hac arte, qvantum decoris, qvantum ornamenti, non ad eos tantùm, qvi illam audiendo & legendo perdiscunt; sed ad eos etiam, qvi docendo exercent, pervenire cognoverint. Hæc autem ideò coram vobis, P.C. cæterisqve civibus commemoranda mihi censeo, non qvia, vos hac nostra disputatione indigere aut artem hanc in ista ætate, magnoperè curare oportere, existimem: sed ea potissimùm de causa, ut cùm luce clariùs intellexeritis,

Ratio mutati consilii.

Argumentū persuasionis à fine & usu.

Communicatio oratoris.

Propositio.

Cur Grammatices studium necessarium?

Excusatio per occupationem cum solutione.

tis, multò referre plurimùm, vel potiùs caput esse, omnium, à teneris annis optima jecisse fundamenta, resqve Grammaticas diligentissimè percepisse; nobiscum ipsi vestra summa prudentia atqve sapientia gaudeatis, qvi tam prompti atqve alacres peritos hujus artis Professores, qvi liberos vestros & universam Mediolanensem juventutem in hoc humanitatis genere diligenter exerceant, & communi consilio conducere, & pro meritis benignè remunerari soleatis. De qva re dum paulò fusiùs aliqva commemoro qvæso vos, pro incredibili humanitate vestra, ut orationi meæ patientes aures accommodetis, Ego qvidem, Patres conscripti, verissimum illud semper existimavi, qvod omnium præstantissimus & acutissimus Philosophus, Aristoteles in Ethicis suas scriptum reliqvit: In omnibus rebus expetendis tria esse præcipuè, qvæ considerari atq; expectari debeant. Primum utrum ea, res, qvam nobis amplectendam proponimus, honesta sit an turpis: deinde? utrum utilis an inutilis? postremo, utrum jucunditatem in se aliqvam habeat, an potius molesta atq; odiosa sit? Qvod si in una re aliqva concurrant hæc omnia, ut eadem & honesta & utilis & jucunda: tùm verò nemini dubium esse, qvin ea maximè sit ab omnibus expetenda, tantoq; etiam magis; qvanto reliqvis & honestior, & utilior, & jucundior visa fuerit. Qvæ cùm ita sint: qvis est omnium, qvi dubitare possit, qvin ea qvæ ingenuarum artium prima numeratur, qvam à literarum nomine Grammaticam appellare majoribus nostris placuit, ambabus (qvod ajunt) ulnis suscipienda atqve amplectenda sint? Nam si honestatem qværimus; qvid arte illa honestius excogitari potest? sine qva nihil certò sciri, nulla

Ab usu & fine. *Attentio.* *Narratio à chria.* *Propositio cũ demonstratione.* *1. Ab honesto.* *2. Ab utili.* *3. A jucundo.* *Conclusio Exordii specialis.* *Laus Grammaticæ.* *4. Argumentũ ab honesto.*

nulla ſcientia rectè percipi poteſt? & qvæ niſi cæteris liberalibus artibus, tanqvam lumen aliqvod præluceat, reliqvæ omnes cœcæ penitus, obſcuræ, incultæ atq; obſoletæ reperiuntur? Si verò qvis utilitatem intuendam cenſet, is cogitare debet; qvicqvid ex omni ſtudiorum genere haberi ſolet utilitatis, huic uni totum referri acceptum oportere: qvæ niſi præceſſerit, fruſtrà qvis in aliis ſtudiis elaborabit. Ut enim ſubſtructionis atqve navigii fundamentum ſtabile atqve firmum eſſe oportet, alioqvin in ædificio qvicqvid ſuperſtructum fuerit, derepente corruit, navigium autem vitiato fundo facilè mergitur: ita nemo præſtans in aliqva liberali ſcientia poteſt evadere, niſi prius hac arte percepta, ſolidum ad reliqvas gradum efficiat. Qvòd ſi qvis etiam jucunditatem reqvirat: is certè reperiet, omnem prorſus voluptatem atqve oblectationem qvæ ſumma atqve incredibilis ex ingenuis artibus, & ex authorum intelligentia qvod præcipuum Grammaticæ munus eſt, provenire ſolet ab hac una ſcientia, tanqvam à perenni qvodam fonte manare. Sed qvoniam nonnulli, neſcio qvi, omni malitia impulſi noſtram hanc artem qvaſi vilem & abjectam contemnere atqve irridere ſolent: ideò ſigillatim hæc omnia qvæ propoſui, tractanda atqve diligenter excutienda eſſe cenſeo: ut hæc, qvæ aliqvorum animis jam penitùs inſedit atqve inveteravit opinio, per me, ſi fieri poteſt, evellatur, & tandem omnes intelligant, qvàm magna, qvàm honeſta, qvam divina ſit hæc ſcientia. Nam ſi nobilis ideò Medicina exiſtimatur, qvòd ægris corporibus aliqvando priſtinam valetudinē reſtituat; ſi ideò Juriſprudentia laudatur, qvòd lites dirimere, & de pecuniariis controverſiis rectè diſceptare doceat: qvanti

2. Ab utili.

Illuſtratio à ſimili.

Fabii autoritas.

Applicatio.

3. A jucundo.

Refutatio objectionem.

Comprobatio à paribꝰ.

1. Medicinæ.

2. Juridicinæ.

Applicatio per rationẽ à majore.

qvanti tandem ars illa existimanda est, qvæ rudes adhuc & inchoatos, planeqve imperfectos puerorum animos ita instituit & informat, ut primò literarum figuras agnoscere & syllabatim dictiones componere incipiant; deindè per gradus qvosdam atqve regulas progressi, purè & candidè loqvi, atqve emendatè scribere discant: postremò tantum efficiant, ut excellentissimorum authorum scripta per se intelligere, atq; omnem antiqvitatis memoriam evolvere possint? Qvæ cognitio qvantum & honestatis & utilitatis in se habeat, qvis est adeò rerum ignarus, qvin intelligat? Nam si nullum majus malum, qvàm ignorantia atqve insipientia est, qvemadmodum in Legibus Platoni, atqve in Tusculanis Ciceroni, sapientissimis viris placet; & si tantum inter eruditum hominem, & literarum ignarum interest, qvantum inter viventem & mortuum, qvod Aristotelem respondisse dicunt: qvid illa præstantius atqve honestius arte fieri potest, qvæ nos à gravissimo omnium ignorantiæ malo liberat, & eruditionem, hoc est, veram vitam elargitur? Qvod enim unius hominis, non aliorum animantium, proprium est, ut animi sensa loqvendo possit exprimere, in eo genus humanum hæc scientia tantoperè adjuvat, ut id & prudenter & eleganter efficere possit. Ipsa verò per se benè loqvendi prudentia tanti semper existimata fuit, ut maximo qviqve ingenio viri, summo studio atq; labore eam asseqvi contenderint, & in aliis majorem in modum suspexerint: qvin etiam permulti homines atqve nationes, ob hanc unam maximè causam, immortalem sibi gloriam acqvisiverint. Qvis enim Atticorum leporem atqve elegantiam non celebrat? ut etiam jam olim proverbio jacten-

Ostensio per contrarium.

Et qvidem I. ab effectu, id est, sermone, qvem Grammatica format.

Qvem Rhetorica exornat.

Prosyllogistica probatio per exempla.

tur Attici sales, atqve Attica eloqventia. Qvid de Romanis hominibus loqvar? qvi qvamvis ab infantia statim Latini sermonis, qvi nativus illis erat, splendorem imbiberent; eos tamen maximè suspiciebant, qvi politius atq; candidius, qvàm alii, loqverentur. Hinc illi Catuli, Lælii, Crassi, Cornelii, qvos etiam ipse Romanæ parens eloqventiæ Cicero vel ob hanc unam virtutem maximè celebrat, qvod benè loqvi latinè putarentur. Qvid enim in homine magis honestum atq; admirandum est, qvàm ornata & polita oratio, & sermo nulla in re rudis? Jam verò rectè scribendi ratio tanti facienda est, ut ea, qvæ qvasi præclari interpretis vice fungatur. Nulla enim ferè difficultas in eis intelligendis esse solet, qvæ cum recta ratione scripta proponuntur, At contrà qvas tenebras, qvam obscuritatem, qvas diffilcultates vitiosa scriptura legentibus inducit? Qvod si jam à priscis illis temporibus rectam scribendi rationem libraii tenuissent, multò certè faciliorem in Authoribus interpretandis viam haberemus: nunc propter eorum imperitiam, qvi clarissimorum hominum scripta describere consveverant, in eas angustias devenimus, ut plerosqve locos ex authoribus, tam Græcis, qvàm Latinis, neqvaqvam interpretari possimus; sed in eis divinare nobis necesse sit. Agè verò, qvàm honestum illud est ac dignitatis plenum, tam varia Poëmatum genera cognoscere, tot exempla, tot historias discere, qvibus & mores componere, & maximam in gerendis rebus acqvirere prudentiam possis. Illa enim hujus Artis officia præcipua sunt: Ut literarum usum edoceat, lingvam nostram expoliat, scribendi rationem ostendat, Poetas enarret, res antiqvo tempore gestas

1. Atheniensium.

2. Romanorum.

Conclusio ut homo distat à brutis ratione: Ita oratione diserta ab aliis hominibꝰ.

Transitio ad alternam utilitatem, id est, scribendi peritiam.

Transitio ad alterum argumentum ab Honesto.

aperiat,

aperiat. Itaq; nemo sanæ mentis dubitare potest, qvin non tantùm honesta sit atqve utilis, sed etiam humanæ vitæ prorsus necessaria. Atq; ideo cùm omnes intelligant, tam summi qvàm infimi homines, qvicunq; modò facultates aliqvas habent, filios suos Magistris erudiendos tradunt; neqve ingenuum aut nobilem qvenqvam existimant, qvi hujus scientiæ rudis omninò reperiatur. Vident enim atqve sentiunt, id qvod maximè perspicuum est: Neminem esse, qvi disciplinam ullam aliam acqvirere possit; nisi prius huic nostræ diligentem operam navet. Neq; sanè qvisqvam est, qvin intelligat, qvantò qvis in hac arte peritior fuerit, tantò ei faciliorem esse viam ad reliqvas omnes percipiendas. Qvod si ex scientiarum cognitione, qvod omnibus planum atqve manifestum est magnæ provenire solent utilitates: à qva id artes reliqvæ acceperunt, ut humano generi utiles esse possint, eam profectò cæterarum omnium utilissimam ut judicemus necesse est: cum præsertim hæc sola sine reliqvis, plurimum tamen decoris atqve emolumenti afferre potest: at verò cæteræ omnes hujus ope destitutæ, suum munus tueri nullo modo possunt. Cùm igitur hæc una scientia sit, qvæ rudes animos ad humanitatem informet, qvæ puerorum os tenerum atqve balbum figuret, qvæ ad auctorum intelligentiam inducat, qvæ mores instituat, prudentiam acqvirat; qvæ nisi custos & moderatrix reliqvis accesserit, aut nullo modò percipi possunt, aut certè sqvalidæ, jejunæ, incultæ, horridæ, deniq; omni decore atq; gratia spoliatæ videntur: poteritné cuiqvam dubium esse, qvin omnium utilis atqve honesta sit? Qvid, qvòd ex nulla penitùs scientia tanta voluptas percipitur? Proh Dii immorta-

Conclusio, cur qvisq; debeat esse Grammaticæ gnarus?

Ratio ab usu

Conclusio.

Transitio ad tertium

mortales! qvod ingenium, qvæ facultas dicendi, qvæ à qvoqvam excogitata oratio, minimam posset ejus oblectationis partem exprimere, qvæ ex legendis Authoribus, & evolvendis antiqvorum scriptis emanare, atqve in animum nostrum influere solet? Qvid enim summorum Poëtarum lectione jucundius? in qvibus & clarorum hominum laudes, & improborum vituperationes, belli togæqve præcepta utilissima, & locorum amœnissimas descriptiones, & perturbati maris horrorem; & pugnarum horribilem strepitum, & ducum victorum percruentas cædes, exultantem victoriam, & cadentium hominum ejulatus, & principum virorum cum Deis congressus atqve confabulationes, & æqvam cœlo virtutem videre licet. Qvis autem sonus? qvæ harmonia? qvi concentus, egregiorum carminum modulatione dulcior? certè neq; in diebus festis celebrandis, neqve in tempestivis conviis, neqve in alea, neqve in rusticanis amœnitatibus, neq; in amore ulla tanta oblectatio est, qvanta in Poetarum scriptis evolvendis. Ipsa porrò rerum antiqvarum cognitio, qvæ legendis Historiis acqviritur, qvantæ tandem jucunditatis atq; voluptatis est? Mitto enim hoc loco dicere; qvod verissimè Cicero pronunciavit: Historiam esse testem temporum, lucem vetustatis, ut si qvis nesciat, qvid anteqvam natus sit; acciderit, is semper esse puer videatur: qvid antiqvitatis commemoratione dulcius? qvid historia jucundius, in qva pura est, atqve illustris claritas: in qva distinctæ, ornatæ narrationes habentur, & regiones sæpenumero atqve pugnæ describuntur, interponuntur etiam conciones & cohortationes: nihil in ea falsi, nulla suspicio gratiæ, nulla

id est, Jucundum. Exclamatio. Varietas delectat. En solam Poësin. Ejus suavitas. Collatio Poëseos cum aliis oblectationibus. Præteritio. Historiæ jucunditas. Historiæ dotes.

ulla simultatis; & exitu plerunqve tali concluditur, ut expleatur animus jucundissima lectionis voluptate. At fortassè insurget aliqvis, qvi ipsam qvidem per se Grammaticam, honestam, & utilem & jucundam esse fateatur, atqve ideò cognitionem ejus liberalem, atq; ingenuam haberi: sed tamen ejus professionem, ut jejunam & tenuem, cavilletur: neq; ullam penitus esse dicat in docenda Grammatica dignitatem. Huic igitur etiam opinioni, qvantum est situm in nobis, occurrere tentemus Neq; enim (ut pleriq; existimant) tam angustis finibus Grammatica continetur, ut nihil aliud, qvam rectè loqvendi & scribendi scientiam complectatur: sed ejus virtus tam latè patet, ut verear, ne, si eam exprimere voluero, permultos qvi nunc Grammaticorum nomine subnixi atqve tumidi ambulant, cristas, (qvod ajunt) deponere cogam. Qvæ si rectè reputare voluerint, intelligent profectò, tantum abesse, ut hoc tanto nomine digni sint: ut etiam absint ab eo qvàm longissimè. Nam cùm reliqvæ artes suis finibus, non sanè amplissimis, coërceantur: hæc una tantum extenditur, ut reliqvas omnes complexa esse, neqve ullis terminis circumscribi; sed omnem infinitatem peregrinari videatur. Qvod etiam primo de Oratore Cicero fatetur, cùm esse Grammaticæ pené infinitam vim & materiam affirmet. Neq; enim Poëtas tantùm atq; Historicos legisse sufficit; sed omne scriptorum genus excutiendum illi est, qvi se Grammaticum profiteri velit; aut Grammatici nomen relinqvendum Noscenda est omnis Historia: notanda sunt penè singula verba qvæ freqventer jus ab authoribus sumunt, percipienda est etiam Musica, ut de metris rhythmisq; rectè possit judi-

Instantia. *Vilitate.* *Solutio.* *Plus est esse Grammaticum.* *Ratio.* *Qvia omnes disciplinas pervadit.* *Officium veri Grammatici.* *Præteritio.*

judicare. Qvid de siderum ratione commemorem, qvam si qvis ignoret, qvomodo, qvæso, Poëtas intelliget; qvi, ut alia prætermittam, toties ortu occasuqve signorum in declarandis temporibus utuntur? Qvin etiam Philosophiæ non ignarum oportet esse Grammaticum: cùm in omni ferè carminum genere plurimi loci reperiantur ex intima qvæstionum naturalium subtilitate repetiti. Jam nisi tanqvam digitos nomenqve snum, Rhetorum figuras & ornamenta dicendi, Dialecticorum rationes & argumenta tenuerit, nullo modo poterit in Authoribus interpretandis integram præstare operam. Qvid, qvòd ex Medicinæ scientia, & jurisprudentia multa inveniuntur, à Poëtis & Historicis decerpta; qvæ, si qvis earum artium penitus ingnarus & rudis sit, qvâ ratione rectè poterit interpretari? Qvis igitur eos ferat? qvi hanc artem ut tenuem ac jejunam cavillantur; qvæ (ut ait Qvintilianus) nisi reliqvis scientiis fundamenta fideliter jecerit, qvicqvid superstruxeris, corruet: qvæ necessaria pueris est, jucunda senibus, dulcis secretorum comes: & qvæ vel sola omni studiorum genere, plus habeat operis, qvàm ostentationis. Est igitur qviddam majus, qvàm pleriqve homines opinentur, sese Gtammaticum profiteri. Nam apud antiqvos qvicunqve hoc nomine dignus habebatur, is de omni scriptorum genere judicabat: unde & Critici fuerunt appellati, qvod in discernendis, aliorum scriptis suo judicio uterentur. Qvo qvidem ita severè sunt usi veteres Grammatici, Qvintiliano teste, ut non versus modò censoria qvadam virgula notare; & libros, qvi falsò viderentur inscripti, tanqvam subdititios subvomere familiæ permiserint sibi; sed Auctores alios in ordinem rede-

Est Mathematicus.
Est Philosophus.
Est Rhetor.
Est Dialecticus.
Est Medicus.
Est JCtus.
Conclusio.
Grammatici olim qva hodiè Critici & Philologi.
Ab autoritate Fabii.

Ab exemplis Aristarchorum.

gerint, alios omninò exemerint numero. Qvid, qvod multi Grammatici reperti sunt, qvi Philosophorum, Medicorum & Jurisconsultorum libros luculenter & ingeniosè sunt interpretati? Nam Joannes Grammaticus, cognomento Philoponus, multa Aristotelis Opera fideliter exponit. Didymus autem Alexandrinus, qvi propter assiduum studium & indefessum laborem Adamantinus, & Chalcenterus appellatus fuit, & Zenodorus Cons, & Aristeas Rhodius Chalcagninus, insignis Grammaticus, multos ex Jure civili Titulos, una cum ipsis Legibus, & nonnullos ex Aristotele libros interpretatus est. Qvid, in Cælii Rhodigini lectionibus antiqvis, an non omnium scientiarum qvasi gemmulæ qvædam elucent? Nos etiam anno superiore Paraphrasin in qvatuor Aristotelis De Cœlo libros, & duos De Generatione interitu confecimus: qvæ propediem (ut spero) vulgabitur. At contrà maximos in aliis scientiis & facultatibus viros ab hac nostra professione non abhorruisse satis constat. Si qvis enim veterum monumenta scrutari velit, inveniet profectò summos illos Philosophos, Aristotelem, Theophrastum, Theodectem, Stoicos plerosqve in hac arte docenda atqve tradenda se freqventer exercuisse. Qvid, qvod Julium Cæsarem, summum illum Imperatorem, qvi totum terrarum orbem suis victoriis illustravit, cujus animi sublimitas (ut ait Plinius) omnium capax fuit, qvæ cœlo continentur, accepimus, non solùm de hac arte copiosè conscripsisse; sed etiam ad minutissimas ejus partes excutiendas demisisse? Hoc idem P. Nigidius, M. Varro, M. Messala, C. Plinius, multiqve alii præterea ex ipsa nobilitate Romana clarissimi viri fecere. Qve res apertissimè de-

per enumerationem,

tùm recentiorum,

tùm antiqvorum.

Conclusio.

mè declarat, hanc Profeſſionem ſemper habitam fuiſſe liberalem: cùm præſertim à priſcis illis temporibus inter ingenuarum artium profeſſores, etiam Grammaticos fuiſſe connummeratos ſatis conſtet. Nam illos etiam accepimus, qvi primi Romæ per hujus artis profeſſionem ad hominum cognitionem famamqve pevenerunt, Servium, Nicanorem, Aurelium, Orbilium, Antonium Gniphonem, magno in honore habitos. Proditum enim eſt, ipſum etiam Ciceronem, cùm jam in foro & cauſis floreret, & omnium Oratorum ætatis ſuæ princeps haberetur, nobiliſſimoqve Præturæ munere fungeretur, ad Antonium Gniphonem audiendum freqventer acceſſiſſe, & præterea Curtii Niciæ conſuetudine mirificè delectari ſolitum. Nam Crates Mallotes, qvi Grammaticæ ſtudium primus in orbem intulit, Ariſtarhi æqvalis, nobiliſſimus ſanè fuit; qvippe qvi Attali regis Legatus anteà fuerat. Verrius autem Flaccus tanta benevolentia populi Romani docuit, ut non aliter atqve imperator qviſpiam egregius, in foro ſtatuam meruerit. Sed qvid ſingulos commemoro? cùm univerſos ſimul Grammaticos non ſemel à ſummis Imperatoribus atqve Principibus honeſtatos fuiſſe legamus? Nam Julius Cæſar vir omni laudum genere cumulatus, cùm jam in Republica Princeps unicus atqve Dictator eſſet, Grammaticos omnes, qvi eo tempore Romæ profitebantur, civitate donavit: cujus liberalitatem imitari Severus & Antonius, omnes, qvi hanc artem docerent, à publicis muneribus immunes ac liberos eſſe voluerunt. Sed longè majorem Grammaticis honorem & utilitatem Antoninus ille Pius, Principum omnium digniſſimus, exhibuit; qvi omnes, ubicunqve docerent, ab

In Grammaticos laudem Comprobatio per exempla Romanorum in pari ſtudio.

1. *Cratetis.*

2. *Verrii Flacci.*

Præteritio. A remuneratione.

Grammaticorum & immunitate.

Exaggeratio pii Antonini muneris.

omnibus tributis atqve exactionibus prorsus immunes esse Constitutione sua pulcherrima atqve sanctissima stabilivit. Age verò, qvantus demum honor ille existimandus est, qvo nostrum ordinem divinus Imperator Constantinus affecit? qvi non solùm res nostras atqve fortunas immunes ac liberas; sed etiam nos à pivatis, qvasi castos Musarum sacerdotes, maximè iis, qvi nos læderent, proposita pœna, prorsus inviolatus esse voluit. Jussit enim eos arbitrio judicis puniri, à qvibus nostri ordinis homines aliqvo modo vexati fuissent. Qvid, qvòd M. Antonius Imperator, qvi Philosophus cognomento dictus est, Frontonem Præceptorem suum Consulem creavit? Qvid, an non eandem Consulatus dignitatem Gratianus Ausonio Burdegalensi Magistro suo tradidit? At fortassè dicet aliqvis! Hæc qvidem antiqvis illis temporibus accidisse; nostro verò tempore parvo esse in honore Grammaticos. Verùm si qvis diligenter advertat, eos profectò intelliget, qvi hoc nomine digni sunt non minoris hoc tempore fieri, qvam olim apud veteres habiti sint. Ut enim Hadrianum prætermittam, qvem non ita pridem Carolus Imperator ex obscuro loco natum ad Pontificatus Maximi dignitatem evexit! ut nihil de Politiano, Calderino, Beroaldo, Cœlio commemorem, qvi partum nostrorum memoria maximè floruerunt: qvid Baptista Egnatio nostro tempore clarius, qvem, annos jam amplius qvadraginta publice docentem, summis honoribus Venetorum Respublica persecuta est! Qvis Romulum Amascum, eloqventissimum Grammaticum, non celebrat, qvem nuper Farnesius Cardanalis, magnis propositis & ad opes & ad dignitatem præmiis, Romam acersivit? Qvid ne Lazaro

2. Imperatoris Constantini.

3. M. Antonii.

4. Gratiani.

Occupatio.

Solutio.

Per collationem ubi utrumq;.

Recentiorum exempla & calcaria.

1. Politiani.

2. Romuli Amasci.

3. Bonamici.

Lazaro Bonamico dicam? ad qvem Patavii profitentem, non tantùm ex tota Italia, sed etiam ex Germania, ceterisqve ex gentibus magni concursus fiunt. Qvid Alexandrum Guarinum commemorem? qvi qvamvis non valdè Grammaticus sit, tamen ab Hercule, secundo Ferrariensium Principe, magnos honores atqve dignitates qvotidiè conseqvitur. Nam & Principis Consiliarius est, & honestis plerumqve legationibus fungitur. Nefas esset profectò, in hac commemorationis parte Riccium meum prætermittere; qvi cùm vir ejusmodi sit, ut qvavis amplissima dignitate dignus esse videatur, ab eodem Principe Ferrariensium, non qvidem pro meritis amplo; sed tamen honesto stipendio susceptus, cum tota familia sustentatur. Nostrum etiam Collegam Othonem Lupanum, qvem præsentem astare video, virum certè non tantùm in Grammaticis; sed etiam in aliis scientiis peritissimum, duos abhinc annos, qvamvis ob bellorum tumultus admodum concussa esset Respublica; tamen à Senatu nostro scimus omnes satis amplo stipendio conductum fuisse, qvi in hac civitate literas humaniores profiteretur. De me autem nihil opus dicere, qvem vir integerrimus Philippus Saccus, Senatus Princeps, itemqve sanctissimus Antistes Angelus Arcimboldius, Novariensis Episcopus, qvi duo Gymnasio publico præfecti sunt, ex totiùs Ordinis Senatorii consensu penè invitum ac repugnantem ad hunc amplissimum (ut ego qvidem judico) dignitatis gradum evexerunt. Sed qvid exemplis opus est? cùm in omnibus ferè civitatibus magno precio virtutem hanc existimari videamus? Proh Deum atqve hominum fidem! Eritne qvisqvam tam rerum ignarus, tam amens,

4. Guarini.

5. Riccii.

6. Lupani.

Honesta extenuatio. Qvia propria laus sordet.

Præteritiò in nube exemplorum. Exclamatio.

Conclusio. tam nullius neqve consilii neqve intelligentiæ, qvi Grammaticæ Professionem improbare audeat; qvæ nos ab ignorantiæ tenebris prima liberat? qvæ nos ab immani atqve agresti vita ad civilem cultum atqve humanitatem revocat? qvæ mentes atqve animos nostros ad omnem virtutem atq; honestam actionem conformat? Qvod enim vitæ genus? qvæ conditio? qvæ vivendi ratio reperitur, cui non utilis maximè Gtammatica sit? Nam sive militiam exerceas, sive mercaturam seqvaris, sive reipsum demisceris, ut officina aliqva contentus sis? hæc te semper scientia plurimum adjuvabit. Qvod si majora qvædam aggredi volueris, & ad res gerendas, aut Rempublicam administrandam animum tuum applicueris: non tantùm tibi utilis: sed etiam necessaria erit ista scientia. Qvam enim Reipublicæ partem literarum omnium expers homo sustinere potest? Qvid de scientiis illis dicam, ad qvas aspirare omnes intelligo: Rhetorica, Dialectica, Jurisprudentia, Medicina: qvæ si Grammatica non sit, nulla prorsus esse possunt? Itaqve mihi libet exclamare: O vitæ Grammatica dux, scientiarum omnium indagatrix, expultrixqve ignorantiæ! Qvàm enim sine te obscura, qvàm rudis, qvàm imperfecta, qvàm deniqve calamitosa esset hominum vita! Te certè, qvoniam pro dignitate nulla est tanta dicendi vis, tantaqve copia, qvæ sati laudare atqve extollere possit, te (inqvam) ante omnes ingenuas artes, tanqvam humano generi maximè propitiam atqve salutarem Deam, tota mente atqve animo semper colemus, & venerabimur. Tu nostros animos ex altissimo domicilio depressos, atqve istis corporis compagibus alligatos, erudiendos prima suscipis. Tu nos ad humani-

Ratio per omnia vitæ genera deducta.

Declaratio.

cum Inductione.

Personæ fictio per apostrophen.

Per hypothesin.

tatem

tatem princeps informas; tu lingvam noſtram blæſam & balbutientem, ad pure loqvendum prima reſolvis. Tu literas informare, atqve ſcriptis mandare, qvæcunqve mente cupimus, ſola condocefacere potes. Tu igitur ſola totum terrarum orbem regis, ac gubernas. Qvis enim ſine te juriſconſultus, qvis Medicus, qvis Mathematicus, qvis Reipublicæ adminiſtrator, qvis Princeps, qvis Legislator? an non omnia prorſus in tenebris jacerent, niſi tuum lumen accederet? Tu tuo divino fulgore cuncta colluſtras: tu mores hominum componis, tu vitæ rationem inſtituis; tu privatam domum cuſtodire, tu civitatem regere doces. Per te animi ſenſa dicendo exprimimus, verum à falſò diſtinguimus, res obſcuras atqve ipſa natura involutas indagamus: tu nobis aditum in cœlum patefacis: per te deniqve cœlum, terras, maria, cognitione comprehendimus. O divina atq; admirabilis ſcientia! O mentis noſtræ clariſſimum lumen! O vitæ humanæ præcipua moderatrix. Tu mihi magiſtra, tu patrona, tu domina dum hoc cœlo fruar, eris ſempiterna. Agite ergò generoſi: vos autem Juvenes appello, qvos hæc omnium præſtantiſſima doctrina numine afflavit ſuo: per Deos immortales animum erigite, totis remis veliſqve ad hanc contendite, qvæ auro ſplendidior, margaritis precioſior, æthere ipſo clarior eſt. Qvod ita facilimè facietis, ſi vos famæ, ſi gloriæ, ſi dignitatis aliqva cura ceperit. Nihil enim eſt, qvod majores vobis honores, majus molumentum, majorem celebritatem afferre poſſit, qvam ſi vos ita literarum ſtudiis dederitis, ut nullum fruſta tempus conteratis. En aperta vobis via eſt: Me ſocium aut comitem aſſumite. Non vos ſomnus,

Oſtenſio, uſus per ſingulas diſciplinas, etiam ſuperiores facultates.

Epiphonema

Concluſio cum attentione.

1. A cauſa impulſiva.

2. Ab adjuvante.

non voluptas, non frigus, non calor ab hoc tam præclaro incepto retrahat; non vos labor ullus absterreat. Animi vestri præstantium atqve pulchritudinem intuemini; qvam nisi hac doctrina excolueritis, omninò prorsus evanescet. Hæc una dignitatis atqve nobilitatis via est. Hæc una virtutis semita! Non enim ii nobiles existimandi sunt, qvi preciosis atqve auratis vestibus induuntur, & qvi aurea monilia collo circumponunt: sed qvi virtute sua se suosqve pro virili parte conantur illustrare. Ad qvam qvoniam hæc nostra, qvam profitemur, Scientia vos facilimè perducere potest: ita mentem atqve animum ad eam percipiendam applicare debetis, ut nihil sit, qvod ea vos magis moveat atqve delectet. Ita enim facilè fiet, ut vobis maximam gloriam ac dignitatem, parentibus vestris solatium & animi qvietem, & patriæ decus & ornamentum, inimicis mœrorem, amicis læticiam compareris. Reliqvum est, P. C. vosqve cæteri Cives nobilissimi, qvi me vestra præsentia tam benignè decorare, & tam attentè audire voluistis; ut, non qvas debeo, qvòd penè esset infinitum, sed qvas possum gratias agam, cùm præsertim nulla ratione referre possim: nisi fortasse vos, (ut Parentes patriæ decet) qvæ in Rempublicam beneficia conferuntur, in vos ipsos collata existimetis. Hoc enim pacto me omni cura, studio, diligentia polliceor effecturum, Ut erudiendis assiduè juvenibus, & officio meo diligenter & integrè præstando, vobis & cumulatè satisfactum, & abundè relatam fuisse gratiam à me Judicetis.

3. Ab animi dotibus. Qvæ vera Nobilitas?

Usus acqvisitæ eruditionis.

Conclusio cum gratiarum actione.

DE VARIETATE.
ORATIO. XXI.

Etiam hæc è classe Demonstrativarum est. Qvâ Varietatis naturam mirè exornat, & per ἐπαγωγὴν ad oculum qvasi ostendit, nihil esse in universa rerum natura, in qva non Varietas deprehendatur, vel ex illo vulgato adagio: Delectat interdum varietas: & is qvi semper chorda oberrat eadem; parùm gratiæ apud homines inibit.

SI qvantum animi mei sensus celeres & varii sunt ad cogitandum, tantum etiam uberes & copiosi essent ad explicandum; sperarem profectò, qvæ mihi de Varietate dicenda proposui, non minus eleganti politaqve oratione complecti, qvam eadem suavi jucundaqve cogitatione concepi. Sed tam veloci præcipitiqve cursu mens mea per infinitatem naturæ summa cum jucunditate peregrinatur, ut vix ea volando satis advertere possit, in qvibus ejus interpres oratio linguaqve versatur. Qvòd nisi jucundissimus conspectus vester concitatæ menti meæ qvasi frenos injiceret; sine dubio jucunda hæc, & maximè varia, qvam hodiè sum habiturus, oratio mihi tota excideret. Itaq; ne fortè animus tanta rerum varietate distractus, à proposito longiùs evagetur; facite qvæso, ut mihi silentium & audientia vestra suffragetur. Non enim de re vulgari aut inani sed de ipsa beatitudine verba facturus adveni;

Exordium ab hypothesi. Per extenuationem cũ ingenii modestia.

Correctio.

Cum petitione.

Attentio.

Cum propositione.

adveni; qvam res omnes, tanqvam extremum bonorum, & finem suum expetunt. De qva cum tam varias ac multiplices inter se hominum esse opiniones videam, per longò sanè tempore mecum hæsitavi, qvæ potissimùm ex tam diversis opinionibus mihi seqvenda esse videretur, aut cui sententiæ, tanqvam certiori, adhærescerem.

Narratio cum enumeratione de summo bono.

1. Sententia. Secundum Naturam vivere, id est Virtutem.

Alios enim intelligebam, qvi finem bonorum esse dicerent, Secundum naturam vivere; sic affectum, ut optimè affici possit, ad naturamqve accommodatissimè; qvam opinionem, à Stoicis acceptam, Carneades acutissimè defendebat:

2. Scientia.

alios, qvi ita sentirent, Nihil esse bonum præter scientiam; qvod Herillus affirmabat:

3. Animi tranqvillitas.

alios, qvi securitatem, qvæ est animi tranqvillitas, qvam appellant εὐθυμίαν, tanqvam summum bonum amplecterentur; ut Democritus:

4. Voluptas corporis.

alios, qvi ad corporis & animi voluptatem omnia referrent: ut Cyrenaici atqve Epicurei:

5. Indolentia.

alios, qvi doloris vacuitatem extremum felicitatis esse statuerent; ut Hieronymos Rhodius:

6. Voluptas cū honestate conjuncta.

fuerunt etiam, qvi voluptatem censerent ad honestatem adjungi posse, ut summa felicitas existeret, qvod Calliphoni Dinomachoqve placuit.

7. Felicitas à virtute profecta.

Sed qvi meliùs sensisse videntur, ii corporis & externa bona, cum honestate copulata, summam efficere beatitudinem censuerunt; ut Academici atqve Peripatetici.

Oratoris sententia de summo bono

Ego verò tandem post freqventes & diuturnas animi agitationes, diligentissimè perspectis & cognitis aliorum opinionibus, in eam sententiam discessi, ut existimem, Nihil aliud esse finem bonorum ac beatitudinem, qvàm summam vitæ jucunditatem in varietate collocatam. Qvæ mea sententia ne fortassè cuiqvam vestrûm aut mira propter novitatem, aut absurda propter discre-

pantiam

pantiam ab aliis esse videatur: rationes & argumenta, qvæ me in eam qvasi invitum & repugnantem pertraxerunt, breviter explicare constitui. Vos qvæso diligenter attendite. Rem enim pervulgatam illam qvidem, & ab omnibus ferè cognitam; sed tamen (qvod mirum est) à paucis animadversam, & adhuc à nemine penitus hoc modo tractatam audietis. Ac primùm qvidem nullum esse hominem tam alienum à vavietate, tamq; aversum à communi sensu arbitror, qvin illud mihi concedendum esse statuat; A jucunditate beatitudinem separari nullo modo posse, cui tanqvam pars qvædam sive species suo generi, subjecta est, ut nihil sit beatum, qvod idem non etiam jucundum sit. Nam si qvis omnem vitæ jucunditatem auferat, qvæ beatitudo vel pars beatitudinis poterit existere? Qvis est, qvi beatus appellari possit, si vitam agat prorsus injucundam? Qvænam in miseriis & calamitatibus vita dici beata potest? Valeant enim hac in parte Stoici: qvi minutis qvibusdam, & contortis conclusiunculis asserunt, etiam in tormentis & cruciatibus virum sapientem omninò beatum esse; qvi dicunt, etiam in Phalaridis taurum beatam vitam esse descensuram. Meo qvidem judicio longè meliùs ille Terentianus Pamphilus, qvi Deorum vitam propterea sempiternam esse arbitratur, qvòd voluptates eorũ propriæ sunt. Nam si beatitudo posset in calamitatibus & miseriis aliqvando reperiri: certè Dei immortales, qvi perpetuò beati sunt, & ævo sempiterno perfruuntur, interdum in miseriis esse vellent: qvod qvam absurdum sit, qvis est, qvo in intelligat? Exultant n. à Deorum vita calamitates omnes atq; miseriæ. Neq; ibi potest ullus esse dolor aut tristitia, ubi

Transitio ad comprobationem cum iteratâ attentione.

Confirmatio à jucundo,

per adversativam.

Paradoxa Stoica.

Ratio ab absurdo vitæ cælestis.

ubi sempiterna jucunditas est & lætitia. Maneat igitur hoc fixum, & probe stabilitum; Non posse beatitudinem à jucunditate separari. Qvòd si probare potuerimus, jucunditatem omnem esse in Varietate constitutam; nimium id erit perfectum & conclusum, qvod initio nobis placere diximus: Nihil aliud esse beatitudinem ac summum bonum; qvàm vitæ jucunditatem in Varietate positam. Qvo igitur potissimùm argumento probari potest, Nihil esse jucundum, qvod non ipsa Varietate commendetur? Satis hoc qvidem apertè declaratur eo, qvod omnibus in rebus (ut etiam Orator testatur) similitudo est satietatis mater. Nihil enim tam jucundum est aut suave; qvod si semper simile sit, & nihil unqvam varietur, non illicò molestiam afferat. Idem semper cibus nauseam creat: eadem semper oratio sensum aurium non mediocriter vexat. Qvid in reliquis rebus? nonnè cum eadem sæpiùs iterantur, maximum semper secum afferre fastidium solent? Unde tritum illud est sermone proverbium: Crambe bis posita, mors. At sine ulla dubitatione remota est omnis beatitudine molestia: cùm beatus ille dicatur, qvi sic omnibus bonis cumulatus, nullo adjuncto malo. Qvare jucunditatem eam, qvæ beatitudo nominatur, in Varietate positam esse necesse est. Qvam rem Minus etiam ille pervulgatus affirmat:

Conclusio primi argumenti.

Prosyllogistica probatio alia.

Declaratio per exempla.

Crambe bis cocta.

A definitione beatitatis

Nihil jucundum, nisi qvod commendat Varietas.

Et Aristoteles primo Rhetoricorum, his qvidem verbis: Et commutatio res est jucunda. Nam commutari naturæ accommodatum est. Qvod enim semper idem est, in exuperantiam transit & præsentem habitum corrumpit. Unde benè dictum est; Omnium rerum vicissitudo jucunda. Est autem

Ab autoritate & testimoniis.

tem Varietas (sicut ait Cicero) Latinum verbum, idq; propriè qvidem in disparib. coloribus dicitur, sed transfertur in multa disparia. Varium poëma, varia oratio, varii mores, varia fortuna: voluptas etiam varia dici solet, cùm percipitur è multis dissimilibus rebus. Atq; hæc qvidem est illa varietas, de qva nos loqvimur, qvæ semper cum voluptate, jucunditateqve percipitur: in qva positam esse beatam vitam, non tam rationibus, qvæ firmissimæ sunt atqve apertissimæ, qvàm etiam exemplis penè infinitis & evidentibus ac manifestis intelligi potest. Nam Deus ipse beatus & æternus ita statuisse perspicitur, ut propter varietatem Natura non tantum sensus omnes exteriores, visum, auditum, odoratum, gustatum, tactum; sed etiam interiores, communem sensum, phantasiam, cogitationem, memoriam, mentem deniqve ipsam mirificè delectet: atqve à rebus hisce caducis & fragilibus, qvæ maximè variæ sunt, ad æternas has immortales, qvæ nullo sensu corporis; sed tantum intelligentia comprehenduntur, omnes cogitationes nostras subducat: ut animus tandem hoc mortali corpore solutus, & qvasi carcere cœco liberatus, in cœlum subvolans, in illa divinarum atqve immortalium rerum varietate purissima cum voluptate conqviescat. Hac ductus ratione Plato, censuit oculos nobis ad Dei cognitionem esse duces optimos; qvi cùm opera Dei aspectabilia, tam pulchra, tamqve varia conspiciunt, divinam sapientiam & potestatem admirari, cogitant, qvantò pulchrior, qvantòqve magis varia sit illa ratio perfecta, mensq; sempiterna, qvæ procurat cœlestia maxime, deinde in terris ea, qvæ ad homines pertinent. Qvid est enim in hoc toto mundi complexu, atq; in omni

A definitione Varietatis.

Varium vox πολύσημος.

Comprobatio ab exemplo Dei varietatis autore.

Varietas objectum proprium visus.

Declaratio per inductionem.

rerum

rerum universitate, qvod non à rerum omnium conditore Deo varietate qvadam distinctum ac perpolitum sit. Nam si libet, ab ipsa prima causa bonorum omnium procreatrice principium ducamus, & ejus opera præstantissima qvasi per transennam breviter percurramus, Sic enim facilè intelligemus, non tantum in procreatis rebus, sed etiam in ipso Deo qvandam esse vavietatem, in qva sit omnis felicitas atqve beatitudo. Tradunt enim sanctissimi Religionis interpretes: unum qvidem esse Deum; sed in tres tamen personas distinctum; ut una sit omninò divina natura: variæ verò Personæ. Patrem ipsum universitatis ajunt esse, qvi Mentem sive filium unicum ab æterno genuit, atqve omnes illi perfectiones atribuit: in eoq; , tanqvam in horto qvondam amœnissimo, maximè varias ac diversas, & ab omni parte perfectas rerum omnium ideas ac species qvasi consevit: unde Platonici, non sine maxima ratione commoti, Mentem illam Jovis Paradisum appellare consueverunt. Filium autem dicunt esse, qvi genitus à Patre sapientiam omnem ab initio secum habuit; ut hæc omnia qvæ sunt in universa mundi machina, ad idearum exemplar & pulchritudinem varietate, atqve conformaret: in qvibus omnibus qvanta sit vavietas, nemo est, nisi planè cœcus qvin apertissimè videat. Spiritum deniqve tradunt esse, qvi res omnes, à divina illa Mente procreatas, fovet, alit, auget; & per omnes mundi partes infusus, totam (ut ait Poëta) molem agitat, & magno se corpore miscet: qvem ipsius mundi esse animum ac vitam rectissimè Platonici censuerunt. Porrò Deus ipse variis etiam nominibus delectari respectu nostri magnoperè videtur. Nam Hebræi, rerum divina-

1. Ab ipso Deo Opt. Max. qvi qvidem unus in essentiâ; sed trinus in personis. Pater.

1. Admirandum S. S. TRINITATIS mysterium. Filius. Spiritus S.

2. Ab appellationibus.

divinarum eruditiſſimi homines, tradunt, plurima qvidem eſſe Dei nomina. ſed præcipuè decem, qvæ tanqvam Numina qvædam, in res procreatas influunt: ac primò qvidem in novem intelligentiarum ordines, & beatorum choros: deindè in cœleſtes globos, & fixas ſtellas atqve erraticas; tum in homines: poſtremò in alias res omnes: ut ab illis divinis numinibus res ſingulæ vim atqve virtutem accipiant. Qvam rem etiam M. Varro videtur attigiſſe, cum ait: Sicut omnes animo reducuntur ad unam animam mundi ſive univerſi; ita Deus omnes referri ad unum Jovem, qvi idem Deus ſub variis colitur nominibus. Hac pene eadem ratione Themiſtius Philoſophus Valentem Imperatorem (ut Sozomenus ſcribit) ab impia Chriſtianorum perſecutione retraxit: cum ad eum ſcripſiſſet: Propter varia de religione dogmata crudelem eſſe non oportere, qvandoqvidem plus, qvam trecentarum ſectarum varietas in Deorum cultu reperiretur, & unusqvisqve pro dogmate ſectaqve propria in diverſa variaqve ſententia conſiſteret ac perſeveraret: atqve hoc ipſi Deo longè gratius eſſe, dum non facilè cognoſcitur, & varii modis magnificè glorioſeqve colitur. Qvibus Themiſtii rationibus multò mitior in Chriſtianos Imperator factus eſſe dicitur. Jam qvantam Dæmonum & Angelorum multitudinem, qvantamq; varietatem Deus procreârit, teſtes ſunt omnes Theologi veteres: qvi propè innummerabiles eorum myriadas eſſe tradiderunt. Non nutantùm ſupra totius mundi ambitũ, in conſpectu divinæ Majeſtatis atq; Sapientiæ ſumma cum lætitia ſemper exultantẽ incredibilem Angelorũ, feliciumq; Animorũ multitudinẽ aſtare dicunt: ſed etiã ſingulis cœleſtibus globis, & ſiderib, ac ſtellis qvaſdem præeſſe motrices,

Dei varius, & qvidem decem potiſſimum.

Hermes Trigemiſtus: omnia ab uno & omnia ad unum.

J. C. Scalig. Finis hominis eſt unio intellectus cum DEO. Unionis finis Deus.

2. *Argumentũ à varietate geniorum tàm bonorũ, qvàm malorum.*

Intelli-

Astrorum motus unde? Intelligentias volunt: qvæ certa qvadam ratione, perpetuoqve ordine cœlum in gyrum torqveant. Qvin etiam elementis, & mixtis corporibus, & regionibus, & urbibus, & deinqve singulis hominibus Genios custodes assignant: qvorum non una, sed maximè varia sit natura. Nam alios esse dicunt igneos, alios aëreos, alios aqveos, alios deniqve terrestres: in qvibus per magnam etiam morum varietatem constituunt. Sed hæc qvæ sunt obscuriora, dimittamus, qvæ sensum omnem effugiunt, & cogitatione tantum apprehenduntur.

Rejectio ob reconditam obscuritatem.

Transitio ad clariora. Ad ea veniamus, qvæ sensibus ipsis percipere, atqve indubitatis argumentis, qvasi manibus ipsis tenere possumus.

3. A stellarum varietate, qvoad lucem splendorem, molem. Qvis est enim, qvi cum oculos ad cœlum extollit, non ejus varietatem, & multiformem aspectum admiretur? Nam usqve eò varium ac multiplex cœlum est, ut in eo summa cum voluptate sive Deus, sive Natura lusisse videatur. Qvot enim sunt in octavo globo stellæ fixæ, qvamq; inter se diversæ ac variæ? qvibus innumeras animalium effigies, rerumqve cunctarum impressas esse, argumentis (ut ait Plinius) indicatur: qvoniam inde decidvis rerum omnium seminibus, innumeræ, (inqvit) in mari præcipuè, ac plerumq; confusis monstrificæ gignantur effigies.

4. A Varietate orbium cœlestium. Qvot deinde sphæræ cœlestes, plurimùm inter se dissimiles? qvam varia stellarum errantium vis atqve natura! qvam multiplices in his inferioribus rebus affectus stellæ producunt! in hac enim unâ re omnis Astrologorum ars, permagna sanè, perqve obscura, summa cum animi contentione occupata est: qvæ comites etiam alias, qvæ Mathematicæ vocantur, in magna varietate versantes; ad se trahit. Qvanta verò admirabilitas est cœlestium rerum, ut perpetuo gyro

gyro tanta machina contorqveatur; & erraticæ stellæ singulæ suos ac maximè varios motus habeant, & modò ad Septentrionem, modò ad Austrum vergant; tum occultentur, tum rursus aperiantur, tum abeant, tùm recedant, tum præcedant, tum subseqvantur: tum celerius moveantur, tum tardius; tum omninò ne moveantur qvidem; sed ad qvoddam tempus insistant? Jam Sol ipse, luminum omnium moderator & parens, qvot & qvantas tum in cœlo, tum reliqvis mundi partibus varietates efficit, dum orbem illum variis distinctum signis, qvem Zodiacum appellant, qvotannè totum illustrat? Nam modò vernam temperiem summa cum amœnitate nobis affert, dum Arietem, Taurum, Geminos pervagatur; modo Æstatem torridam maturis frugibus inducit, dum Cancrum, Leonem, Virginem peragrat: modò fertilem Autumnum efficit, dum in Libra, Scorpio, Sagittario spatiatur: modò sævam nobis atqve horridem Hyemem longius abscedens relinqvit, qvo tempore Capriconum, Aqvarium, & Pisces, brevissimo die percurrit. Qvid climatum varietatem commemorem, qvibus dies & noctes penè qvotidiè commutantur? Qvid diversas, & maximè varias mundi regiones persеqvar? cùm (ut ait Poëta)

5. A motu vario & diverso Planetarum

6. A Solis vi & varietate, qvæ ortus & interitus causa est in his sublunarib.

7. A Climatũ multitudine.

Qvinq; tenent cœlum Zonæ, qvarum una corusco
Semper Sole rubens, & torrida semper ab igni,
Qvam circum extrema dextra, lævaq; trabantur,
Cærulea glacie concretæ, atq; imbribus atris.

Duæ verò tantùm sint habitabiles: hæc qvam nos incolimus: & altera, qvam Antipodes tenere dicũtur. Hæc autem omnia qvæ cœlo continentur, tam multiplicia, tam varia, continuo mundi motu, siderumqve influxu, & vario lumine sapientes homines

8. A regionum multiplicitate.

9.
A Lunæ instabilitate & diversis apparentiis.

regi atqve gubernari volunt. Age verò, Luna, qvæ stellarum omnium infima est, & humoris atqve adeo generationis domina, qvantas singulis mensibus varietates ostendit! Semper enim aut augetur, aut senescit: & modò curvata in cornua, modò æqva portione divisa, modò sinuata in orbem, maculosa, eademqve subitò prænitens, immensa, orbe pleno, ac repentè nulla. Atqvi supra Lunam, ut eruditissimi viri statuunt, æterna sunt omnia, immortalia ac beata: nihilqve intereà traditur esse, qvod non varietate mirificè delectetur. Qvare sine ulla dubitatione concludendum esse videtur, in una Varietate summam esse beatitudinem.

Conclusio.

Qvid enim opus est, ut ad caducas, fragiles, continentesqve mutabiles res descendam, & Elementorum instabilem naturam, maximamqve varietatem perseqvar, inter qvæ tamen perpetua qvædam concordia discors, & discordia concors esse perspicitur? Nam ignis calor cum aëre convenit, siccitas ab eadem discrepat: Aëris humor aqvam attrahit, calor aqvæ repugnat: Aqvæ frigus terræ amicum est, humor inimicus. Qvæ qvamvis omnia aliqva ex parte repugnantia sint, & multum varia, ac diversa: tamen ad corporum omnium reliqvorum generationem benè conveniunt. Nullum est enim omninò corpus, præter illud cœleste, qvod non ex qvatuor elementis constituitur.

Transitio ad sublunaria, & Elementaria.

Jam illa, qvæ in sublimi aëre fiunt: qvæ Græco nomine Μετέωρα nominantur, & à qvibusdam imperfectè mixta corpora: qvàm diversa, qvam varia sunt! Qvanta in rore, pruina, nive, pluvia, grandinibus, tonitruis, fulgurationibus, fulminibus, nebulis, ventis, cometis, ignibus per aërem discurrentibus, cæterisqve ejus generis, non solùm qvotannis; sed etiam

10.
Varietatis ostensio in Meteorologicis.

etiam ſingulis penè diebus & noctibus varietas apparet! Qvid de maris natura multiplici, fluxu atqve refluxu, de aqvarum mirifica varietate dicam? Sunt enim alibi ſulphureæ & calentes aqvæ, alibi frigidæ, alibi ſalſæ, alibi dulces, alibi ſalubres, alibi peſtilentes, marinæ, lacuſtres, fluviatiles, fontanæ paluſtres, puteales, pluviæ innummerabilium penè generum. Adde huc fontium gelidas perennitates, liqvores pellucidos amnium, riparum veſtitus viridiſſimos, amœniſſimas lacuum piſcationes, irrigationesqve pratorum. Qvid terra univerſa, locata in media ſede mundi, ſolida & globoſa, & undiqve ipſa in ſeſe nutibus ſuis conglobata; veſtita floribus, herbis, arboribus, frugibus: qvorum omnium incredibilis multitudo, inſatiabili varietate diſtinguitur? Nihil ſanè opus eſt, ut ea recitem, qvorum varietas in omnium conſpectu poſita eſt; ut montes, campos, nemora, ſylvas, vineas, arva, villas, urbes, ædificia: qvæ, nemini penitus ignotum eſt, qvam inter ſe varia, qvam diverſa ſint. Qvid marmorum, ſaxorum, lapidum, gemmarum, metallorum varia genera proferam? ex qvibus qvàm varia ſibi homines inſtrumenta confecerint, & qvàm ad varios uſus accommodarint, nimis longum eſſet enumerare. Nam ſine ferro, ære, plumbo, vix ullum opus effici commodè poſſit: ut omnis penè opificum varietas, qvàm propè infinitam eſſe omnes intelligunt, eis metallis debeatur. Aurum autem atqve argentum cùm multis aliis uſibus accommodatur: tum vero nummis & pecuniis conficiendis omnem humanarum actionum varietatem variè regit & gubernat. Verùm ut ea, qvæ nutriuntur & aluntur, etiam attigamus: in herbis, anni unius intervallo & naſcentibus

11. In herbarũ copia & varietate; tùm ob folia, tùm flores.

12. In multitudine rerum inanimatarum.

13. Exaggeratio à Metallis, ubi color & valor diverſg

14. Regreſſus ad ſtirpes.

& intereuntibus qvantum varietatis ineſt! qvantâ amœnitate prata virentia, variis floribus, variisqve coloribus diſtinguuntur! Qvis eſt, qvi non ſummoperè lætetur, cùm videat ea, qvæ terra naſcuntur tam variis formis ac figuris eſſe diſtincta: cum intelligat, Herbarum tantam & tam variam eſſe virtutem, ut omnia ferè morborum genera ſint utiles, & divina qvadã providentia progenitæ; plures ad veſcendum aptæ ſint; plures varios ex ſe fructus, variasq; fruges proferant? Nam qvis non videt qvot ſint frumentorum, leguminum, ſeminum, qvæ vel ſua ſponte naſcuntur, vel hominum induſtria coluntur, ſpecies? Licet hortos benè cultos, & herbeſcentem ex ſe viriditatem fundentes, contemplari: licet arva ſata, ſegetesq; jam flaveſcentes & maturas ſpectare: licet colles apricos verno tempore, cum genitalia ſemina vi novi caloris excitantur, intueri. Seqvuntur frutices & arbores: qvæ non ſolùm variis generibus inter ſe diſcernuntur; ſed etiam in uno qvoq; genere perqvàm variæ ſunt, ac diverſæ ſpecies. Qvod elegantiſſimè Virgilius in Georgicis ita expreſſit;

Earum uſus in Medicina.

Botanice omnium ampliſſima.

Præterea genus haud unum nec fortibus ulmis,
Nec ſalici, lotoq;, nec Idæis cypariſſis:
Nec pingues unam in faciem naſcuntur olivæ
Orchades, & radii, & amaræ pauſia baccæ,
Pomaq;, & Alcinoi ſylvæ: nec ſurculus idem
Cruſtumiis, Syriiſq; pyris, gravibusq; volemis:
Non eadem arboribus pendet vindemia noſtris,
Qvam Methymneo carpit de palmite Lesbos.

Exaggeratio per recenſionem,

Et non ita multo poſt ſic ait: *Sed neq; qvàm multæ ſpecies, nec nomina qvæ ſint. Eſt numerus.*

à loco, ubi naſcuntur plantæ;

Qvid pomorum? qvid nucum? qvid frugiferatur arborum qvanta diſſimilitudo! qvam multifor mes

formes, qvàm varii fructus! Neq; sanè minor, atq; haud scio, an etiam major in animantibus Varietas invenitur. Nam ut omittam: alias vagas cœlo frui libero, alias nantes, & aqvarum incolas esse; alias in terra tantum nutriri; alias deniqve qvasi ancipites modò in aqvis, modò in terra vivere.

13. *Transitio ad avium genus*

Qvid in avibus volucribusqve, qvàm varia est natura! qvod earum species! qvot formæ! qvod figuræ! qvàm inter se variæ, qvamqve diversæ? Qvin etiam, non modò in formis nulla similitudo conspicitur: sed neqve in pennis ac plumis ipsis mirifica qvadam colorum varietate distinctis.

14. *Ad piscium gregem.*

At verò in piscibus, cæterisqve omnibus, qvæ in mari, qvæ in lacubus, qvæ in fluviis, qvu in fontibus, qvæ in stagnis, qvæ in plaudibus degunt, qvàm multiformis natura sit, nemo est, qvin intelligat.

15. *Ad reptilia & terrestria.*

Qvin terrestres bestias, vel feras, vel domesticas, perqvàm varias esse planum est ac manifestum: qvibus homines variè utuntur, partim ad vescandum, partim ad cultus agrorum, partim ad vehendum, partim ad corpora vestienda.

16. *Ab habitu corporis variegato.*

Neq; tantùm genera ipsa; sed in singulis generibus species sunt maximè variæ. Qvàm enim multiplices eqvi? qvam varii canes? Qvid illa Varietas in bestiis qvantoperè delectat? qvòd aliæ coriis tectæ sunt, aliæ villis vestitæ, aliæ spinis hirsutæ: pluma alias, alias sqvama videmus obductas, alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pennarum.

Præteritio cum Transitione,

Sed jam sentio, me nescio qva Varietatis dulcedine distractum, longius abiisse. Tempus est, ut ad homines ipsos veniamus, & qvanta sit inter eos Varietas, consideremus. Qvamvis enim omnes rationis sint participes, & hac in re similes esse censeantur: tamen neqve corporis, neq; animi similitudinem

Speciatim ad humanū genus.

servant. Mirum enim hoc profectò est, neqve sine diligenti consideratione prætermittendum: Qvod in tanta hominum multitudine, qvi Europam, Africam, Asiam incolunt, & si qvis est alius in toto terrarum orbe locus habitabilis, neqvaqvam duo reperiri possint, etiamsi gemelli nascantur, tam inter se similes, ut non aliqvo tamen signo distingui valeant. Omnino Deus ipse, cum animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilii, qvem vocamus hominem præclara qvadam conditione generavit, qvanti varietatem faceret, apertè declaravit. Cùm enim ex tot animantium generibus atq; naturis, hominem solum participem rationis & cogitationis, cùm cætera omnia sint expertia, conformavit; & omnibus hominibus eandem formam eandemqve faciem affinxerit: tanta tamen singulos varietate discrevit, ut unus ab altero facilè dignoscatur. Atqve in corporis qvidem partibus non alia de causa tātæ sunt opportunitates, habilitatesqve, nisi propter earum variam vim atqve potestatem: in qvibus etiam instrumenta sensuum, oculi, aures, nares, palatum, lingua, varias nobis rerum scientias atqve differentias afferunt. Eadem etiam Varietas in vocibus & locutione sentitur: ut freqventissimè, cùm aliqvos inter se loqventes audimus, qvamvis ipsos non videamus, tamen ex sermone ipso alterum ab altero dignoscamus. Ut interim de Linguarum Varietate nihil dicam: qvæ qvanta sit, qvis est qvi nesciat? Mithridatem, Ponti regem mirum qviddam præstitisse legimus, ut duarum & viginti linguarum varietatem intelligeret. Neqve tantum diversi populi, longinqvæ nationes variè loqvuntur: sed freqventer accidit, ut in eadem regione

Gemini ad ungvem vari

Miraculum in rerum natura.

In orbe ad ungvem nemo alteri similis.

17.
A Lingvarū, & sermonis diversitate.

Comprobatio per exempla.

regione magna sit in parùm distantibus locis loqvendi varietas. Jam verò de animis & voluntatibus verissimum est illud, qvod ait Cicero: Ut in corporibus (inqvit) magnæ dissimilitudines sunt: sic in animis existunt majores etiam varietates: ut non sine causa tritum sit jam sermone proverbium: Qvot homines tot sententiæ: Persius jure optimo clamet:

Ab autoritate Poëtarum

Mille hominum species, & rerum discolor usus.
Velle suum cuiq; est: nec voto vivitur uno.

Neqve malè Varietatem hanc animorum ad palatum transtulit Horatius: cum ita inqvit:

Qvot capita, tot pilei.

Tres mihi convivæ propè dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.

Idem Horatius totam primam cantionem suam in ea re consumit, ut ostendat, varias hominum esse voluntates, variaqve studia. Nam alii dignitates & honores exqvirunt, Rempublicam administrant, magistratus ambiunt: alii ludos & publica certamina consectantur: alii rem militarem amplectuntur: alii mercaturam exercent; & divitiis inhiant; ali nihil venatione jucundius arbitrantur: alii re sua familiari delectati, vivunt in agris, & agriculturæ dant operam: sunt qvi literarum studiis immorantur: sunt etiam, qvi se totos voluptatibus & ocio dedant. Nam qvid explicare contendam, qvantum artes & scientiæ Varietatis habeant? Testes sunt ipsi artifices & periti homines, qvi suis in artibus perqvàm variis singuli qvotidiè novi aliqvid excogitant: & tamen se nunqvam ad earum perfectionem omnino pervenisse & agnoscunt, & confitentur. Testes sunt omnes, qvicunqve animadver-

18. *A diversitate ingeniorum & animorũ, & morum.*

19. *Ab artificum & opificum diversa copia*

tunt, opera ferè qvotidiè nova teperiri. Qvæ varietas extrinsecus etiam in vestibus apparet. Neq; enim tantùm à nationibus, populis, gentibus, ordinibus, sacerdotibus, profanis, rusticis, civibus, cujusqve generis hominibus, vestes variantur? sed etiam in unaqvaqve domo ac familia; pro cujusqve arbitrio atqve libidine, vel longæ, vel breves, vel latæ, vel angustæ, vel nigræ, vel candidæ, vel dubio varióve colore conficiuntur. Qvid dicam de moribus ætatum, sexuum, ordinum, nationum? qvantum inter adolescentem & senem interest! qvantum inter marem & fœminam! qvantum inter pauperem & divitem! qvantum inter Græcum & Barbarum! Qvin etiam Animus, qvi maximè simplex esse videtur, tamen in duas varias, & plurimum inter se distantes divisus est, hoc est, in Rationem & Appetitum: qvæ duæ partes inter se perpetuò qvodam certaminè digladiantur, & contendunt. Appetitus enim variis assiduè perturbationibus & motibus rationem qvasi de gradu dejicere tentat; dum aut nimis effusè lætatur, aut vehementiori ægritudine contrahitur, aut acriori libidine incitatur, aut nimio metu deprimitur: contrà verò Ratio tanqvam domina conatur exultantem, & imperium renuentem Appetitum sibi subjicere. Hinc variarum virtutum & vitiorum seminaria. Qvoties enim Ratio superat, virtutes & præclaræ actiones prodeunt, & maximo qvodam splendore præfulgent, qvoties autem Appetitus superior fit, vitia statim emergunt, & virtutes omnes obruunt. Ita fit in animo perpetua qvædam pugna; in qva si ratio deniqve victrix fuerit, animum vagum & liberum tandem in æternam illam domum, & cœlestem varietatem jucundissima cum volu-

Seculum ingeniosum!

20.
Ab animæ varia operatione.
Caro contra Spiritum, & Spiritus contra carnem pugnat.

Perpetua lucta.

voluptate perducit. Ipſa verò degendæ vitæ ratio qvò magis variatur, eò jucundior eſſe ſolet. Itaq; nemo eſt qvi in eadem actione, qvamvis honeſtiſſima jucundiſſimaq; ſit, diutius perſeverare poſſit: atqve illi felices exiſtimantur, qvi tantas opes habent, ut arbitrio ſuo modò in urbe, modò ruri, modò in uno loco, modò in alio vivere commodè poſſint. Qvid in dicendi facultate qvàm grata eſt, & qvàm jucunda Varietas! Qvis enim eum æqvo animo poteſt audire, qvi eodem ſemper tenore, atq; eadem voce verba faciat! qvis contra cantus variæ orationis pronunciatione dulcior inveniri poteſt? Qvid ſuavius, qvam acutæ crebræqve ſententiæ? Qvid admirabilius, qvam res vatio ſplendore illuſtrata verborum? Qvid plenius, qvàm omnium rerum genere cumulata oratio? Qvin vocem, vultum, geſtum, pro rebus, qvæ dicuntur & aguntur, variare plurimum juvat. Jam Muſicæ cantiones, & harmoniæ, qvò magis variæ ſunt, eò jucundiores & ſvaviores habentur: qva de cauſa tot & tam varia Muſicæ artis inſtrumenta reperta ſunt. Qvid ſpectacula? qvid ludi publici? qvid magnifici apparatus? qvid convivia? nonné qvantò magis variantur, tantò plus commendationis & admirationis in ſe habent? Qvære in ſacris anniverſariis, in celebritatibus, in diebus feſtis; in nuptiis, in rebus deniqve omnibus qvæ vel religionis, vel conſuetudinis, vel lætitiæ gratia comparantur, nihil omninò reperies, qvod ſine Varietate laudetur. Qvare inter luſus puerorum, amores adoleſcentium, actiones juvenum, vota ſenum, maximam ubiqve Varietatem invenies: Qvære inter agricolas, inter urbanos, inter milites, inter principes, deniqve inter homines cujusq; generis: ubiq; certe videbis, gratiarum

21. A vita communi.

22. A Rhetorica alternata ſententiarũ & verborum accommutatione.

23. A ludis publicis & ſpectaculis.

Concluſio per univerſalem inductionem

24. *A mulierum animo instabili, & nescio qvo?*

tiarum omnium matrem atqve dominam esse Varietatem. Sed qvid moror in medium muliebre genus adducere? de qvo Poëta præstantissimus ita Virgilius clamat:

Varium & mutabile semper Fœmina.

Qvamvis enim hoc propter iratam, Æneæ discessu, reginam Didoonem qvasi in fœminarum vituperationem Poëta dixisse videatur. tamen illud certum & exploratum est; Nullam in mulieribus esse gratiam, nullam venustatem, nullum decorem, nullam deniqve jucunditatem, nisi Varietas eas exornet, & amabiles efficiat. Hoc in vestibus earum maximè variis, variisqve coloribus depictis, in capitis ornamentis, in aureis redimiculis, in torqvibus, in baccatis monilibus, in armillis, in annulis, in variis geminis ac lapillis, in margaritis, in omni deniqve mundo muliebri facilè perspicitur: tui qvidem ornamentorum varietati si corporis venustas & pulchritudo, qvæ in proceritate, in convenientia partium, in coloris suavitate posita est, accesserit: tum verò nullum spectaculum magis jucundum, nulla res magis animos alliciat, & amoris illecebris ad se trahat, in veniri potest. Ex hac autem, de qva jamdudum loqvimur, Varietatis commendatione factum est, ut, cùm aliqvam rem aut hominem vehementer laudare volumus, cum varium & multiplicem appellemus. Ite Virgilius de agricolarum felicitate:

25. *A muliebri mundo.*

Qvis non faveret talibus aut istis?

At secura qvies & nescia fallere vita,
Dives opum variarum.

Ita Cicero de Platone suo, qvem unum omnium maximè admiratur, qvem Deum Philosophorum vocat, qvem ubiqve miris in cœlum laudibus extollit: Plato (inqvit) varius & multiplex & copiosus

sus fuit: Et de Socrate sic ait: Tum verò eloqventia, varietate, copia, qvam se cunqve in partem dedisset, omnium fuit facilè princeps. Ipsius autem Socratis disputationis vehementer in eo laudat, qvod variæ, & diversæ, & in omnem partem diffusæ fuerint. Cum igitur omnibus in rebus, qvæ intelliguntur, & qvæ sentiuntur; qvæ sempiternæ sunt, & qvæ mortales; qvæ simplices sunt, & qvæ coagmentatæ: qvæ animatæ sunt, & qvæ inanimatæ, qvæ ratione utuntur, & qvæ non utuntur; maxima qvædam, & admirabilis Varietatas esse videatur, & sine Varietate nihil omnino sit, qvod aut gratum, aut jucundum esse possit; nemini profectò dubium esse debet, qvin omnis felicitas. omnis vitæ jucunditas, omnis beatitudo sit in Varietate constituta. Qvam rerum omnium conditor Deus omnibus suis operibus idcircò miscere voluit, ut eam homines præstanti animo atqve ingenio continenter intuentes, etiam animos suos ad illud varium & multiplex æternitatis exemplar, variis artibus, scientiis, & virtutibus exornarent: & ipsi Deo procreatori suo, qvi ideo beatissimus est, qvoniam omnium rerum Varietatem perfectissimè intelligit, qvàm similimi esse studerent. Nihil enim optabilius, qvā varias & diversas rerum causas affectusqve cognoscere; &, unde omnis rerum Varietas ortum habeat, qvòve recedat, intelligere. Qvod ita Virgilius clamando testatur;

Conclusio generalis.

Comprobatio ab exemplo Dei Varietatis autore.

Felix, qvi potuit rerum cognoscere causas!

Hæ verò rerum causæ, varietatesqve tantùm ab iis intelligi possunt, qvi sese optimarum artium studiis dediderunt; & qvi omnem curā, diligentiam, studiū in scientia & sapientia collocarunt. Qvamobrem

qvi

Conclusio specialis.

qvi hanc veram & gloriosam animi felicitatem asseqvi concupiscit, & ea perpertuò frui, cùm in præsenti vita, dum (ut ait Poëta) spiritus hos regit artus; cùm in cœlo; Deorumqve domicilio, cùm in illud varium beatorum Concilium cœtumqve proficiscetur: is honestarum rerum Varietatem semper intueatur; eam unam admiretur, suscipiat, amplectatur: & per scientias atqve artes ingenuas eam intelligens, bonis & variis actionibus exprimat, ac repræsentet. Sic enim demum id asseqvetur, qvod nulli fortassè veterum Philosophorum, falsis opinionibus inhærentium, & qva in re summum bonum esset, neqvaqvam satis intelligentium, asseqvi potuerunt.

Persuasio à fine ultimo.

In vitâ eternâ variis utemur fruemur.

DE AMORE, CUM VIRGILII LIbrum qvartum Æneidos iterum publicè interpretaturus esset.

ORATIO XXII.

Est itidem hæc mista; maximam tamen partem, & si finem aut scopum videas ad deliberativum genus referri debet. Ut enim suadet ad honestam & castum amorem: Ita dissuadet ab illegitimo & illicito amore, seu insano, ut peste juventutis & veneno pudicitiæ. Qvin simul remedia non pauca præscribit & προφυλακτικὰ, qvibus nos tutos & sartos ab eodem servare valeamus: cujusmodi & Ovidius de Remedio amoris habet præsentia & singularia: Qvale est:

Otia si tollas, periere cupidinis arcus:
Cedit amor rebus, res age: tutus eris.

Exordium ab Eulogio Maronis per collationem.

Cum in omnicus suis Operibus Virgilium admirabilem, ac verè divinum, siqvidem divinitatis nomen Poëtæ sibi vendicant, esse semper judicarim; tum in Æneidos suæ Libro Qvarto seipsum etiam vicisse, atqve omne suum ingenium artem & doctrinam

nam oſtentaſſe, facilè qvivis paulò doctior intelligere poteſt. Qvàm enim ingenioſè, qvàm artificioſè, qvam doctè in eo vires Amoris indicat! qvid ad graves illos Didonis affectus, & ad Amoris impotentiã oſtendendam, hoc Virgiliano Poëmate fieri poteſt illuſtrius, atq; videntius? Cùm autem vetus opinio ſit, à priſcis illis ducta temporibus & ſapientium hominum conſenſu approbata; Eam amoris eſſe vim, qvæ cæteras omnes vires antecellat; non alienum ab inſtituto noſtro futurum exiſtimavi, ſi, priuſqvam ad hujus Poëtæ Carminum explanationem venio, de Amore nonnulla præfatus fuero. Qva in re non ſanè mihi explicata dicendi ratio proponitur? cùm non tantùm de Amore ipſo; ſed etiam de ipſius nomine magna ſit apud Authores controverſia. Priùs ergò de Amoris nomine: poſteà verò etiam de ipſo Amore diſſeremus. Igitur apud Græcos Amor, Ἔρως nominatur. Qvod qvidem nomen in Phædro Plato ἀπὸ τῆς ῥώμης, hoc eſt, à robore deductum exiſtimat; qvòd impetu qvodam, non ratione, mortales ad voluptatem impellat. Plotinus autem eo in libro, qvem de Amore compoſuit, ἀπὸ τῆς ὁράσεως, hoc eſt, à viſione deductum ἔρωτα cenſet: propterea qvòd ex aſpectu plerumq; naſci ſolet amor: Qvod etiam proverbiali qvodam Senario jactatur apud Græcos:

Occaſio à Vi amoris. — *Propoſitio.* — *Partitio. 1. A notatione nominis. 1. 2.*

> Ἐκ τοῦ εἰσορᾶν γὰρ γίγνεται ἀνθρώποις ἐρᾶν.

Ignoti nulla cupido.

Et Propertius eo carmine ſatis indicat:

> *Si neſcis: oculi ſunt in amore duces.*

Qvare Juvenalis, qvaſi prodigium, ſenem qvendam refert:

> *Qvi nunqvam viſæ flagrabat amore puellæ,*

In

In Cratylo verò Plato putat, ἔρωτα trahi ἀπὸ τῦ εἰσρεῖν, hoc eſt, ab influendo: qvod extrinſecus per oculos in animum influat. Sed pluribus ſanè nominibus apud Græcos Amor appellatur. Nam etiam ἵμερος dicitur; qvod nomen à ῥέω, qvod eſt fluo, deduci Socrates exiſtimat; qvem ſanè intemperatum Sophocles appellavit, hoc eſt, ἄκρατον ἵμερον. Qvidam etiam πόθον, Amorem appellari volunt. Verùm in Cratylo Socrates oſtendit, πόθον, abſentis tantùm rei deſiderium eſſe; non præſentis amorem, Unde ſunt, qvi Apollonium reprehendant ſuper illis verbis Αἰσονίδων πόθω, qvod πόθων pro amore uſurparit. Πτερόεντα verò dicunt à cœleſtibus appellari, qvaſi ſit alis præditus: qvòd tanqvam volucres, huc & illuc volitent amantium vota. Propertius ventoſas Amoris alas appellat, ob inanem credo ſpem. Ejus carmen hoc eſt:

3.

à Πολυωνυμία apud Græcos ἵμερος.

2.

Πόθος.

Idem non fruſtrà ventoſas addidit alas;
Fecit & humano corde volare Deum.

Cur cupido alatus?

Alexander Aphrodiſæus in Problematis ſcribit: Veteres ideò fultum alis Amorem finxiſſe? qvòd in altum, tanqvam alites, amantium vota tollantur. Φιλίαν etiam atqve ἔρασιν pro Amore nonnunqvam apud Auctores reperire eſt. Latini verò ſine ullo diſcrimine utuntur Amoris vocabulo, ſive parvum affectum indicare, ſive magnum voluerint: & tam honeſtis, qvàm turpibus nomen hoc accommodant. Qvamvis cùm aliqvam turpitudinem & obſcœnam conſuetudinem indicare velint, amores potius in multitudinis numero, qvàm amorem appellare conſueverint.

3.

Φιλίαν.

Significata apud Latinos plura.

Vanum

Vanum qvidem & laſcivum amorem etiam in ſingulari numero dixerunt: ſed qvi honeſtum & laudabilem amorem in multitudinis numero expreſſerit, vix qvenqvam ex probatis auctoribus invenies. Hoc autem nomen latiſſimè patet, & omne deſiderium transfertur: ut in ſexto Sibylla loqvens ad Æneam inqvit:

Germanica amoris acceptio. 1.

Qvod ſi tantus amor menti, ſi tanta cupido,
Bis Stygios innare lacus.

Et in eodem libro:

Tendebantq; manus ripæ ulterioris amore.

2\. Qvin etiam mortis deſiderium Amoris nomine Cicero interpretatur ex Æſchylo:

Amore mortis terminum inqvirens mali,

Cupido verò & pro Amoris Deo, & pro vehementiori appetitu ſolet ab Authoribus uſurpari. Jam verò vis illa amoris intentiſſima nomine Furoris plerumqve ſignificatur, qvem Græci μανίαν vocant: qvamvis in multitudinis numero politiores ſcriptores freqventiùs uſurpent: qvod eo Catulli carmine intelligitur:

4\.

Indomitos in corde gerens Ariadna furores.

5\. *Synonyma.* Qvod autem etiam Cura pro Amore freqventer inveniatur, nemini dubium eſſe arbitror: qvod vel ex hujus libri carmine liqvidò ſatis intelligi poteſt:

At regina gravi jamdudum ſaucia cura.

Et paulo poſt:

nec placidam menti dat cura qvietem.

Amor an ſubſtantia, an accidens? *Poëtis eſt numen.*

Sed qvid Amor ſit tandem, utrum aliqva natura, qvæ per ſe poſſit eſſe, ut Deus aut Homo, aut Dæmon; an affectio tantum animi qvædam? non ſatis inter ſcriptores convenis. Poëtæ namqve Deum illum eſſe volunt omninò, qvi poteſtate ſua non homines tantùm; ſed immortales etiam Deos ſibi ſubji-

ſubjiciat. Unde Euripides eum ſtolidum & imperitum vocat, qvi non amorem maximum omnium eſſe Deum cenſet: cujus hæc carmina citantur à Stobæo:

> Ἔρωτα δ᾽ ὅςις μὴ Θεὸν κρίνει μέγαν,
> Καὶ τῶν ἁπάντων δαιμόνων ὑπέρτατον,
> Ἢ σκαιός ἐςιν ἢ καλῶν ἄπειρος ὤν,
> Οὐκ οἶδε τὸν μέγιςον ἀνθρώποις Θεόν.

Alibi verò ſcribit idem Euripides: Non tantùm viros & mulieres ab amore invadi ſolere: ſed etiam Deorum animos vulnerari, ut ne Jupiter qvidem illi reſiſtere poſſit, ſed ab eo freqventer dometur. Heſiodus in Theogonia ſua ſcribit; Primò qvidem factum Chaos fuiſſe, poſteà Terram, poſtremo Amorem prodiiſſe. Simonides autem ex Venere & Marte natum aſſerit; Acuſilaus ex nocte & æthere: Alcæus ἐκ τῆς Ἔριδος καὶ Ζεφύρου. Sappho Veneris & Cœli filium tradit. Cicero de Natura Deorum libro tertio tres Cupidines memorat: qvorum primus Mercurio & Diana prima natus dicitur: ſecundus Mercurio & Venere ſecunda; tertius, qvi Anteros dicitur, Marte & Venere tertia. Sunt etiam, qvi Venere & Vulcano genitum Amorem velint: ut Tragœdia decima Seneca teſtatur. Platonicus verò Phædrus Amorem magnum eſſe Deum, in Convivio Platonis probare contendit: itaqve multis in locis apud antiqvos tanqvam Deus colebatur. Legimus enim, Athenis juxta Palladis ſtatuam, etiam Amoris ſimulacrum extitiſſe; cui non aliter, qvam Palladi, rem divinam Athenienſes facerent. Lacedæmonios verò accepimus, priuſqvam cum hoſte congrederentur.

Ortus & Natales & incunabula amoris.

Plato in ſympoſio.

Amori sacrificare solitos: tanqvam is Deus solus victoriam ac salutem præstare posset.

Amoris gymnasium.

Jam apud Theobanos etiam Gymnasium, amori dicatum fuisse comperimus: ubi Cohors qvædam, qvæ sacra dicererur, ex amantibus & amatis conflabatur. Maximè verò omnium Thespienses, & Pariani, qvi in Hellesponto sunt, Amorem colunt, & omnium Deorum principem habent.

Amoris imago per personæ fictionem

Sunt etiam, qvi Amorem neqve Deum, neqve hominem esse affirment, neq; marem neqve fœminam: qvemadmodum Athenæus libro decimo tertio scribit, ubi plurima de Amore tractantur. Fingebant autem puerum, & volucrem & sagittis armatum: qvemadmodum elegantissimè Propertius libro secundo cecinit. Eubulus tamen neqve levem, neqve pennigerum Amorem esse dicit; sed gravem potius & stabilem, & Alexis minimè volucrem esse vult; qvamvis ab ignaris pictoribus ita fingatur.

Cæcus amor cur & velatus pingatur?

Sunt præterea, qvi illum cæcum esse velint: qvia, qvod ait Propertius, In sano nemo in amore videt. Et id Theocriti autoritate probare contendunt, qvi ita scribat in Eidillio, cui Θερισαί titulus est:

> Τυφλὸς δ᾽ οὐκ αὐτὸς ὁ Πλοῦτος,
> Ἀλλὰ καὶ ὁ φρόντιστος Ἔρως.

hoc est, Non tantum Plutus cæcus est, sed etiam curarum plenus Amor. Verum Moschus in eo pulcherrimo carmine, qvod Ἔρως δραπέτης inscribitur, Amorem oculos acres & ardentes, hoc est, δριμύλα καὶ φλογόεντα ὄμματα habere scribit. Neqve sane memini legere, ubi apud probatos Auctores Amor pro Deo cœcus pingatur.

Descriptio amoris.

At vero quid Amor sit, optime Seneca Tragœdi

gœdia decima, qvæ Octavia inscribitur, his versibus edocet:

Volucrem esse Amorem fingit, immitem Deum,
Mortalis error, armat & telis manus,
Arcusqve sacros instruit sævâ face:
Genitumq; credit Venere, Vulcano satum.
Vis magna mentis, blandus atq; animi calor
Amor est: juventa gignitur, luxu,
Ocio nutritur, inter læta fortunæ bona.
Qvem si fovere atqve alere desistas, cadit,
Breviqve vires perdit extinctus suas.

Non igitur Deum neqve Dæmonem, neqve Hominem esse Amorem; sed vim qvandam mentis, atq; animi calorem existimandum est: atqve ideo nonnulli dicunt, Amorem nihil aliud esse, qvam boni desiderium; alii verò dicunt, appetitum esse fruendæ pulchritudinis, Qvæ sane definitiones ambæ à Platonis schola profluxerunt. Theophrastus autem eximius Philosophus, qvi divinitate loqvendi nomen invenit, Amorem ita describit: Ἐρως ἐστιν ἀλογίστου ἐπιθυμίας ὑπερβολὴ, hoc est, Amor est ejus, qvæ ratione careat, cupiditatis exuperantia. Sed difficilimum esse, recte intelligere, qvid sid Amor, Plutarchus ostendit, cum scribat; Amorem ab aliis mentem qvandam, sive intellectum, qvem ille νοῦν vocat, existimari; ab aliis divinam animi motionem, atqve Dæmonium: atqve alia prætereà multa refert, qvæ tamen amoris naturam apertè non declarant. Qvamvis autem plures Amoris species ab aliqvibus numerentur: duæ tamen sunt in primis, qvæ à Platone atqve Plotino celebrantur. Alium enim vulgarem amorem appellant, qvi ab ea pulchritudine, qva sensu percipitur, oriatur,

Qvid sit amor platoni,
Theophrasto.

Plutarcho.

Divisio amoris.

qvam qvidem pulchritudinem, vulgarem etiam Venerem appellare solent: alium autem cœlestem nominant, qvi à divinarum rerum, qvæ intelligentia cognoscuntur, pulchritudine nascatur: & hanc cœlestem & divinam Venerem vocant. Itaqve Lucretius, Poëta & Philosophus egregius, cùm hoc intelligeret, suum opus ita exorsus est:

Divinus & vulgaris amor.

Æneadem genetrix hominum Divûmq; voluptas,
Alma Venus.

In hac enim parte præclarissimi Platonici Philophati sunt: dum colligunt, oculos nobis ad Dei cognitionem & immortalitatem duces esse. Nam cùm Amor pulchritudinis desiderium sit (ut ait Plato:) per hujus pulchritudinis, qvæ sub sensum cadit, aspectum paulatim erigimur ad cœlestem pulchritudinem atqve divinam: cujus ideam animo concipientes, admirabili; qvodam desiderio ad eam trahimur; atqve hæc terrena; qvasi vilia & abjecta, negligimus. Hoc est, qvod etiam Paulus Tarsensis, vir sanctissimus, ad Romanos scribens, ait: Divina mysteria per harum rerum, qvæ cernuntur, considerationem intelligi posse. Vates autem ille divinus, Cælum (inqvit) Dei gloriam enarrat: & Anaxagoras ad cœli contemplationem homines esse natos asserebat. Sed ad Amorem nostrum revertamur qvem ante res omnes genitum fuisse qvidam existimant: unde etiam Phanes dictus est, qvod primu apparuerit: qva in sententia Parmenides fuisse videtur, cum ita cecinerit:

Phanes.

Πρώτιστον μὲν ἔρωτα θεῶν μητίσατο πάντων
Aristoteles qvidem ait Hermotinum Clazomenium

nium, & Parmeniden, & Hesiodum statuisse, Amorem rerum omnium motricem atqve efficientem causam. Plato in Convivio scribit, Amorem in natalibus Veneris in hortis Iovis, cum Porus Peniæ conjunctus fuisset, esse genitum. Sed diversos animo Amores esse consentiunt omnes: qvi tamen ad duas species, qvas diximus, reducuntur: unde Seneca geminum Cupidinem appellat in Oedipo:

Tempus & locus nativitatis Amoris.

Concinit tædas geminus Cupido. Et alibi:

Qvam vocat matrem geminus Cupido.

Nostri etiam Theologi primum illum Amorem divinum mirificis laudibus celebrant. Itaqve Dionysius Areopagita cùm de Sacris Nominibus ac divinis scriberet, Amorem non prætermisit: inde illa ejus verba: θεῖος, ἔρως, ἀγαθὸς, ἀγαθοῦ, διὰ τὸ ἀγαθὸν, docetqve, ab Amore divino bona omnia profluxisse. Mentes verò illas supremi chori, qvæ Deum propè contingunt, ab Amoris incendio Seraphim nominatus fuisse, Hebrææ Linguæ periti testantur. Sed plurimùm refert, qva Venere noster Amor oriatur. Hinc enim omnis vitæ felicitas, & omnis miseria pendet: siqvidem omnes, naturali qvodam instinctu, boni amore trahimur: sed à Venere, hoc est, ab earum rerum, qvarum amore capimur, pulchritudine plerunqve decipimur. Hic enim nihil pecunia speciosius esse putat, atqve ideo studium suum omne congerendis pecuniis accommodat: alius amore militiæ ducitur: alius sine literis vitam non vitalem (ut ait Ennius) existimnt: plurimi, si corporis voluptatibus priventur, se miseros esse judicabunt: sunt etiam (qvamvis admodum rari) qvi tanto virtutis amore flagrent, ut cætera omnia pro nihilo habeant;

Duplex Amor verus & fucatus.

Fucatus & apparens amor sub specie & prætextu boni.

neqve, nisi qvantum cogit necessitas, curent. Atqve hi soli sunt, qvos cœlestis amor ad immortalem gloriam & felicitatem aliqvando perducet. Hic autem Amor ille est, qvo referti sunt omnes & Platonicorum, & Theologorum libri: cujus tam mirabilis effectus, ut animum à corpore prorsus abstrahat, & ad res sublimes atqve pulcherrimas considerandas erigat. Cùm enim mentis oculis, sapientiæ splendorem intueri qvis potest, admirabiles in eo amores excitantur sapientiæ: atqve ita rerum altissimarum cogitatione fruitur, ut ad hæc infima stupeat. Hoc est, qvod in Phædone Socrates ait: philosophorum vitam nihil aliud esse, qvàm mortis commentationem. Nam qvi alicujus rei amore captus est, de ea semper cogitat, & in ea qvasi vivit: unde Pythagoras dicere solebat, Amorem unam esse animo in duobus corporibus habitantem. Hinc est, qvòd Poëtæ mulieres eas, qvas amant, vitam suam appellant: ut Propertius:

Amor divinus, verus & profectus.

Philosophia, id est, sapientia amor.

Qvid juvat ornato procedere vita capillo.
Teq; peregrinis vendere muneribus?

Volunt autem Amorem primum ac principalem actum esse voluntatis: unde voluntatem amoris efficientem esse causam statuerunt; pulchritudinem autem, qvasi materiam qvandam, ex qva amor generetur: qvæ qvomodo fiat generatio, sanè qvàm egregiè Picus in Hymnis suis ita cecinit:

Amoris subjectum est voluntas.

Namq; ubi membrorum vultus discordia concors
Fulserit, & grata fuerit compage revincta;
Ipsa oculos afflat subito, celeriq; meatu
Labitur affecti tacita ad penetralia cordis,
Idq; trahit; veluti chalybem magnesia cautes;

Et tractum incendit generatq; in pectore flammam,
Illecebris fatam placidis, gratoq; decore.

Verum non alia ratione qvisqvam ab hoc Amore vulgarie liberare poterit; nisi id efficiat, qvod Archytas Tarentinus in eo Libro, qvem Περὶ σοφίας inscripsit, percepisse dicitur: Ut ab ipso Deo ad res, ab eo procreatas, cogitatione procedamus: rursusqve à creatis rebus ad ipsum Deum revertamur. Cùm enim res aliqvæ pulchritudine sua nostrum animum movet, statim ab ea progredientes, cogitare debemus, qvanto debeant ea pulchriora esse, qvæ non oculis; sed intelligentia percipiuntur: rursusqve ab illis ad Dei pulchritudinem ascendere, in eaqve demum acqviescere: cùm ab hoc amore divino (qvemadmodum antè diximus) felicitas omnis atqve beatitudo pendeat. Hic autem amor etiam in Deo est: qvippe qvi (ut Platonici volunt) amore ductus, hunc mundum procrearit. Et Aristoteles duodecimo primæ Philosophiæ libro, primam illam Mentem omnia movere propter amorem censet. Plato in Convivio docet; Ab amore divina ad homines, & humana ad Deos transferri: eumqve, qvi harum rerum peritus sit, maxime felicem nuncupavit. Clemens Alexandrinus id in nobis situm esse asserit, ut amoris divini periti fiamus: ideo initio ejus libri, qvem Pædagogum inscripsit, ita inqvit: Τὸ φίλτρον ἔνδον ἀνθρώπῳ ἐστιν. Atqve hic sanè divinus amor tantoperè incenditur, ut ab aliis rebus mentem alienet, atqve in amatum Deum mirabili qvadam potestate transformet, ut Dionysius ecstasin ab eo fieri censeat. Hoc illud sanctissimum conjugium animæ cum Deo est; de qvo multa Theologi

Qvomodo à posteriore deveniamus ad ignota & invisibilia.

Cur DEUS Op. Max. mundum condiderit? Testimonia.

Amor est desiderium conjunctionis in unum.

nostri verba faciunt; & Proclus, in Hymno ad Lyciam Venerem ita canens:

Σύμβολ' ἔχων νοεροῖο γάμου, νοερῶν ὑμεναίων.

Gradus amoris. Nunqvam autem hic Amor nimius, aut nimis intensus esse potest; cum reliqvi amores, cùm intenduntur, magnas animo perturbationes afferre soleant. Scribit enim Theophrastus in Amatoris libro; Cheremonem Tragicum existimasse, Amorem, si mediocris sit, esse gratiosum; si verò fuerit intensus, molestias & perturbationes afferre qvàm plurimas. *Amor verus soli inest homini non brutis.* Sed neqve illud prætermittendum, qvod has una ratione vel maximè cæteris animantibus homo præstat, qvòd rerum pulchritudinem intelligit, atqve ejus amore capitur: qvod de Officiis primo Cicero fatetur his verbis: Itaqve eorum ipsorum, qvæ aspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, convenientiam partium sentit. *Corporis & animi pulchritudo qvæ.* In qvarto Tusculanarum libro probatur, Aptam membrorum figuram, cum qvadam coloris suavitate, corporis esse pulchritudinem: Animi verò pulchritudinem esse censuit, opinionum, judicorumqve æqvalitatem & constantiam, cum firmitate qvadam & stabilitate, qvæ virtutem subseqvatur. Utrum autem à corpore, an ab animo principium habeat sensilis pulchritudo? qvæstio est. *Unde amor prodeat, an ab animi, seu corporis bonis.* Nam plerumqve accidit, ut animorum magis, qvàm corporum, pulchritudine moveamur: multiq; ad amandum magis fœminæ honestate ac pudicitia, qvam procacitate & lascivia concitantur. Qvis enim, nisi vilis & perditus homo, meretricis amore, qvamvis pulcherrima sit, capitur? At contra,

tra, qvemadmodum præclarè Lucretius cecinit:

Deteriore, fit, ut forma muliercula ametur
Nam facit ipsa suis interdum fœmina factis,
Morigerisqve modis, & mundo corpore cultu,
Ut facilè insuescat secum vir degere vitam.

Qvid, qvòd propter judiciorum varietatem sæpè numero fit, ut qvæ non pulchra sunt, pulcherrima videantur? Qvod etiam eo carmine Theocritus indicat:

Πολλάκις ὦ γὰρ ἔρωτι, τὰ μὴ καλὰ, καλὰ πέφανται

Unde Polyphemus apud Ovidium, rigidus homo, ita canit:

Barba viros, hirtæq; decent in corpore setæ.

Apud Persas autem propter summas delicias nihil pulchrum habebatur, qvod non molle atqve effœminatum esset. At contra Virgilius in hoc libro Didonem, fœminam qvidem, sed qvæ tamen virile nescio qvid præ se ferret, non tantum Æneæ pulchritudine captam inducit, qvantum ejus fortitudine & rebus gestis, qvibus admirata clamat:

Virago & Heroina Dido.

Qvem sese ore ferens? qvam forti pectore & armis?

Et non ita multò pòst: *Heu! qvibus ille*
Jactatus fatis? qvæ bella exhausta canebat?

Morum enim similitudo ea est, qvæ maximè amorem conciliat. Non igitur mirum, si bellicosa fœmina fortem & bellacem virum adamarit. Nam illam habitu qvodam qvasi virili postea depingit.

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.
Cui pharetra ex humero.

Erat enim chlamys, non muliebris vestis, sed potius militaris. Unde Plautus in Curculione: Qværaratis chlamydem & machæram hanc, unde ad me pervenerit. Et ipse Virgilius in octavo:

ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde & pictis conspectus in armis.

Et Cicero pro Rabirio Posthumo statuam Scipionis cum chlamyde in Capitolio fuisse; & Neapoli Syllam Imperatorem chlamydatum scribit. *Pulchra quæstio.* Sed qva de causa accidit, ut amata mulier longè pulchrior amanti, qvàm cæteris videatur? & contra vir amatus amanti mulieri? Hoc qvidem propter ideam illam atq; formam amatæ rei, qvam semper animo versat amans, accidere necesse est. Longe enim pulchriores animo formas accipimus, qvam qvæ oculis subiiciuntur; itaqve tantum ea cogitatione, qva sibi formam absentis amicæ repræsentat, incenditur ut omnino talem etiam revera esse, qvalem animo concipit, existimet. *Cur alius alterius amore turbatur, quod vel nunquam viderit.* Potest etiam in causa esse temperamentorum corporis, atqve humorum varietas, ut nonnulli fœminæ alicujus amore capiantur, qvam tamen alii deformem existiment. Sic Plato Archeanasses Colophoniæ pulchritudinem præcellere omnibus existimabat: sic Aristoteles Herpillidem amicam suam cæteris omnibus, tanqvam omnium pulcherrimam, anteponebat. Hoc est, qvod Horatius Sermonum libro primo scribit:

Illuc pervertamur, amatorem quod amicæ
Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipsa hæc
Delectant, veluti Balbinum Polypus Agnæ.

Cur amor cæcus. Hinc est, qvòd qvidam cæcum Amorem esse dicunt: qvoniam amantes recto judicio plerumqve privare solet. Magna sanè atq; obscura qvæstio est, qva

qva ratione aut causa fieri possit, ut homines ab amore tantum immutentur, ut non amplius iidem esse videantur? Nostri omnino Theologi censent, pravorum Dæmonum maleficiis freqventer accidere, ut qvis amore turpi capiatur. Nam sæpenumerò videre licet, non adolescentes tantùm ætatis fervore concitatos; sed etiam profectioris ætatis viros, licet uxores castissimas & formâ præstantes habeant; ita meretricis alicujus petulantissimæ amore detineri, ut ob ejus consuetudinem non tantùm uxorem, sed rei familiaris & filiorum curam negligant. Ab hac autem Theologorum sententia non admodum discrepat Porphyrius : qvi spiritus qvosdam incorporeos ab ejusmodi hominibus attrahi, atqve hauriri censuit, à qvibus ad amores tam turpes impellantur. Nonnulli Genios in causa esse voluere. Sunt etiam, qvi siderum atqve astrorum potestati furorem hunc acceptum ferant. Sed qvis Genius, ut qvæ astra possunt expertia rationis animalia ad homines amandos impellere. Tradit enim Theophrastus in Amatorio suo ; puerum qvendam Olenium, Amphilocum nomine, non mediocriter ab ansere fuisse dilectum. Nicander etiam author est : Nicomedis Bithyniæ regis filium, qvi secundus diceretur, gallinaceo gallo in deliciis fuisse. Qvid, qvod Clearchus Peripateticus tantum pavonis amorem in puellam Leucadiam fuisse memoriæ prodidit, puellâ mortuâ non amplius vivere voluerit, sed ejus desiderio vita excesserit? Qvot exempla delphinorum à Plinio memorantur, qvi puerorum amore capti sint? Sed horum amorum nihil aliud certè

qvàm

Cur amor hominesq; infantes faciat? Theologi causam tras ferunt ingenios.

Porphyrii suffragium.

Astrologi in sidera.

Bruta delicia hominem

Φαντασία. qvàm imaginationem qvandam in causa crediderim, qvæ non homo tantum, sed cæteræ etiam animantes, teste Aristotele, præstant. Capiuntur autem homines amore, objecta qvidem totius corporis pulchritudine; sed tamen propter faciei splendorem maximè: qva in parte magis etiam oculos, qvam reliqva, spectant. Nam ut Aristoteles Ethicorum lib. 9. scribit: Amantibus ipse aspectus charissimus est, iiqve sensum hunc præ cæteris expetunt: qvod ex eo potissimùm amor nascatur. Sed idem Aristoteles à pudore homines in amoris retia impelli subindicat, cum amatores nihil magis in amato corpore, qvam oculos respicere affirmet, in qvibus habitate τὴν αἰδῶ, hoc est, pudorem vult. Et fuit per antiqva opinio: Pulchritudinem aut pudori inesse, aut ipsum esse pudorem. Unde maximè tunc incendi amatores Poëtæ fingunt, cùm amatas virgines pudore suffundi viderint: qvod de Lavinia & Turno scribit in duodecimo Virgilius his versibus:

qvantum possit.

Objectum amoris facies pulchrid. Idem oculi.

Amor pudibundus.

Accepit vocem lachrymis Lavinia matris.
Flagranses perfusa genas cui plurimus ignem.
Subjecit rubor, & calefacta per ora cucrrrit.
Indum sangvineo veluti viola verit ostro
Si qvis ebur; vel mixta rubent ubi lilia multa.
Alba rosa: tales virgo dabat ore colores.
Illum turbat amor figitq; in virgine vultus.
Ardet in arma magis.

Sed etiam Anacreon Tejus virginalem aspectum in puero suo celebrat his verbis: ὦ παῖ παρθένιον βλέπον. Ad qvod allusisse videtur Phrenicus in Troilo, cum dixit: Amoris lumen in purpure splende

ſplendere genis. Pindarus autem faciei ſplendorem celebrat in Theoxeno Tenedio: cujus hæc ſunt verba: Ἀκτῖνας πϱοσώπε μαϱμαϱιζοίσας. Verùm non tantùm apta membrorum compoſitione; ſed etiam animi qvalitatibus, qvæ cum aliqvâ gratia atqve venuſtate in corporis actionibus ſplendent, amatores capi non dubium eſt. Sed qva ratione fieri poſſit, ut qvis ab Amore liberetur, varia præcepta dari ſolent. Nam Ovidius, cum artem amandi tradidiſſet, etiam ejus remedia verſibus mandare conatus eſt. Galenus autem Medicus eximius, & Avicenna, cùm Amorem putent vehementem eſſe animi morbum, propterea curandum eſſe corpus præceperunt: & de curandi ratione non pauca præcepta tradiderunt. Cicero Tuſculanarum libro qvarto de Amatore loqvens: Sic (inqvit) affecto hæc adhibenda curatio eſt: ut & illud qvod cupiat, oſtendat, qvàm leve, qvam contemnendum, qvam nihil ſit omnino qvam facilè aliunde, vel alio modo perfici, vel omnino negligi poſſit. Adducendus eſt etiam nonnunqvam ad alia ſtudia, ſolicitudines, curas, negocia. Loci deniqve mutatione, tanqvam ægroti non convaleſcentes, ſæpè curandus eſt. Etiam novo qvodam amore veterem amorem, tanqvam clavum clavo, ejiciendum putant. Maximè autem admonendus, qvantus ſit furor Amoris: omnibus enim ex animi perturbationibus eſt profectò nulla vehementior. Alii cauſas illas præcidere jubent, qvibus in amoris laqveos homines incidere plerumqve ſolent, ut comparationes & convivia. Nam (ut ait Comicus) Sine Cerere & Baccho friget Venus. Ideo noſter ingenioſiſſimus Poëta fingit, in convivio ſplendido

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

Tranſitio ad Remedia amoris.

Ovidii.

Galeni

Avicennæ.

Tullii.

Præcepta pro amore curando.

Illecebræ amoris.

do atqve regali, inter lusus & blanditias amore captam esse Didonem. Sic enim Venus Amori filio præcipit:

Ut cùm te gremio aceipiet lætissima Dido,
Regales inter mensas, laticemq; Lyæum:
Et dabit amplexus, atq; oscula dulcia figet:
Occultum inspires ignem, fallasq; veneno.

Ab exemplo Cyri Medela per Remotionem objectorum amabilium Alexandri Magni.

Vitanda est mulierum consuetudo: proponenda sunt exempla continentiæ: Ut Cyrus apud Xenophontem, cùm in Assyriorum præda dividenda, pulcherrima qvædam mulier, qvæ Susiorum regis uxor fuerat, sibi obtigisset, eam nec aspicere qvidem voluit, ne in aliqvam obscœnæ libidinis cupiditatem incideret. Et Alexander ille Macedo, cùm Darii uxorem, qvæ formâ cæteras omnes Persicas mulieres antecelleret, ejusdemqve regis filias cepisset, eas honestissimè custodiri jussit. Et Africanus Scipio præstanti pulchritudine virginem Hispanam, cùm admodum ipse juvenis esset: sponso suo tamen intactam illibatamqve restituit. Plurimum igitur prodest Virtutis Amor, atq; animi propositum, ad insani Amoris stimulos avertendos. Sed nihil magis hunc furorem arcere potest, qvàm si qvis cogitet, qvæ inde mala proveniant. Nam, ut ait Eunucho Terentius:

Nocet empta dolore voluptas.

In Amore hæc omnia insunt vitia:
Injuriæ, suspiciones, inimicitiæ, indiciæ:
Bellum, pax rursum.

Certè amatores videre licet modò algere, modò æstuare, nunc spei plenos, nunc planè desperantes: deniqve præcipites in omne facinus: atqve illud Plautinum in ore habentes: Jactor, crucior, agitor, stimulór, versor in amoris tota mises. Tibullus sanè qvanta sit Amoris impatientia, qvantus dolor, his versibus ostendit:

O ego

O ego ne possem tales sentire dolores.
Qvàm mallem in gelidis montibus esse lapis.
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga qvam vasti tunderet unda maris!

Menander cum Amoris incommoda sensisset, clamare non dubitavit:

Φεῦ φεῦ βροτοῖς ἔρωτες ὡς κακὸν μέγα!

Heu qvàm magnum mortalibus malum Amores sunt! Qvis enim facilè numerare possit; qvod regna subversa qvot deletas urbes, qvot homines trucidatos, qvot familias exitio traditas, qvot bella, qvot cædes, qvot regiones ferro igniqve vastatas, insani hujus amoris causa; Scriptores & Græci & Latini memoriæ prodiderunt. Ut non illepidè Plautus dixisse videatur: Amorem primum apud homines carnificinam commentum fuisse. Poëtæ verò non alia de causa finxerunt homines in belluas à Circe commutari, nisi qvia capti amore, vim omnem rationis amittunt. Possunt autem Amatores scaro pisci non inconcinnè comparari, qvem præ cæteris omnibus piscibus, ajunt, libidine furere. Cum enim piscatores unam ex eo genere fœminam habere possunt, eam in insidiis collocant, & rete circumponunt: tunc scari ejus potiendæ fœminæ desiderio, qvasi æstro, qvodam perciti, ruunt, & alius alium prævertere contendit, ut prior amatâ fœminâ fruatur: qvô fit, ut eorum maxima multitudo parata in retia se involvat: atqve ita, qvemadmodum M. Antonius Philosophus & Imperator scribit, διδόασι δίκην ὁρμῆς ἀφροδισίου ταύτην οἱ σκάροι. Magnum etiam corpori detrimentum affert intempestiva Venus: unde illud Demosthenis dictum: Pœnitere tanti non emo;

Incommoda amoris insani. Exaggeratio per enumerationem, damnorum inde ortorum.

Collatio amatorum, cum pisce scaro.

Veneris damna. qvoniam Venerem ſemper dolor & pœnitentia ſeqvitur. Nam (ut ait Ariſtoteles in Problematis) Semen ab homine pro corporis proportione plurimum emittitur, & ab omni corporis parte: qvo fit ut totum corpus concutiatur. Hinc eſt qvod Abderites Sophiſta, Parvam qvandam epilepſiam coitum eſſe cenſuit. *Ex hipocratis teſtimonio;* Qvam qvidem ſententiam Gellius Hippocrati aſſcribit his verbis: Hippocrates autem, divina vir ſcientia, de coitu Venereo ita exiſtimabat: Partem eſſe qvandam morbi teterrimi, qvem noſtri Comitialem dixere. Nam ipſius verba hæc traduntur: *Τὴν συνουσίαν εἶναι μικρὰν ἐπιληψίαν.* *Celſi Medici, Hipocratis Latini.* Et Cornelius Celſus freqventi coitu corpus diſſolvi ſcribit. Avicenna longè minori detrimento ſangvinem per venarum ſectionem emitti; qvàm impeſtive ſemen fundi exiſtimat. Cogitandum eſt igitur, qvod ait Picus:

> *Ut ſemper multos Venus immoderata dolores*
> *Afferat, innumeras labes, morbosq́; neceemq́;,*
> *Et curvæ diem prætendat damna ſenectæ.*

Conſluſio cũ adhortatione ab inhoniſto & immodeſtõ amore. Qvamobrem hanc turpem Venerem atqve hunc furioſum Amorem relinqvere; & illum caſtum ac cœleſtem, qvi à virtutis & ſapientiæ pulchritudine ſplendoreqve proficiſcitur, ſeqvi decet; qvi alios omnes ex animo procul amores ejicit, & præſentia ſua magnam hilaritatem, & voluptatem affert incredibilem. Veri autem Amatoris ſigna ſunt: Ad *Adverſativa Veri amoris ipſius adjuncta.* amatam rem ſemper inclinare, de ea cogitare, loqvi, ſcribere, ſomniare. *Neq; enim* (inqvit Virgilius) *patrius conſiſtere mentem Paſſus amor.* Et alibi: *Qvi amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt.* Satis enim conſtat, intenſum amorem etiam dormientes ſuis imagini-

imaginibus aut oblectare, aut etiam contristare. Qvod multò ante Virgilium Smyrnæus Bion vidit, qvi in suis Bucolicis ita de Amore cecinit:

Ἆ μεγάλα μοὶ Κύπρις ἔθ᾽ ὑπνώοντι παρέστα.

Aristoteles in Rhetoricis ad Theodecten scribit: Veros amatores de re amata etiam cum cum gaudio somniare; & propter perpetuam ejus memoriam, qvamvis absit, tamen qvasi præsente lætari: qvin etiam ἐν τοῖς πένθεσι καὶ θρήνοις, hoc est, in luctibus & lamentationibus qvandam tamen amatæ rei recordatione suboriri voluptatem, qvam oculis animi, tanqvam præsentem, intuentur. Itaqve summus hic Poëta noster, Sicut omnes animi affectus; ita ingeniosissimè vim Amoris explicans, ita de amante Didone scribit: Illum absens absentem auditqve videtqve. Qvæ res effecit, ut etiam in dolore gratus sit amor: unde apud Poëtas Dulcem amariciem freqventer invenies, qvod uno verbo γλυκύπικρον Græci vocant. Catullus in qvodam Epigrammate ita de Venere scribit:

Etiam somniantes amant

Multa satis lusi: non est Dea nescia nostri,
Qvæ dulcem curis miscet amariciem.

Apud Plautum in Pseudolo qvidam adolescens de amicæ epistola sic ait: Dulce amarumqve unà nunc misces mihi. Qvod si aliqvam rei amatæ imaginem, aut si qvam prolem habere potuerint; tum verò sævos dolores aliqvantulum mitigare solent: atqve ideo Dido, cum abiturus esset Æneas, ita inqvit:

Fructus amoris casti.

Saltem si qva mibi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles: si qvis mibi parvulus aulæ

Luderet Æneas, qvi te tantum ore referret:
Non eqvidem omnino capta, aut deserta viderer.

Amor cum admiratione & laudatione conjunctus.

Ac sanè cùm qvis amare incipit, statim etiã incipit id, qvod amat, laudare: qvod cùm Poëta noster non ignoraret, amore captã Didonẽ statim facit, tanqvã Deum qvendam, suum Æneam admirari: (*Deorũ.*
Credo eqvidem (inqvit) *nec vana fides genus esse.*
Et qvemadmodum amans rem amatam maximè suspicit, & nihil non magnum atq; honorificum de ea sentit & loqvitur: ita nullo modo ferre potest, qvæ illi molesta esse cognoverit. Qvam intensi Amoris proprietatem Virgilio non incognitam fuisse, declarat illud, qvod in secundo libro de Chorœbo scribit. qvi cùm passim crinibus Cassandram amasiam suam à Græcis trahi videret:

Amatores veri non verentur adire pericula pro amasiis.

Non tulit hanc speciem furiata mente Chorœbus:
Et sese medium injecit moriturus in agmen.
Qvibus verbis ostenditur, Amantes non tantùm incommoda propter amatam rem pati paratos: sed etiam si ita accidat, mortem: qvod de Alceste Admeti uxore Poëtæ fabulantur: qvamvis hoc pro re certa in Platonis Convivio recitetur, & de Tyberio Gracchu loqvantur historiæ. Nihil autem durum, nihil asperum refugit amans; modò amata re potiatur: qvod in Ecloga decima sic ostendit Poëta.
Galle, qvid insanis? (inqvit) tua cura Lycoris
Perq; nives alium, perq; horrida saxa secuta est.

Ab exemplis sacris & profanis.

Qvin etiam nullam conditionem subire durissimæ servitutis recusant, ut id tandem, qvod concupiscunt, asseqvantur: sic Hercules servivit Omphalæ: sic Jacobum qvatuor decim annos ob Rachelis amorem Labano serviviſſe Sacræ Literæ testantur. Sed qvoniam plus satis jam fortassè philosophati sumus:

sumus hæc qværeconditiora videri possunt, relinqvamus: & videamus, qva de causa Virgilius Æneam suum, qvem tanqvam aliqvod insigne probitatis & sapientiæ exemplar nobis proponit, Amoris tamen laqveis irretitum fuisse velit. Atq; ut illas, qvæ verisimiles sunt, causas prætermittam, Æneam ideo se Didoni conjunxisse fingit, non qvia captus esset ejus amore, qvod nusqvam Poëta docet: sed qvia se hospitem egentem & vagum videret: ut ea ratione Didonis gratiam servaret: qvoniam (ut ait Cicero) Tempori cedere, hoc est, necessitati parere semper sapientis habitum. Qvis enim non intelligit; si Didonis, amore inflammatæ atq; furentis, congressum Æneas refugisset, fore, ut paulò pòst à Didone vel expelleretur, vel etiam aliqvid gravius pateretur? Notum enim erat Æneæ sapientissimo viro, Furens qvid fœmina possit: igitur illi voluit indulgere,

Transitio cū præteritione.

Cur Æneas amator?

Ratio.

1.

Sapientis & prudentis est tempori cedere aut servire.

Dum pelago sævit hyems; & aqvosus Orion,
Qvassatæq; rates, & non tractabile cœlum:

ut verno posteà tempore commodius posset in Italiam navigare. Potuit etiam illa gravis esse causa, qvæ Virgilium, ut amatorem Æneam fingeret, impulerit: qvoniam etiam Homerum, qvem unum æmulabatur, idem de Ulysse suo prudentissimo viro finxisse videbat: qvem scribit insula qvadam Calypsone diu detentum fuisse, donec Jovis imperio coacto fuit eum dimittere. Sed, ut ego qvidem arbitror, voluit hoc in libro, Poëta qvanta sit vis amoris, ostendere; qvi non fœminas tantum; sed etiam gravissimos viros plerumqve devinciat: ut id Æneas dicere posset:

2.

Ab exemplo Homeri in Ulysse.

3.

Ab humana imbecillitate

Omnia vincit Amor, & nos cedamus amori.

Cùm præsertim videret Poëta, duos summos

Homo sum, humani à me nihil alienum puto, per exempla.

illos Imperatores, qvos suis carminibus maximè illustrare cupiebat, Julium Cæsarem, & Octavium Augustum, amoris illecebris fuisse delinitos. Nam Julius Cæsar in Ægypto Cleopatræ amoribus indulsit: Octavius autem Augustus amore Liviæ Drusillæ tantoperè incensus est, ut eam (qvemadmodum scribit Suetonius) à matimonio Tyberii Neronis, & qvidem prægnantem abduxerit, dilexeritqve semper unicè, ac probarit perserveranter.

Qvod decuit reges, cur tibi turpe putes?

Ea verò maxima causa Virgilio fuit, ut Poëticæ Artis consuetudinem servaret. Nam apud Poëtas, non hominum tantùm; sed etiam Deorum amores celebrantur.

4. A Poëseos natura & more.

Theseus, qvi sapientissimus fingitur, duas sorores Phædram & Ariadnam, Minois Cretum regis filias abducit: Peleus Thetidis amore capitur: Hercules amore Dejaniræ flagrat: Agamemnon parenti, qvamvis Apollinis jussum intelligat, Chryseida reddere recusat: Achilles abductam Briseida, tanqvam puer, deplorat.

Fecerunt idē ante me alii.

Qvid Jasonem, Paridem, Menelaum, Orestem, Portesilaum, innumerabilemqve aliorum multitudinem referam?

Ab exemplo per præteritionem.

Ipse Jupiter modò Taurus fit, ut Europam rapiat: modò Cygnus cum Læda concumbit: modò aurum in Danaæ gremium fluit: modò Amphitryon in Alcmenæ complexibus Herculem generat. Pluto per vim Proserpinam rapit. Venus cum Marte, cum Vulcano, cum Anchisa deniqve conjugitur: Juno Zelotypia flagrat: Apollo Daphnes amore cruciatur.

Rejectio in re clara & plana.

Qvid plura? nullus apud Poëtas Deus est, nullus homo paulò celebrior, qvi non Amoris vinclis colla subdiderit.

Conclusio nihil absurdi esse, Æ-

Qvid igitur mirum, si Poëta noster Æneam virum amori indulgentem faciat: cùm hoc non à sapientissimis tantùm viris; sed à Deis etiam ipsis immortalibus fieri Poëtæ

omne

omnes consentiant? A qva sanè opinione neq; Historiæ, neqve Sacræ literæ discrepant. In Historiis enim habemus summos illos Philosophos, Socratem & Platonem, Aristotelem, laqveos amoris effugere non potuisse. Qvinetiam Socrates, cùm nihil omnino se scire profiteretur: artem tamen amandi se dedicisse fatebatur. Apud Romanos omnium sapientissimus Cato vincitur & expugnatur ab amore. Qvid M Antonius Philosophus & Imperator, qvanto Faustinæ amore incensus traditur? Multa prætereo consultò, ne nimis longa sumatur oratio. Jam verò in Sacris Literis non adolescentes tantùm; sed etiam gravissimi & sapientissimi homines amore capiuntur. Qvis Samsone fortior habitus est? tamen ab inimicis Philistæis in amatæ gremio sopitus comprehenditur, & catenis ferreis alligatur. Qvis post homines natos fuit unqvam, qvi pietate & religione Davidem regem superaret? qvem unum ipse Deus immortalis fassus est, in omnibus rebus sibi planè satis fecisse: tamen hic insano amore Bersabeæ captus non tantùm adulterium cum ea commisit; sed etiam viro ejus cædem crudeliter machinatus est. Age verò, qvis de summa Salomonis sapientia non audivit? ut nihil penitus esset in rerum natura, nihil in divinis mysteriis, qvod ille vir ignoraret: qvi tamen qvantoperè sit immutatus ab amore à vobis in Sacris Literis legi, qvàm à me commemorari, malo. Qvid ergo? dicet aliqvis: Hæccine tu probas? aut hoc modo laudes Amoris celebras? Ego verò tantum abest, ut probem; ut etiam maximè damnanda esse censeam. Sed hæc ideo commemoro: primùm ut Poëtam nostrum ostendam, non sine ratione suum Æneam finxisse, non nihil amori

neam fuisse amatorem.

Probatio per exempla profana.

Græcorum Romanorū Præteritio.

Exempla sacra.

1. Samsonis.

2.

3. Salomonis.

Non ad imitandum; sed fugiendum hæc proponuntur.

concessisset deinde ut doceam, qvàm difficile sit, nisi qvis diligentissimè caveat, in Amoris illecebras non incurrere, à qvo tot ac tales viri devincti fuerint. Verùm ea paratissima atqve expeditissima ratio fugiendi Amoris hujus est, ut eum alio amore (qvod ait Cicero) tanqvam clavum clavo trudamus, & Venereum amorem Musarum amore propellamus. Solæ enim Musæ vincula & laqveos Amoris non exhorrescunt: qvod elegantissimo qvodam Epigrammate Græco satis indicatur: in qvo Poëta fingit, Musis Venerem fuisse minitatam, nisi Nomen suum colerent, se in illas Cupidinem filium suum armaturam. Musas autem respondisse; posse eam Marti nugas illas intentare; se verò prorsus ab Amoris jaculis tutas esse. Carmen autem illud qvidam Musici Poëtæ, qvidam Platonis esse volunt: qvod in hoc modum conscriptum est:

Repetita remedia amoris.

Studium & industria vincit amorem.

Ἁ Κύπρις Μούσαισι· Κοράσια, τὰν Ἀφροδίταν
Τιμᾶτ', ἢ τὸν Ἔρων ὔμμιν ἐφοπλίσομαι.
Χ' αἱ Μοῦσαι ποτὶ Κύπριν· Ἄρει τὰ στωμύλα ταῦτα·
Ἡμῖν δ' οὐ πέταται τοῦτο τὸ παιδάριον.

Cedit amor rebus. Res age, tutus eris.

Qvæ qvamvis ea venustate reddi Latinè vix possunt, qva Græcè scripta sunt: ea tamen nos olim sic in Latinum sermonem convertimus:

Alma Venus Musis: Venerem observate puellæ;
Aut in vos stringet spicula noster Amor.
At Veneri Musæ: Verba ista procacia Marti:
In nos nil juris iste Puellus habet.

Habemus

Habemus igitur paratum antidotum, qvo flagitiosi Amoris zela vitare facilè possimus: nos virgineus Musarum chòrus in clientelam suam admiserit,

DE MUSICA, ORATIO XXIII.

Demonstrativũ genus hanc sibi vendicat. Qvia occupatus versatur Rhetor in laudibus Musicæ nunqvam sat ab ullo decantatis: Cùm vero & tacitè juventutem ad illius exercitium ob summam voluptatem & jucunditatem animo inde conciliandum instiget; sanè & aliqvid admisti habet de genere deliberativo, ut ex argumentis & locis inventionis ceu notis ad marginem allatis videre cuiq; haud obscurè licebit.

CUM aliqvandiu mecum ipse tacitus animo volutassem, Auditores, qvonam apud vos, in hoc hujus anni Professionis nostræ principio, dicendi genere potissimùm uterer, qvod & animos vestros exhilarare, & ad bonarum artium studia vehementiùs incitare posset: suavissimis ac dulcissimis Q. Horatii Flacci cantibus, qvos interpretari vobis hoc anno decrevimus, tandem admonitus, de cœlesti illa, ac verè divina scientia, qvam Græco nomine Musicam vocamus, cujus magna qvædam atqve ampla pars est Poëtica facultas, verba facere; atqve ejusdem laudes, vires, commoda; qvæ penè

Exordium à deliberatione in argumento dubio

Propositio.

sunt innummerabilia, qvoad per me fieri poterit, explicare constitui. Neqve enim ex tot, tamq; variis ac multiplicibus artibus, qvæ vel ab hominibus excogitatæ, vel Dei beneficio sunt nobis traditæ, ulla tam humanitatis est propria; nec qvæ faciliùs animum nostrum regere, mores immutare, mentem ad sese rapere, & qvibusdam qvasi vinculis constrictam atqve alligatam retinere valeat. Hæc illa est scientia, qvæ dono qvodam providentiæ data est humano generi. qvò se ex tantis miseriis, laboribus, & calamitatibus aliqvo modo recreet atq; reficiat. Neqve enim tam graves & acerbos casus, tam turbulentas vitæ tempestates, tot tristia fortunæ vulnera ullo modo pati natura humana diutius posset: nisi molliores interdum & delicatiores cantus adhiberet. Nec verò qvicqvam in vita jucundum aut dulce videretur, nulla qvies, nulla animi remissio, nullum naturæ blandimentum, nullum suave solatium, hac arte sublata, reperiretur. Hæc omnibus & studiis, & sexibus, & ætatibus opportuna atqve accommodata est: hac infantes in cunis adhuc vagientes oblectati, nutricum dulci murmure sopiuntur; hac pueri cum æqvalibus cantillantes freqventer utuntur; hac juvenes, atqve ætate florentes maximè capiuntur; hac senes, reliqvis jam defervescentibus voluptatibus, naturæ dulci qvodam instinctu delectantur, Nulla deniqve natio est, nulla gens, nullus ordo, qvi non artificiosa canendi ratione moveatur. Saxa & solitudines, ait Orator, voce respondent; bestiæ qvoqve immanes cantu flectuntur, atqve consistunt. Qva de causa sapientissimi Poëtæ fictis fabulis tradiderunt, ab Orpheo Linoqve cantoribus non tantum homines; sed etiam pecudes, feras, aves, sylvas, montes,

Ratio.

Musicæ encomicum & laus.

Comprobatio.

I.

Qvia Remedium crucis.

Musica & vinum exhilarant cor hominis.

Musica omnibus ætatibus apta.

Hyperbole.

montes, ſaxa, muta deniqve omnia cantu, fidibusq; fuiſſe commota: qvoniam nihil eſt penitus in omni rerum univerſitate, qvod ab Arte Muſica remotum, aut alienum eſſe videatur. Unde cœleſtes etiam globos, generalemqve totius Mundi animam qvadam harmonia conſtare Platonici crediderunt: neqve qvicqvam rectum, honeſtum, laudabile eſſe poſſe cenſuerunt, niſi qvod eſſet Arti Muſicæ congruens atqve conſentaneum. Qvare de tam eximia ſingulariqve ſcientia dum breviter aliqva diſſero, qvæſo vos, ſicuti facere inſtituiſtis, diligenter attendite. Primùm enim mihi videtur de origine atqve antiqvitate Muſicæ; deinde de formis ejus atqve partibus: tum de viribus atqve utilitate eſſe dicendum. Nam ea eſt hujus Artis tum antiqvitas, tum dignitas, ut Timagenes auctor ſit, Omnium in literis ſtudiorum antiqviſſimam extitiſſe Muſicam: & jam illis antiqvis temporibus in tanta veneratione tantoqve ſtudio fuerit, ut iidem Muſici, & Vates & Sapientes judicarentur. Sic Muſæus, qvi multum in hac arte præſtitit. & vivens Theologorum ſapientiſſimus habitus fuit, & poſt mortem in beatorum ſedes ac domicilia translatus putatur, de qvo ita Virgilius in ſexto:

Harmonia & concentus orbium cœleſtium.

Attentio.

Propoſitio cum partitione.

1. Ab origine & antiqvitate.

Autores Muſicæ.

1. Muſæus.

Muſæum ante omnes: medium nam plurima turba
Hunc habet, atq; humeris extantem ſuſpicit altis:

ſic Orpheus, qvi, cùm homines in agris paſſim, beſtiarum more, vagarentur, & ſibi victu ferino vitam propagarent, nec ratione animi qvicqvam; ſed pleraqve corporis viribus adminiſtrarent; Muſica qvadam ratione compulit in unum locum, & congregavit, atqve ex feris & immanibus mites eddidit & manſuetos: ſic Linus, qvi propter excellentem artis Muſicæ ſcientiam, Apollinis filius

2. Orpheus.

3. Linus.

habitus fuit: sic alii plurimi propè divinos honores ob hanc Artē consecuti. Fuit enim olim Musica cum divinarum rerum cognitione conjuncta. Cujus rei testes sunt clarissimi Poëtæ: apud qvos inter regalia convivia laudes Heroum ac Deorum ad citharā canebantur; & res altissimæ qvæstioneqve dignissimæ, cantibus inserebantur: ut apud Virgilium:

Musicæ dignitas & præstantia.

cithara crinitus Jopas
Personat aurata; docuit qvæ maximus Atlas,
Hic canit errantem Lunam, Solisq; calores;
Unde hominum genus, & pecudes; unde imber & (ignes.

Et in Sileno:

Namq; canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumq; animæq; marisq; fuissent.
Et liqvidi simul ignis: ut his exordia primis
Omnia, & ipse tener mundi concreverit Orbis.

Musicæ origo & inventio.

Qvæ verò artis tam egregiæ fuerit origo, variè traditur. Qvintilianus ab ipsa Natura putat, ad tolerandos faciliùs labores, velut muneri nobis esse traditam. Siqvidem (inqvit) & remiges cantus hortatur: nec solùm in iis operibus, in qvibus plurium conatur jucunda voce conspirat, sed etiam singulorum fatigatio, qvamlibet se rudi modulatione solatur. Qvis enim nescit aut qvis non ferè qvotidie audit, laborantes, atqve opus facientes agricolas, artifices, & mares, & fœminas in ipsis laboribus mediis aliqvo sese cantionis genere oblectantes? Qvam rem in Georgicis ita Virgilius exprimit:

Musica solatur labores.

Intereà longum cantu solata laborem,
Arguto conjunx percurrit pectine telas.

Et in Bucolicis:

Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras.

Cùm

Cùm enim hominem Natura nudum, & in nudam humo natali die ſtatim ad vagitus & ploratum abjiciat, nullumq; aliud ex tot animalibus ad lachrymas, & hoc protinus vitæ principio, generet, ut natus jaceat, manibus pedibusq; devinctis, flens, & à ſuppliciis vitam auſpicetur: voluit etiam eadem provida parens Natura ſolatium aliqvod tantis miſeriis invenire, Itaqve Muſica dulcedinis ſenſum etiam ipſis infantibus ingeneravit: qvò fit, ut nutricum nænlis, & variis modulationibus mirificè recreentur, & ceſſantes à vagitu jucundè ſopiantur. Eſt enim tam hominis propria, tamqve ſenſibus noſtris conjuncta Muſica, ut Plato cenſeat, Nihil facilius in teneras puerorum mentes ingredi, qvam varios canendi modos. Qvod apertis & manifeſtis indiciis facile qvivis intelligere poteſt. Qvàm plurimi enim pueri noſtra etiam tempeſtate reperiuntur, in omni parte Muſices eruditi atqve excellentes: cùm tamen in aliis artibus aut ſcientiis nullus omnino puer excellat. Neqve tantùm homines ipſi; ſed etiam beſtiæ, cantu Muſicaqve delectantur. Nam Plinius ait, Cervos fiſtularum ſono mulceri. Strabo tradit, Elephantos cantu plurimum oblectari. Pindarus teſtis eſt, Delphines citharæ ſono mira qvadam exultare læticia. Compertum eſt etiam uſu ipſo, Mulos tintinnabulorum ſonitu ſtrepituqve valde gaudere: qva de cauſa muliones, ut faciliùs in itinere ſarcinarum onera laboresqve tolerent, mulorum collo plurima ſuſpendere tintinnabula ſolent. Qvid in bello, nonnè tubarum clangore, & tympanorum pulſu non minus eqvi, qvàm milites animantur? Qvid avium ille tam varius, tamq; multiplex concentus in agris

Hominis miſeria vel ab incunabulis primis Muſicæ cantu delinitur.

Infantium deliciæ.

Exaggeratio, à brutis.

Delphin & mulus.

Eqvi in bello

Oſcines.

agris, nonnè declarat apertè, Musicam ipsis etiam avibus à natura datam & ingenitam? Nam luscinia (si Plinio credimus) cantum edit, perfecta Musicæ scientia modulatum: & tam parvulis in faucibus omnia concinuntur, qvæ tot exqvisitis summo ingenio, atqve industrio instrumentis ars hominum excogitavit. Non est autem mirum, si in rebus omnibus Musica plurimum valeat: cum totus hic mundus inferior, & omnia, qvæ in eo sunt, à cœlesti corpore pendeant, atqve ab eo vitam, ortum, & incrementum accipiant: præstantissimi verò philosophi subtilissima indagatione deprehenderint, totum mundum & globos præcipuè cœlestes, atqve ipsam mundi animam ab imortali Deo Musica ratione fuisse procreatam: atqve ideo magnum qvendam, & dulcem sonum impulsu & motu ipsorum orbium effici existimant, qvi acuta cum gravibus temperans, varies æqvabiliter concentus efficiat; qvem docti homines nervis imitati atqve cantibus aperuêre sibi reditum in cœlum. Et Græci qvidem, ut Eusebius testis est, Musicæ harmoniæ inventionem Dionysio attribuunt. Ipse verò Eusebius Zetum & Amphionem fratres, qvi Cadmi temporibus fuerunt, Musicæ repertores facit. Plinius etiam ab Amphione repertam Musicam scribit: de qvo sic Horatius?

Philomela

Ratio, cur omnis concentu Musico delectetur?

Ob harmoniam totius mundi.

Inventores Musicæ diversi.

Dictus & Amphion, Thebanæ conditor urbis
Saxo movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere, qvo vellet. Solinus Musicæ studium à Creta insula promanasse credidit, qvod ibi Idæi Dactyli crepitu ac tinnitu æris deprehenderunt, & in ordinem ac proportionem transtulerint. Polybius Arcadibus acceptam Musicam refert, qvi semper hujus artis studiosi fuerint; qvod etiam Virgi-

Arcades.

Virgilius in Bucolicis innuit, cùm ita ſcribit:

cantabitis Arcades, inqvit,
Montibus hæc veſtris, ſoli cantare periti
Arcades. Et alibi:
Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, & reſpondere parati.

Qvod ideò fortaſſè memoriæ traditū eſt. Qvia Pan, Deus Arcadiæ, fiſtulā inveniſſe perhibetur. Virgilius:

Pan pastorum Deus.

Pan Primus calamos cera conjungere plures
Inſtituit. Harmonias tamen vocum à Mercurio fuiſſe excogitatas, Diodorus Siculis primo libro auctor eſt: à qvo etiam lyrà ſive cithara fuiſſe inventa traditur: unde Horatius de Mercurio,

Te canam magni Jovis, & Deorum
Nuncium, curvæq; lyræ parentum.

Eam Apollini poſtea Mercurius dono dediſſe dicitur: qva ita ſe Apollo exercuit, ut optimus omnium citharœdus evaſerit; & Orpheum etiam filium ſuum, qvem dx Calliope Muſa ſuceperat, ita docuerit, ut non feras modò, ſed ſaxa etiam, ſylvaſqve cantus ſuavitate duxerit. Virgilius:

Threicius qvondam vates fide creditur canora
Moviſſe ſenſus acrium ferarum,
Atq; amnes tenuiſſe vagos.

Qvod figmentum Horatius in Arte Poëtica ſic interpretatur:

Sylveſtres homines ſacer interpreſq; Dnorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus
Dictus ab hac lenire tigres, rapidoſq; leones.

Joſephus de Judeorum Antiqvitatibus libro primo tradit, Jubalem, Lamechi filium, Muſicam artem primùm coluiſſe, & Pſalterium accitharam potiſſimum laudaſſe: qvod etiam in ſacris literis ſcri-

Jubal in ſacris, an Tubal, ab utroq; Jubila & tuba.

scriptum legimus. Itaqve veram hanc esse sententiam existimare debemus, ut ab Habræis ad Ægyptios, ab Ægyptiis ad Græcos Musica sicut etiam literæ cæteræq; artes ingenuæ, promanarit: qvam ita postea viri sapientes adamarunt, ut neminem satis eruditum putarint, qvi non artem Musicam percalleret. Sunt, qvi tria Musicæ dicunt fuisse principia: Mærorem, Voluptatem atq; Enthusiasmum, hoc est, divinum afflatum. Nam in mœrore Musicam adhiberi nostro qvoq; tempore videmus; ut in mortuorum exeqviis ac funeribus, qvæ Sacerdotum cantibus procurantur, qvæ qvidem consuetudo fuit antiqvissima, ut apud Ovidium:

Propagatio studii Musici.

Tres causæ procatarcticæ Musices.

1. Mœror.

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Qvamvis se dandæ potius tristitiæ qvam incitandæ causa, reperta esse Musica videatur: unde magnam secum afferre voluptatem consuevit, & tristes animos atqve afflictos mirabiliter recreare. Qvod ita perspicuum, ut nullius omnino probationis indigeat. Qvi verò divino sunt afflati Numine, ii plerunq; solent futura cantu prædicere, sicut apud Virgilium Sibylla, cum esset Æneæ vaticinatura: de qva ita Poëta scribit: *majorq; videri,*

2. Voluptas. Musica ad exeqvias.

3. Enthusiasmus aut ἔκστασις.

Nec mortale sonans, afflata est numine qvando
Jam propiore Dei.

Et alibi Anchises ita inqvit:

Sola mihi tales casus Cassandra canebat.

Sed jam de origine, atqve antiqvitate Musicæ satis diximus: Nunc de formis ejus, & partibus aliqva percurramus. Tres enim Musicæ species eruditi viri constituunt: Mundanam, Humanam, & qvæ instrumentis conficitur. Mundana Musica ea dicitur, qvæ ex cœli conversione, elementorum compage, & temporum varietate colligitur. Est enim in

Transitio ad secundam orationis partem.

Differentiæ 3. Musicæ.

in omnibus Mundi partibus convenientia qvædam & proportio musica qvæ, dum cœlestes globi moventur, suavissimos sonos efficit: qvamvis Aristoteles levibus qvibusdam argumentis antiqvam hanc Pythagoræ, Platonis, reliqvorumq; benè sentientium Philosophorum opinionem refellere conatus sit. Verum nostri etiam Theologi non tantum Platonicos, qvantum veritatem ipsam, & divina secuti Oracula, suavissimum in cœlo sonum, dum orbes assidua conversione voluuntur, perpetuò fieri confirmant. Neq; enim (ait Orator) silentio tanti motus incitari possunt: & natura fert, ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acutè sonent. Qvamobrem summus ille cœli stelliferi cursus, cujus conversio est concitatio, acuto & excitato movetur sono; gravissimo autem hic lunaris atqve infimus. Atqve hac de causa Dorilaus dixit: Mundum nihil aliud esse, qvam Musicum divinitatis instrumentum: qvia illi concordes in cœlo globi dulcissimos emittant sonos; qvos tamen aures nostræ multis de causis capere non possunt: sed cùm animus ex hoc tenebroso domicilio in illam clarissimam, atqve æternam domum commigrabit, cùm cœlestis illius harmoniæ mirifica dulcedine perfruemur: qvemadmodum sempiternis soculorum ætatibus Spiritus illi divini, qvos Plato Sirenes, nostri Theologi Angelos vocant, ita fruuntur, & una cum motu cœlesti jubilantes canere: Deumq; rerũ omniũ parentẽ, celebrare non desistunt. Neq; aliud antiqvi Philosohi, novem Musas à Poëtis tantoperè celebratas esse voluerunt, qvam musicos octo globorum cœlestium sonitus, & unam omnium simul convenientiam, qvam orbas efficiunt. Unde Hesiodus in Theogonia

1. Mundana.

Concentus ex orbium cœlestium conversione. Unde heptachordon 7. plantis respondet.

Autoritas Dorilai.

Omnis Spiritus laudet Deum. Psal. 150.

Illustratio per collationem novem Musarum cum sphæris

Musam octavam, ab ipso cœlo deducto nomine Uraniam vocat: qvod sursum versus septem errantes stellæ primo nobis occurrant; cœlum vero stelliferum sit octavum: nonam autem Musam, qvam efficit sonorum omnium concors universitas, Calliopen appellat; ex nomine vocis dulcedinem volens indicare. Nam Apollinem Musarum Præsidem ideo dicunt esse, qvod Sol sit dux & princeps, & moderator luminum reliqvorum, mens mundi & temperatio: qvi medio in loco Planetarum constitutus, lumine suo moderatur. Ac hac persuasione, fideqve, qvod cum suavissimo sonitu cœlum moveatur, fluxit ea consuetudo (sicut ait Macrobius) ut soni musici sacrificiis adhibeantur, atqve ut mortui ad sepulturam cum cantibus efferantur. Persuasum enim pleriqve habent, proborum hominum animos post mortem ad originem musicæ dulcedinis, hoc est, ad cœlum reverti, & ibi perpetua frui beatitudine. Qvin ideo in hac vitâ musicis sonis animum oblectari sapientiores existimant, qvòd è cœlo veniens, in corpus hoc ejus Musicæ qvandam memoriam deferat, qvam ante jam in cœlo degustârat. Nam homines omnes ita jucundis cantibus deliniuntur, ut nullum sit tam immite, tam asperum, tam efferatum pectus, qvod non oblectamentis hujus scientiæ capiatur, Neqve sanè mens nostra qvicqvam præstantius optare potest, qvam ut his corporeis vinculis absoluta, cœlestibus illis animis tandem associetur, ut cum eis sempiterna & ineffabili Musicæ suavitate perfruatur. Humana verò Musica vocatur ea, qva corpus hoc nostrum animæ sociatum est, qvaqve animæ partes inter se bene conveniunt & summæ rationi parent, ut & ea concordia virtutum

Applicatio.

Apollo inter Musas, qvod Sol inter planetas.

Ad sacrificia & exeqvias Musica adhibita.

Ratio.

Musica cœlitus delapsa; aut demissa.

Transitio ad 2. id est, Humana, qvæ est consortium animæ & corporis.

tum omnium pulcherrimus qvasi concentus efficiatur, Nam animam nostram, non aliter atqve illam generalem totius mundi animam, ex harmonicis numeris constare, sapientes viri tradiderunt; unde Homo parvus mundus appellatur. Sicut igitur totum cœlum musica ratione perfectum est: ita etiam totus homo. Atqve hæc qvipem causa est, cur plato atqve Aristoxenus ex iisdem numeris, qvibus omnis harmonia contexitur, animam etiam nostram esse conflatam velint. Qvin etiam certa numerorum ratione corporibus animas conjungi putant: qvi numeri dum supersunt & ordinem ac proportionem musicam servant, corpus vivere perseverat: cum autem deficiunt, confestim arcana vis solvitur, qva societas ipsa constabat: & hoc est, qvod Fatum (ut ait Macrobius) & fatalia vitæ tempora nominant. Neqve tantum anima corpori Musicis harmoniis copulatur: sed etiam elementa, qvibus corpora constant inter se non sine musica ratione commiscentur. Unde Hierophilus Medicus venarum atqve arteriarum pulsus per musicus rhythmos moveri credidit. Hæc est igitur humana musica, ex qva tum anima ipsa conflatur; tum animæ partes inter se conveniunt; tum ipsi corpori anima copulatur; tum deniqve elementorum diversæ qvalitates in humano corpore connectuntur, & bene socientur. Socrates tamen humanam Musicam in voce, atqve oratione constituisse videtur: sed Aristoxenus & in voce & in corporis motu Theophrastus non tantùm in his; sed etiam animi commotionibus humanam Musicam collocavit. Qvamobrem rectissimè colligi potest, eum, qvi concinnè atqve aptè vocem, corpus & animum moveat, humanæ Musicæ peritum esse;

Homo micro cosmus.

Sonitus est συμμετρία & ἁρμονία.

1. Elementorum.

Socratis sententia de Musica humana

Transitio ad tertiam speciem, id est, Musicam Vocalem & Instrumentalem.

qvamvis nullam canendi rationem aut artem teneat. Canendi enim ars atqve ratio ad tertiam Musicæ speciem pertinet: de qva jam tempus est, ut aliqva dicamus. Est igitur Tertia Musicæ species ea, qvæ instrumentis, ex hominis ingenio atq; industria conficitur. Instrumenta vero Musica, vel naturalia sunt, vel artificiosa. Naturalia dicimus instrumenta, qvibus vox humana svavi qvadam harmoniâ regitur, & per artem Musicam dulci modulatione conformatur: ut pulmones, guttur, lingua, palatum, dentes & labra: qvæ, si bene conveniant, & naturæ dono claram atqve svavem vocem efficiant; ars ipsa deinde naturam adjuvans, perfectum facilè Musicum reddit. Hanc autem nonnulli Musicam Harmonicam vocant, qvæ vocem regit, & numerum habet, & certam soni per tempora dimensionem. Qvare tria potissimum in se continet; Verba, Numeros atq; Ictus. Huic vicina atqve finitima est ea, qvæ certâ pedum ratione conficitur, & metris constant: unde Metrica Musica nominatur, & freqventiori nomine Poetica: qvam Poetæ, doctorum genus antiqvissimum, ut putat Cicero, profitentur. Qvæ qvidem Musicæ pars (ut initio diximus) longe lateqve patet, & varia atqve multiplicia carminum genera, plurimas scientias, atqve artes una complectitur, ut nemo possit omni laude cumulatus esse Poeta, qvi non omnium maximarum rerum cognitionem fuerit assecutus. Qvòd autem Poetica Musicæ arti, tanqvam pars qvædam, subjiciatur, licet nemini ferè sit incognitum; tamen etiam ex eo facilè potest intelligi qvod ipsi Poetæ canere se profitentur, & Comici, Tragici, Lyrici Musicam artem exercere dicuntur. Qvin Socrates, cùm in somnis

Organa Musica qvotuplicia, Naturalia.

Musica Harmonica qvot constet? Cui affinis Poetica.

Comprobatio, poeticam Musicæ q. subalternari

Ab exemplo Socratis

ab Apolline fuisset admonitus, ut Musicæ operam daret, carmina pangere, versusqve facere aggressus est. Præterea Musarum aves à Græcis Poëtæ vocantur, qvibus ipsæ Musæ dicuntur præsidere; itaqve freqventer eas in *Poëmatibus* suis invocant, & omnem eis scientiam acceptam ferunt. Is verò, qvi sine magno labore versus laudabiles facit, apertas Musarum januas habere prædicatur: ut penè soli Poetæ verè Musici possint appellari. Sed de Arte Poetica seorsum alibi plura diximus. Nunc ad propositum redeamus. Jam enim docuimus, qvæ naturalia sint Musicæ artis instrumenta: nunc videndum est, qvæ sint artificiosa. Qvæ qvamvis penè innumerabilia sint: tamen una notione omnia percipi, atqve comprehendi possunt. Qvæcunqve enim vel tactu, vel pulsu, vel flatu modulatum & artificiosum concentum efficiunt, ea Musica instrumenta nominantur: qvalis est cithara, psalterium, organum, tibia, cæteraqve ejus generis plurima: qvibus in singulis excellere permagnum est; rarissimi autem in pluribus excellunt, nulli in omnibus. Sunt enim, qvi fidibus egregiè sciunt, & tamen aut nablia tangere, aut tibiam inflare nesciant. Sed antiqvis temporibus præ cæteris omnibus musicis instumentis Citharam, qvæ eadem lyra dicebatur, in maximo honore ac precio fuisse notavimus: ut citharœdi cæteris artificibus musicis longè antecellerent: qvo factum est jam tritum vetustate proverbium: Aulœdus sit, qvi citharœdus esse non potest. Qvatuor autem tantum chordas initio Cithara dicitur habuisse, qvas Mercurius excogitavit: deinde Chorœbus Lydorum rex qvintam addidit; Hyagnis Phrygius sextam, septi-

A Musarum suffragio.

Musæ Poetarum numina.

Reversio.

Artificiosa organa Musica qvæ?

Triplicia.

Enumeratio per species.

Citharæ dignitas & prærogativa.

Qvot chordis cithara primò constiterit.

Inventor.

mam Terpander Lesbios, septem errantium stellarum numerum & similitudinem secutus, qvæ septem distinctos intervallis sonos efficere motu perpetuo dicuntur: unde vocum etiam septem discrimina Musici notavere: de qvibus Virgilius Orpheum celebrans:

Heptachordon.

Nec non Threicius longa cum veste Sacerdos,
Obloqvitur numeris septem discrimina vocum,
Jamq; eadem digitis, jam pectine pulsat eburno,

Et in Bucolicis ita pastor ille gloriatur:

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula Damœtas dono mihi qvam dedit olim.

Octava postea citharæ chordam Simonides addidit: ut Plinius auctor est: nonam Timotheus; qvia novem esse Musæ perhibentur. Tria sunt igitur Musicorum Artificum genera; qvæ maximam & honestissimam animis nostris oblectationem afferre solent. Unum eorum, qvi voces & numeros observant & modulationes suas cantusqve assa voce concinunt. Alterum eorum, qvi Poëtæ vocantur, & pangendis carminibus studium & operam impendunt. Tertium eorum, qvi musicis instrumentis tangendis aut inflandis, aut pulsandis, artem suam ostendunt. Illud etiam observatione dignum est: apud veteres Cantionum genera nomen a gentibus ducere solita. Nam aliqvi cantus Phrygii dicebantur, aliqvi Dorii, aliqvi Lydii, aliqvi Æolii, Qvæ qvatuor genera priscis illis temporibus præcipuè viguerunt. Phrygius cantus partim ad oblectationem animi, partim ad pugnas excitandas adhiberi consveverat: qvi cùm acrius intenderetur, qvasi furore qvodam ad prælium animos inflammabat. Dorius ad honestatem castitatemqve præcipuè animum componere putabatur

Repetitio triplicis Musicæ. 1. Vocalis. 2. Instrumentalis: Poëtica seu rythmica. Cantionum nomina unde? 1. Phrygius. 2. Dorius.

Lydius

Lydius intelligentiam acuere, & à terrenis rebus ad cœleftes ac divinas cogitationem extollere. Æolius animi perturbationes fedare fomnumqve jam pacatis attribuere perfvafum erat. In feriis autem rebus Dorium cantum adhibebant: in jocofis verò Phrygium. Itaqve cum lætius ac jucundius aliqvid vel dicendum, vel optandum effet? à Dorio dicebant, ad prygium. Atqve hæc de Muficæ partibus dicta fufficiant Nam omnia diligenter perfeqvi ficut ii folent, qvi de ipfa Mufica fcribunt, noftri non inftituti Reliqvum eft, ut aliqva de viribus & utilitate Muficæ dicere aggrediamur Qvod cum fecero, perorabo. Maximas effe vires in hac arte, declarat illud, qvòd præftantes Mufici qvoties libet, animos hominum audientium vel in perturbationes varias impellunt, vel ad tranqvillitatem revocent. Nam Timotheus in arte Mufica celeberrimus, cùm in convivio Phrygium cantum incepiffet, ufqve eo regem Alexandrum incitavit, ut ftatim ad arma capienda profiliret: atqve eundem, iterum mutata modulatione, reduxit in convivium. Pythagoras ebrium ac furentem adolefcentem cantu mitiorem, & fui compotem reddidit Qvid Empedocles, nonne tutum & incolumem ab inimicis hofpitem fuum Muficæ artis præfidio fervavit? Jam verò Terpander & Arion Muficis cantionibus cives fuos à graviff. morbis eripuerunt. Xenocratis modis Organicis lymphaticos curabat. Thales Cretenfis citharæ fvavitate morbos & peftilentiam fugabat. Afclepiades Medicus phreneticorum mentes per fymphoniam fanitati reftituebat. Ifmenias Thebanus multos ex Bœotiis, qvi doloris ifchiadici tormentis vexabantur, ab eo morbo cantu liberavit. Tantam

3. Lydius. 4. Æolius. Singularum vires & affectus. Conclufio prioris partis. Tranfitio ad alteram id eft vim & utilitatem Muficæ. Probatio ab effectu per exempla. Timothei. Pythagoræ. Empedoclis. Terpandri. Xenocratis. Thaletis. Afclepiadis. Morbi Muficâ curantur.

2. Pro somno conciliando.

tam verò priscæ philosophiæ studiis dediti Musicæ Artis vim esse cognoverunt, ut Pythagorici, cùm vesperi cubitum ire statuerent: qvibusdam cantilenis uterentur, ut lenis & qvietus sibi somnus irreperet: eadem ratione matutino tempore surgentes è lecto somni stuporem mentisqve caliginem aliis cantibus ejiciebant. Plato libro leguum septimo Musicam omne genus Deorum opus arbitratur. Apud Homerum Ulysses eam demum vivendi rationem optimam esse vult, cum lætis hominibus,

Pro exhilarando convivas.

Convivas aliqvis cantu demulcet amœno
Ordine dispositos. Qvippe vitæ degendæ ratio non tantum honesta esse debet (ut ait Aristoteles:) verùm etiam jucunda omnium consensu: qvandoqvidem in his duobus beata vita consistit. Musica verò sine dubitatione in iis rebus ponenda est, qvæ summam afferunt voluptatem, sive nuda sit, sive concentu conjungatur. Itaqve Musæus rem svavissimam Cantum ait esse mortalibus. Rectè igitur eam & in consvetudine, & congressibus & in vita adhibent homines, qvòd voluptatis sit effectrix. Ex qvo intelligi potest, eam pueris esse discendam. Nam qvæ res voluptatem sine detrimento afferunt, eæ non solùm cum fine congruunt; sed etiam ad qvietem pertinent. Hoc accedit, qvod Musica animi habitum rectè constituere potest: qvia nobis cum harmoniis ac numeris qvædam videtur esse cognatio: qvare multi sapientes tradunt, partim animum esse harmoniam, partim harmoniam habere. Illud autem permirum esse videtur, qvòd Plato qvarto de Republica libro tantam vim in Musica esse censet, ut musicis cantibus immutatis, mutari civitatum status existi-

Conclusio.

Musicam adolescentibus esse pernecessariam.

Ratio.

Ab usu.

Exaggeratio à Platonico sensu.

existimet. Qvo circa plures Græcorum civitates, (ut Martianus affirmat,) ad lyram leges decretaqve publica recitabant. Qvid multa? Tanto semper in honore ac precio, propter excellentem utilitatem. Musica fuit, ut nemo paulò doctior atqve ingeniosior unqvam fuerit, qvin ei plurimam operam impendere voluerit; & præstantes Musicos ita suspexerit, qvasi divinos qvosdam, & multùm supra se positos homines. Itaqve Socrates philosophorum sapientissimus, jam senex institui lyra non erubuit: dicens; Satius esse, præclaram artem serò, qvam nunqvam perdiscere. Plato civili viro non tantùm utilem; sed etiam necessariam Musicam credidit. Duces maximos & fidibus & tibiis recinisse traditum est, Achillem, Græcorum fortissimum, lyræ cantu mirifice delectari atqve recreari solitum memorant: qvam artem à Chirone magistro, sapientissimo viro, didicerat: qvem imitatus Alexander Magnus, citharæ sono freqventer maximas animi curas ejiciebat. Epaminondam, Græciæ principem, fidibus optimè cecinisse, testis est Cicero. Davidem regem sanctissimum, tantum cithara præstitisse, memoriæ propitum est, ut juvenis adhuc & penè puer Saulis regis atram bilem, & dæmoniacas vexationes artificioso cantu tranqvillaret. Lycurgus, durissimarum Lacedæmoniis legum auctor, Musices disciplinam probavit: & Thales Cretensis magno stipendio conductus est à Lacedæmoniis, ut pueros eorum Musicam edoceret. Qvin exercitus Lacedæmoniorum Musicis accendi solitos modis ad prælium, famâ traditur sicuti Romanæ legiones cornibus & tubis accendebantur: qvorum concentus qvantò erat vehementior; tantò Roma in bellis gloriæ

Præteritio.

Musicam per se esse laudabilem.

Ab autoritate Socratis.

Platonis.

Ab exemplo magnorum virorum.

Davidis regis Psaltis.

Lycurgi.

Thaletis.

ghoriæ cæteris præstabat. Jam verò Grammatica qvondam & Musica junctæ fuerunt. Nam ut (Qvintilianus ait) Archytas atqve Aristoxenus etiam subjactam Musicæ Grammaticam putaverunt: & apud antiqvos iidem erant utriusqve rei præceptores. Summam autem eruditionem Græci solam censebant in nervorum vocumqve cantibus: unde etiam ille mos, ut in conviviis post cœnam lyra circum ferretur; qvam cùm Themistocles recusaret, est habitus indoctior. Qvin etiam Romani veteres huic Arti plurimam operam impendebant. Majores enim natu in conviviis (ut Valerius Maximus scribit) ad tibias egregia superiorum opera, carmine comprehensa, pangebant, qvoad ea imitanda juventutem alacriorem redderent. Et tertio de Oratore Crassus inqvit: Qvorum illa summa vis carminibus est aptior & cantibus: non neglectæ, ut mihi videtur, à Numa rege doctissimo, majoribusqve nostris, ut epularum solennium fides, ac tibiæ. Saliorumqve versus indicant. Et de Legibus secundo Cicero sic ait: Honoratorum virorum laudes in concione memorantor: easqve etiam ad cantus, ac tibicinem proseqvantor. Qvia verò Musica semper divina qvædam res habita fuit: ideò jam inde à priscis illis temporibus perpetuò rebus sacris adhiberi solita est: ut nulla omnino sacrificia, nullæ supplicationes, nullæ solemniores preces sine cantu fierent. Nam hoc etiam à sanctissimo rege Davide præcipitur, ut psalterio cithara, tuba, tympano, fidibus, organo Deum laudemus. Et apud omnes ferè nationes Deorum laudes cantu Musicaqve celebrantur: nostraq; Religio passim in templis omnibus & vocibus & musicis instrumentis personat. Qvæ res profectò decla-

Grammatica harmonia cum Musica.

Exaggeratio à sacra dignitate.

Musica in sacris ædibus usurpata.

declarat, omnium genitum consensu Musicam artem præstantissimam & sanctissimam fuisse semper existimatam: & qvi ea non delectarentur, rudes & imperitos haberi solitos: ut etiam in Græcorum proverbio celebratum sit: Indoctos à Musis atqve Gratiis abesse. Vos igitur Viri Mediolanenses, omni studio, cura, diligentia providere debetis, ne tam infame proverbium in vos jactari meritò possit. Itaqve toto pectore, atq; omnibus (ut aiunt) ungviculis tam præstantem atqve eximiam artem amplecti etiam in hac disciplina plurimùm laborare debetis; & in ea præcipuè Musicæ parte, qvæ à divino qvodam afflatu seu furore proficiscitur, qvam Poeticam appellamus: in qva tum in animis oblectandis tum in moribus componendis, tum in celebrandis Heroum Deorumqve laudibus, potissimum excellunt; qvi qvoniam ad lyram carmina sua concinebant, Lyrici fuerunt appellati. Qvi licet plurimi fuisse memorentur: duo tamen omnium habentur præstantissimi apud Græcos Pindarus; apud nos Q. Horatius, qvi (sicut ait Qvintilianus) ferè solus Lyricorum Poetarum legi dignus est. Nam & insurgit (inqvit) aliqvando, & plenus est jucunditatis & gratiæ; & variis figuris & verbis felicissimè audax. Cumqve duo sint, qvæ Poetæ præstare debeant, hoc est, utilitas & voluptas: nemo sanè vel dicendi figuris, metrorumq; varietate jucundior Horatio, vel recondita doctrina crebrisqve sententiis utilior inveniri potest. Cujus nos Odas sic interpretari, qvoad facultas nostra feret, enitemur, ut tanti Poetæ summam scientiam rerumqve variarum cognitionem vobis luce clarius explicemus. Sed qvamvis Musica suavitas non suis illecebris ad se traxerit, & multa de præstantia sua

Apostrophe cum commonefactione ad Musices studium.

Et apprimè Poeticen.

Exemplo Pindari Græci.

Horatii Latini.

Correctio cum propositione deinceps exponendorum autorum.

nos dicere coegerit: non tamen ideo veterem Amicam nostram, cujus deliciis jam pridem innutriti sumus; & qvæ nos gremio suo, longo jam tempore, mira qvadam benevolentia detinet, omninò deserere volumus: ea verò est Dicendi ratio & Rhetorica doctrina Ciceronis: qvam (ut scitis) ego semper plurimum adamavi. Qvare cùm alias Oratorē ad Brutum interpretati fuerimus: tamen unâ cum Horatio, libros etiam illos de Oratore ad Q. Fratrem qvi totam dicendi viam & rationem, & elegantissimè & copiosissimè patefaciunt, interpretabimur: ut uno eodemq; tempore & Poetica mella, & Oratoriam dulcedinem non tantum degustare, sed etiam haurire pleno ore valeatis.

DE ARTE POETICA,

ORATIO XXIV.

Ejusdem farinæ cum præcedente, nisi mutato argumento. Qvod enim ibi contendit obtinere de Musica: hic allaborat de Poëtica, ad cujus studium, nisi qvis sponte feratur, næ Corydon ille & ἄμουσος est; nec hominis nomine dignus, aut Dei munere, qvi ipsi lingvam & vocem articulatam concessit: manus item præ aliis brutis dedit, ut & Instrumentali Musicæ operam haud contemnendam navare qveat.

Exordium à sui ipsius extenuatio.

SI Qvis est vestrū, Mediolanenses, qvi fortè censeat, aut me, cujus ingenium est per exiguum, aut qvenqvam alium qvi

qvi majore qvadã orationis ubertate copiaqve ſca-teat; qvanta ſit artis Poeticæ præſtantia, dicendo ſatis commodè explicare poſſe: is certè aut ſanctiſſimas Muſarum fores nunqvam penetraſſe, aut eloqventiæ plus facultatis anqve virium, qvàm ipſa veritas concedat, attribuere meritò judicandus eſt. Qvis enim totius humanæ vitæ magiſtram, benè beatèqve vivendi ſpeculum veritatis imaginem, omnis deniq; ſapientiæ fontem meritâ laude proſeqvatur? Ac mihi qvidem, Auditores, qvamvis impellente nemine, mea unius ſponte tantum, hujus Artis ornandæ, publicèqve docendæ provinciam ſuſceperim: tamen cùm in mentem venit, qvæ ſit ejus majeſtas, qvæ amplitudo, qvæ dignitas, ut non tantùm Arti Rhetoricæ qvam tres annos ſuperiores proximos ex hoc loco docuimus; verùm etiam cæteris omnibus artibus & ſcientiis antecellat: profectò videor humeris meis nimis magnum onus impoſuiſſe, qvod vix me ferre poſſe intelligo, niſi veſtrum iſtud incredibile audiendi ſtudium & humanitas erga me ſingularis illud aliqva ex parte ſublevet. Eſt n. ab ingenioſo Poeta veriſſimè dictum:

ne & ingenii modeſtia.

Ratio.

Occupatio.

Solutio.

Excuſatio,

cum conſolatione.

Excitat auditor ſtudium: laudataq; virtus
Creſcit: & immenſum gloria calcar habet:

ut nihil omnino reperiatur, qvod magis dicentem ac docentem adjuvare ſoleat, qvàm audientium favor, & approbatio. Qvare ſi qvis fortaſſe Deus veſtras ab aliis rebus omnibus mentes averterit, & ad me diligenter audiendum inclinaverit; qvamvis plenè, perfectèqve, (qvod nullo modo fieri poteſt) Poeticam artem exornare minimè valeam: tamen illud efficiam profectò, ut intelligatis, nullum hac Arte bonum unqvam optabilius, nullum præſtantius, neqve datum eſſe mortalium generi Deorum

Attentio;

cum attentione;

Propoſitio de Artis Poeticæ præſtantia.

rum concessu atqve munere neq; postea datum iri. Principio satis constat, id esse verissimum, qvod sapientissimi qviqve viri semper censuerunt: Nihil esse in homine, sagaci ac bona mente melius. Si igitur mentem qvæ pars est hominis præstantissima, longe perfectiorem & diviniorem ab Arte Poëtica, qvàm ab ulla alia disciplina, fieri solere docuerimus: nemini dubium esse poterit, qvin hæc ars omnium excellentissima sit, ac maximè divina. Qvid est autem qvod magis mentem nostram perficiat, qvàm rerum divinarum atqve humanarum cognitio? qvæ licet multis nominibus appelletur; tamen gravissimo nomine Sapientiæ dicitur: qvam eandem Poëticam, & Philosophiam eruditissimi viri nominarunt Maximus enim Tyrius auctor gravissimus, eleganti oratione probat: Sapientiam & Poëticam rem qvidem esse nomine duplicem; sed natura simplicem minimèqve re ipsa differentem. Qvod si qvis est (inqvit) qvi Poëticam à Sapientia differre putet: idem est, ac si qvis existimet diem aliud esse, qvàm Solis lucem terras illustrantem: aut cursum Solis supra terram aliud esse qvàm diem opinaretur. Hoc idem vir doctissimus Strabo, contra Eratosthenem scribens, qvi flagitiosè ausus fuerat. Poëticam nihil aliud esse dicere, qvàm anile deliramentum, multis rationibus & argumentis affirmat. Antiqvi verò (inqvit) primam qvandam philosophiam esse poëticam affirmarunt, qvæ nos ab ineunte ætate ad honestas vivendi rationes abducit; qvæ bonis moribus instruit; qvæ motus animi turbidos placat, ac regit; qvæ res gerendas summa cum jucunditate præcipit. Qvin veteres illi prudentissimi viri solos Poetas sapientes esse crediderunt: qvocirca Græco

Narratio per confirmationem Ab anima hominis, qvæ perficitur poësi.

I. Argumentũ à scientia.

Probatio per autoritatem Platonici Maximi Tyrii.

Sapientia & poesis eadem.

Scomma in poesin.

Adversativa.

Qvid poesis præstet.

Græcorum civitatem ab initio liberos ſuos Poëticam imprimis doceri voluerunt: non tantùm qvia maximam animis afferre voluptatem ſolet; qvàm ut ab ea caſti animi moderatione uti diſcerent. Nam Poëtæ, ut ſunt ita etiam ſe morum magiſtros & emendatores eſſe profitentur. Qva in ſententia non modò Pythagorici omnes; ſed etiam Ariſtoxenus Muſicus fuit. Et Homerus ipſe Poëtas appellat σωφρονιςὰς, qvod intemperantes homines ad temperantiam ſeducere ſoleant: qvalis ille Poëta fuit, qvem rex regum Agamemnon, cùm ad Trojanum bellum proficiſceretur, uxori ſuæ Clytemneſtræ cuſtodem appoſuit. Neqve ſanè Ægyſthus, adulter improbiſſimus, decipere Clytemneſtram potuit, priuſqvam (ut ait idem Homerus)

Et prodeſſe Solunt & delectare Poëta.

Ab Homeri ſuffragio.

Abductum Vatem deſerto in littore liqvit:
Ipſam deinde alacrem proprias perduxit in ædes.

Longè enim melius Poëtæ qvam ulli Philoſophi honeſtè vivendi viam ac rationem & morum præcepta tradiderunt Qvod ad Lollium ſcribens Horatius ſic atteſtatur:

Trojani belli ſcriptorem, maxime Lolli.
Dum tu delamas Romæ, Præneſte relegi:
Qvi, qvid ſit pulchrum, qvid turpe, qvid utile, qvid non,
Plenius ac melius Chryſippo & Crantore dicit.

Qvod autem Poëtica ſit eadem, qvæ Sapientia ſeu Philoſophia, innuit etiam Ariſtoteles, qvi doctiſſimos elegantiſſimos Platonis Dialogos, in qvibus maximæ qvæq; res, & divinæ, & humanæ tractantur, inter Poemata connummerat: qvod idem etiam Maximus Tyrius facit. Neqve tantùm de vita & moribus Poetæ philoſophantur: ſed etiam res occultas, atqve ab ipſa natura involutas ſcrutantur & expli-

A calculo Ariſtotelis.

Tranſitio. Poeta & Phyſicus eſt.

explicant: qvod satis ostendit Jopas ille Virgilianus: qvi in convivio Didonis arreptâ citharâ,

— canit errantem Lunam, Solisq; labores:
Unde hominum genus, & pecudes, unde imber & ignes;
Arcturum pluviasq; Hyadas: geminosq; Triones:
Qvid tantum Oceano properent se tingere Soles
Hyberni: vel qvæ tardis mora noctibus obstet.

Conclusio I. Argumenti Poeticam philosophiam esse.

Qvæ cùm ita sint: qvis dubitet, omnem mentis atqve animi nostri perfectionem â Poetica manare: cùm ab ea rerum omnium, & divinarum & humanarum, cognitio scientiaqve proficiscatur. Qvid, illud qvanti tandem estimandum est, poetæ, qvi primi virtute & consilio præstanti extiterunt, perspecto genere humanæ docilitatis (ut Orator ait) atqve ingenii, dissipatos homines unum in locum congregârunt, eosqve ex feritate illa qva prius utebantur, ad justitiam atqve mansvetudinem traduxerunt: tum res communem utilitatem continentes, qvas publicas appellamus; tum conventicula hominum, qvæ posteà civitates nominatæ sunt; tum domicilia conjuncta, qvas urbes dicimus, invento & divino & humano jure, mœnibus sepserunt? Qvot etiam Horatius ita canit:

Transitio ad secundum argumentum, ab utilitate.

fuit hæc sapientia qvondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis;
Concubitu prohibere vago; dare jura maritis;
Oppida moliri; leges incidere ligno.
Sic honor & nomen divinis Vatibus, atq;
Carminibus venit.

Collatio Rhetoricæ cum Poetica.

Qvod igitur M. Cicero primo de Inventione tribuit Eloqventiæ, qvinto verò Tusculanarum ad Philosophiam transfert; Id sine ulla dubitatione Poeticæ proprium est, qvæ omnium laudarum arti-

artium parens, & procreatrix ſemper fuit. Qvare longè veriùs de Poetica qvàm de Philoſophia qvæ poeticæ qvaſi qvædam filia eſt, idem poterat ita M. Tullius exclamare: O vitæ poetica dux! O virtutis indagatrix, expultrixqve vitiorum! qvid non modò nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu urbes peperiſti: tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti: tu eos inter ſe primò domiciliis, deinde conjugiis, tum literarum & vocum communione vinxiſti: tu inventrix legum, tu magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti. Hanc vero tantam laudem communis eruditorum conſenſus Orpheo, divino poetæ tribuit, de qvo ſtata Virgilius:

Exclamatio cum repetitione Eulogii poetices.

Sed placidus hominum dictis fera corda mitigavit:
Doctaqꝫ vitam voce temperavit:
Juſtitiam docuit: cœtu qvoqꝫ congregavit uno:
Moreſqꝫ agreſtes expolivit Orpheus.

Et qvoniam antiqvitas rebus præclaris majeſtatem qvandam afferre ſolet: Tantò enim præſtantiora qvæqve judicantur; qvantò antiqviora eſſe creduntur: videamur, qvæ poeticæ fuerit origo. Sic enim facilè qvivis intelligere poterit id, qvod volumus; Nullum eſſe Scriptorum genus poetis aut antiqvius, aut divinius. Marcus qvidem Cicero primo Tuſculanarum ait: Apud Græcos antiqviſſimum è doctis genus fuiſſe poetarum: ſiqvidem (inqvit) Homerus fuit & Heſiodus ante Romam conditam; Archilochus regnante Romulo. Sed tamen non ſatis his verbis Cicero, qvod nos qværimus, explicat. Illud qvidem certè ſatis conſtat multo ante fuiſſe poeticam, qvàm Oratio ſoluta reperta fuerit; qvod Euſtachius in Homerica Iliade, & primo Geographiæ Strabo teſtatur,

Tranſitio ad tertium argumentum ab origine & antiqvitate Poeſis.

Ubi floruerit Poeſis?

Poetica prior Rhetorica.

Cad-

Cadmum enim ajunt, & Pherecidem, & Hecatæum primus fuiſſe, qvi ſoluta oratione ſcribere, cœperint: atqve ita paulatim qvaſi à ſummo qvodam faſtigio delapſos fuiſſe ſcriptores à Poëtica ad Artem Oratoriam Plato qvidem tertio de legibus tam antiqvos eſſe Poëtas exiſtimat, ut eorum genus divinum eſſe dicat, & à Deis ortum, atqve etiam à Deis agi ſolitum: ſicut in Jone; Non arte, ſed afflatu divino fieri poëtas affirmat: atq; adjungit: Nihil aliud eſſe Poëtas qvàm Deorum interpretes. In Phædro præclarè Poëmata non eſſe, ait hominum inventa, ſed cæleſtis munera. Qvem imitatus M. Cicero, pro Archia Poeta ſic ait: Atqvi ſic à ſummis eruditiſſimiſqve hominibus accepimus; Cæterarum rerum ſtudia, & doctrina & præceptis, & arte conſtare: Poëtam naturra ipſa valere & mentis viribus excitari, & qvaſi divino qvodam ſpiritu inflammari. Qvare ſuo jure noſter ille Ennius ſanctos appellat Poëtas, qvòd qvaſi Deorùm aliqvo dono atqve munere commendati nobis eſſe videantur. Ante bellum Trojanum Poëtas qvoſdam fuiſſe pleriqve tradunt: Pauſanias Olenem qvendam primum Poëtam nominat. Marcus Cicero de Claris Oratoribus ita ſcribit: Nec dubitari debet, qvin fuerint ante Homerum Poëtæ, qvod ex eis carminibus intelligi poteſt, qvæ apud illum & in procorum epulis canuntur. Euſtathius in præfatione Iliadis. Muſæum & Syagrum Poëtas ante Homerum fuiſſe memorat. Carmen autem Heroicum ab Apolline profectum fuiſſe Plinius auctor eſt: qvod etiam Pauſanias & Plutarchus affirmant. Euſtathius Phœmonoen, Phœbi Sacerdotem, primum id genus carminis effudiſſe cenſet: qvod Vida Cremonenſis in Arte ſua Poëtica ſic expreſſit:

A Platonis teſtimonio; qvi è Deorū proſapia Poëtas oriundos autumat.

In Phædro.

A Ciceronis Pro Archia Poëta.

Poëtæ θεόπνευστοι.

Antiqvitas & prioritas Poëtarum ante Homerum.

Heroici carminis autor qvis?

Munere

Munere concessum Phœbi, venerabile: donum
Phœmonoes, qvæ prima dedit (si vera vetustas)
Ex adyto haud aliis numeris responsa per orbem.

Aristoteles Poesin ex imitatione primò natam fuisse censet: qvoniam imitandi studium sit ab ineunte ætate cunctis hominibus innatum, qva in re à belluis homo differat. Qvi igitur ad metrum natura proclives fuerunt, eos ait Poesin primò protulisse ex qvodam imperito rudiqve principio, atqve ex subita ac fortuita dictione. Sed deinceps ex hac imitandi ratione, qvasi in plura membra divisa Poesis, multas in species abiit: atqve ita Poetæ dicti sunt alii Comici, alii Tragici, alii Epici, alii Melici, alii Dithyrambici; alii alio nomine. Nam pro cujusqve natura & moribus, imitandi studium proferebatur. Honestiores enim Poetæ res egregias & præstantes, & laudabiles actiones sibi canendas proponebant: itaq; in Regum & Deorum conviviis virorum excellentium laudes, resqve præclarè gestas Heroicis carminibus concinebant, ut ad eas imitandas juvenes excitarentur, & alacriores redderentur. Qvi verò abjectiori essent animo, viles etiam & humiles actiones canere cœperunt, atqve hunc & illum irridere, salibusqve invadere: unde postea Comœdia atqve Satyra nata est. Nam initiò res tantùm eximias ac divinas Poetæ pertractabant: itaqve scribit Aristoteles, apud antiqvos eosdem fuisse Poetas & Theologos. Qvin Strabo neminem inter Poetas connummerari solitum tradit, qvi non idem etiam probus vir atqve integer esset: ut omnino verissimum esse appareat id, qvod Eusebius Pamphili memoriæ prodidit: apud Hebræos, omnium antiqvissimas gentes, Artem hanc poeti-

Divisio Poeseos ob metrorum diversitatem.

Objecta Poeseos.

1. Heroicum.

2. Vile & plebejum.

Poetæ Theologi & sacriq. sacerdotes.

Uti Sibyllæ.

Vetustas antiqvior Poetica in sacris.

cam primò inventam atqve excultam fuiſſe. Nam Joſepus etiam in Antiqvitatibus ſuis ſcribit: Moſem, illum magnum Hebræorum imperatorem atq; legislatorem, cùm ex Ægypto populum Hebræum in patriam duceret, atqve divino conſilio mare rubrum, undis ſua ſponte cedentibus, tranſgreſſus fuiſſet, hexametro carmine Deo gratias egiſſe. Teſtatur etiam Hieronymus, & Jobum illum patientiſſimum virum, & Davidem regem ſanctiſſimum, & Salamonem ſapientiæ clarum, & Eſaiam vaticinandi peritiſſimum, Poetas fuiſſe præclariſſimos, qvi omnia pulcherrimis carminibus opera ſua conſcripſerint. Qvid igitur hac arte antiqvius aut nobilius; per qvam jam inde ab initio divina myſteria literarum monumentis tradita ſunt? Nam & oracula Deorum immortalium verſibus edebantur, & Sibyllæ per carmina reſponſa dabant, &

Moſes Poeta ob hymnos DEO decantatos. David, Salomon, Eſaias, &c.

dictæ per carmina ſortes;

Poetarum exiſtimatio & autoritas veneranda.

ut ait Horatius. Qvare Poetarum nomen tam ſanctum ſemper habitum fuit, ut nulla unqvam illud barbaria violarit. Nam qvondam etiam apud Gallos, feros atqve agreſtes homines, tanti Poetæ fiebant, ut qvoties in populo ſeditiones aut prælia naſcerentur; Poetis intervenientibus, ſtatim ab armis diſcederent. Eis enim non parere, nefas eſſe judicabant, cùm afflatu divino tantum impelli cenſerent. Tribus autem potiſſimum ſignis Platonici probant Poeſin afflatum qvendam, & qvaſi inſaniam eſſe divinam. Primò, qvia cæteri homines nullam penitus artem percipere poſſunt, niſi præceptores habuerint, & multum ac diu in ea ſeſe exercuerint: præclari verò Poetæ, qvales fuerunt Orpheus, Homerus, Heſiodus, omnium omnino ſcien-

Probatio, qvòd Poeſis divinitùs inſtilletur.

I. A nulla præ-greſſa

ſcientiarum indicia plurima ſuis carminibus inferunt: per qvæ facilè docent ſe illas artes optimè callere, qvamvis nunqvam didicerint. Deinde, qvia nonnunqvam Poetæ repentino qvodam animi motu res eximias, & admiratione digniſſimas effundere ſolent: qvas poſteà, calore illo animi ſeſe paulatim remittente, vix ipſimet intelligunt; qvaſi non ipſi, ſed Deus aliqvis eorum ore locutus fuerit; qvemadmodum apud Virgilium Sibylla: de qva ſic ait:

Inſanam Vatem aſpicies, qvæ rupe ſub ima
Fata canit, foliiſq; notas & nomina mandat.

Ideo Democritus dicebat: Abſqve divino furore, nullum magnum Poetam fieri poſſe. Qvam ſententiam Ovidius ſecutus ſexto Faſtorum libro ita canere non dubitat:

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo:
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Poſtremò ſignum illud Poëticæ divinitatis haud minimum eſt, qvòd optimi Vates ab eorum nemine doctrina ſuperantur, qvi vel natura prudentiores eſſe videntur, vel longioribus magiſqve aſſiduis ſtudiis operam ingenuis artibus tribuerunt. Qvare, non ſine cauſa Plato in Cratylo naturæ nominum & proprietatis ſolos Poetas veros eſſe doctores cenſet: & qvamvis eſſet ipſe omnium doctiſſimus: tamen Sophronis Mimorum Poetæ uſqve eò ſtudioſus fuit, ut moriens libros ejus capiti ſubjectos habuerit. Et ſanè Plutarchus in Homeri vita, multis argumentis probat: Nullius Philoſophiæ partis Homerũ expertẽ fuiſſe: qvãvis poſt eũ & nata, & alia omnis Philoſophandi ratio eſſe videatur.

ſcientia; ſed cœlitus q. inſpirata, & per ſomnium in Parnaſſo aut Pindo.

2. *Ab effectu admirando id eſt carmine divino & eximio.*

3. *Natura non curâ fit poeta. A ſuffragio Platonis.*

Poeta πάνσοφος q. id eſt, omnimoda eruditionis

ab exemplo Virgilii & Horatii.

Qvam rem qvivis paulo prudentior, etiam in Virgilio & Horatio nostro videre facilè potest. Sic enim eleganter & eruditè scripserunt, nihil ut omnino videantur ignorasse: qvod non ab humano ingenio, neqve ab arte aliqva: sed ab animorum divina qvadam inflammatione (qvemadmodum Platonicis placere diximus) provenire judicandum est. Hac etiam de causa Poetarum sententiis (ut Fabius ait) non orationes modò sunt refertæ; sed libri etiam Philosophorum, qvi eis tanqvam Deorum testimoniis utuntur. Igitur optimè institutum est, ut sicut omnium rerum à Diis immortalibus principia ducuntur: ita Poetarum carminibus teneræ puerorum mentes ab infantia statim imbuantur. Scitum est enim id, qvod Epistolarum secundo libro scribit Horatius:

Conclusio Poësin pueros maximè decere.

Os tenerum pueri, balbumq́ Poëta figurat;
Torqvet ab obscœnis jam nunc sermonibus aurem:
Mox etiam pectus præceptis format amicis;
Asperitatis, & invidiæ corrector, & iræ.
Rectè facta refert orientia tempora notis
Instruit exemplis, inopem solatur & ægrum.

Transitio ad alium Poëseos usum.

Qvid, qvòd Plutarchus doctorum omnium approbatione censet, Omnis disciplinæ principium esse poeticam? Nemo sanè poterit ab alicujus rei exitum (qvod ait Fabius) nisi præcedentibus initiis pervenire: qvo fit, ut nisi qvis poeticam discat, is omnis disciplinæ semper ignarus haberi debeat: at verò qvi hac arte delectatur, is facilè deinde poterit ad aliarum disciplinarum fastigium ascendere. Verum est enim, qvod ait Sophocles.

Initia si bona cuiq́ des negotio,
Talem rei speres licebit exitum.

Neqv

Neqve verò sunt audiendi qvidam imperiti homines, qvi Poetas audent vituperare, qvasi bonis moribus efficientes: atqve in eo Platonem laudant, qvòd ex civitate Poetas eduxerit, qvam finxit ille, cum mores optimos, & optimum Reip. statum exqvireret. Illud enim primum omnino falsum est: cùm sanctissimas liceat ex optimis Poetis passim sententias colligere, qvæ honestè vivendi rationem edoceant: cumqve veri Poetæ (qvemadmodum superiùs demonstratum est) & boni viri sint, & vitæ magistri. Qvod divum illum Augustinum, Religionis nostræ columen; & sapientissimum virum non fugit; qvi apertè clamat, à Poetis se utilia multa didicisse: neqve Hieronymum, & Ambrosium, & alios plurimos, insignes præstanti sanctimonia viros, qvi maximo studio Poetarum scripta lectitarunt: qvod eorum Opera Poeticis referta verbis & sententiis apertissimè declarant. Qvòd autem è civitate sua Plato Poetas eduxerit: id qvidē nullum est contra illos argumentum, cum præsertim aliis in locis plurimis idem Plato prope divinis in cœlum laudibus eosdem efferat & mirandum in modum admiretur. Verùm qvemadmodum in ea civitate, ubi nullus omnino sit ægrotus: sed omnes bene valentes: & corpore bene constituto. nihil medicis opus est: ita Plato cùm omnium beatissimam & sapientissimam fingeret civitatem, ex ea Poetas eduxit, qvoniam ei civitati, qvæ jam optimum finem esset consecuta, nullis vitæ magistris, nullis institutionibus, nullis morum præceptis amplius opus esse videbatur, cùm per se contenta esset ad bene beatèqve vivendum. Qva de re multa sunt à Maximo Tyrio qvædam in Oratione copiosè & eleganter disputata. Qvantò autem

Ὑποφορὰ calumniantiũ Poesin.

Ἀνθυποφορὰ id est, Solutio objectionis.

Comprobatio ab autoritate D. Augustini. Hieronymi. Ambrosii.

Cur Plato Poetas è sua Republica voluerit ejectos?

4. A dignitate, & existimatione Poëtarum apud magnates.

tem semper in honore ac precio, non tantùm apud eruditos homines: sed etiam apud Reges & principes Poëtæ fuerint: nobis monumenta literarum atqve historiæ manifestò declarant; qvas hoc in loco recitare, nihil est necesse: tantùm illa politissima Ovidii carmina, qvæ sunt in tertio de Amandi arte libro, audite: qvoniam ad hanc rem magnopere pertinent. Sic igitur Ovidius:

Cura ducum fuerant olim regumq; Poëtæ,
Præmiaq; antiqvi magna tulere chori:
Sanctaq; majestas, & erat venerabile nomen
Vatibus, & largæ sæpe dabantur opes.
Ennius emeruit Calabris in montibus ortus
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

Exaggeratio prærogativæ Poëticæ, cùm omnes inde disciplinæ dependeant.

Sed si fortè qvis est, qvi dicat, non esse mirum, ab Ovidio Poëta Poëtas summopere commendari: is ad Ciceronem accedat, qvi cùm aliis in locis plurimis, tum pro Archia multis argumentis & exemplis probat, & ostendit, maximam semper fuisse Poëtarum gloriam. Sed qvid hæc agimus? qvasi verò cuiqvam, in bonis artibus mediocriter erudito, dubium esse possit, qvin, ut ab Oceano vis omnium fontiumqve omnium cursus initium capit, ita à Poëtis omnes sapientiæ partes, & ortum & incrementum accipiant.

Probatio per inductionem disciplinarũ.

Unde enim illa copiosè loqvens sapientia, domina rerum & regina, eloqventia? An non à Poetis? Unde illa rerum obscurarum investigatio, ars recondita, multiplex ac subtilis cognitio rerum cœlestium & æternarum? An non à Poëtis? Unde historiæ, fabulæ, rectè vivendi rationes, lumina mentium, ornamenta vitæ, unde deniqve omnis excellentia, atqve gloria mortalium? An non à Poëtis? Meritò igitur Lucanus, cùm hæc

atq;

atqve alia multa videret, hoc modo exclamare non dubitavit:

O sacer & magnus Vatum labor! Omnia fato
Eripis & populis donas mortalibus ævum.

Qvæ cùm ita sint, cuinam dubium esse potest, qvin Poëtarum cognitio sit cæteris omnibus anteponenda? qvam semper optimus qvisqve nervis omnibus expetendam esse duxit: qvæ laudem, qvæ gloriam, qvæ immortalitatem afferre solet. Rusticus est profectò atqve ab omni humanitate alienus, qvi Poëticæ cognitionis desiderio non teneatur: sine qva nemo docti nomen asseqvi meritò potest. Nos igitur, qvorum animus Musarum amore perfusus, alta & sublimia spectat, Poëtas amemus, amplectamur, ediscamus, eis deniqve nosmetipsos addicamus: cùm præsertim nihil eorum lectione dulcius, nihil jucundius, nihil amœnius inveniri possit. Proh Dii immortales! qvæ svavitas Poëticæ locutionis? qvæ concinnitas? qvi lepos? qvæ venustas? qvod inventionis acumen? qvæ compositionis harmonia? qvi verborum splendor? qvæ sententiarum gravitas? qvæ deniq; generum omnium dicendi majestas? Modò enim tanto impetu sonituqve feruntur, ut tonare, fulminare, permiscere omnia videantur: modò paulo pressiores, aurea qvadam mediocritate procedunt, ut nihil possit aut concinnius aut svavius excogitari: modò ita sese demittunt, ut, qvamvis humi serpere videantur: tamen expleatur animus jucundissima lectionis voluptate. Qvamobrem si qvis studiorum utilitatem, summæ conjunctam amœnitati voluptatiqve, diligit, is Poeticam

Conclusio.

Adversativa.

Adhortatio ad Poetices studium.

Cum exclamatione inculcatæ præstantiæ.

Poeseos in carmine vis & efficacia.

Conclusio.

artem amplectatur; in ea dies atqve noctes invigilet; eam deniqve totam mentis aciem intendat. Sic enim uberrimos studii sui fructus aliqvando conseqvetur. Qvod vos, optimi juvenes, omni studio, cura, diligentia facturos spero. Vos enim video & animo excelso esse & optimarum artium studiis deditissimos: qvæ res effecit, ut Artis hujus Poëticæ, vobis hoc anno declarandæ, provinciam libentissimè susceperim: cujus qvidem utilissima præcepta si vobis (ut spero & opto) ita perspicuè explicuero, ut ea facilè percipere possitis; tum verò me laboris mei præmium qvàm amplissimum consecutum existimabo.

Cum repetita admonitione.

DE BIBLIOTHECA PUBLICA MEDIOLANI INſtituenda & omni genere Librorum inſtruenda.

Ad Alfonſum Avalum
ORATIO XXV.
Imperfecta.

Ultima hæc jure ponetur ſub genere deliberativo. Admonet enim Principem benevolè, non tàm ob civitatis aliâs celeberrimæ ornamentum, qvàm ob ſtudioſæ juventutis emolumentum, ut ex Illuſtri munificentia novam bibliothecam inſtruere non dedignetur. De bibliothecis antiqvis & Lipſius ſyntagma pereruditum conſcripſit, & qvod huic oratiunculæ poſſit aliqvam facem præferre.

Exordium à laude perſonæ Illuſtriſſ. per collationem cum inſinuatione.

CUm multis in rebus immortali Deo gratias agere debemus, Alfonſe Princeps illuſtriſſimo, qvi tantarum calamitatum cauſas qvantas ſuperiori tempore pertulimus à nobis tandem averterit ac profligarit, & optatiſſimam pacem invexerit, ac rerum omnium abundantiam: tum nulla re magis ei dèbere nos exiſtimo, qvàm qvòd Te noſtræ Civitati, & ſummæ Reipublicæ præeſſe voluerit, ut amplis-

ſimus ac prudentiſſimus Imperator, pro tua ſingulari ſapientia, atqve incredibili virtute Rempub. bene gerendo, Divorum immortalium templa colendo, ſanctiſſimas religiones obſervando, Rempub. conſervares. Sæpe numerò mecum, Alfonſe, mirari ſoleo, &, cùm tuæ religionis ac virtutis mihi venit in mentem, conſiderare, qvi, cùm tantopere bellicis in rebus & imperatoria laude cæteris omnibus antecellas, ut non ſolum eorum hominum, qvi nunc ſunt, gloriam; ſed etiam antiqvitatis memoriam ſuperaris tamen ita religione deditus, ita modeſtus ac ſummiſſus, & ut breviter dicam, ita Chriſtianus es, ut tibi religioſiſſimè vivere, ſumma votorum eſſe videatur. Et qvoniam ad bene beatèqve vivendum exploratum habes, plurimum conducere ſtudia literarum: ſtudioſos earum ita foves & amplecteris, ut non ſolùm eos, qvi ſunt in hac civitate, ſubleves; ſed alios etiam huc, ex longinqvis regionibus proponens uberrima præmia, conducas. Qvare jam in certam ſpem venerunt hujus civitatis homines, fore, ut optimarum artium ſtudia, ſuperiori tempore, bellorum tumultibus & hoſtium incurſionibus proſtrata & inculta, per te reſtituantur. Nimirum hoc unum ad ampliſſimam gloriam tuam, & res geſtas immortales, adhuc deeſſe videtur, ut hanc tui amantiſſimam civitatem, olim ſtudiorum parentem ac altricem, nunc literarum inopia laborantem, contendas ſublevare. Cùm igitur animum tuum in hanc partem tam propenſum & inclinatum eſſe videam, ut nihil addi poſſe videatur: exiſtimavi me facturum operæ precium; ſi tibi, qvaſi digito viam demonſtrarem, qva poſſis in hac civitate cum parvo labore, neqve maximo ſumptu, literarum

A comparatione bellica ac rogatæ virtutis.

Commendatio à pietate. Applicatio.

Spes ex eventu certa.

Benevolentiæ captatio.

Propoſitio.

rarum studia revocare, juventutem excitare, civitatem hanc honore maximo cohonestare, famam tui nominis relinqvere sempiternam. Qvòd si res ulla potest inveniri digna majestate tua, digna virtute, digna religione; qvam tibi, relictis omnibus rebus amplecti fas sit, & perfici: hæc profectò, qvam nos hoc tempore in consulationem adducimus, tanta est, ut reliqvis omnibus anteponi digna esse videatur: qvam tu pro tua sapientia, fide, potestate, suscipias, susceptam industria, consilio, diligentia perficias: qvæ perfecta, juventuti Mediolanensium, ac studiosis omnibus incredibilem afferat utilitatem; tibi verò gloriam acqvirat immortalem. Non te præterit, Alphonse, duas solas Artes in orbe terrarum inveniri, qvæ mortalem possint in amplissimo dignitatis & laudis gradu collocare, & hoc breve vitæ nostræ curriculum ita posteritati commendare: ut in lingvis & ore omnium unius viri memoria perpetuò celebretur: Disciplina militaris, & Studium literarum. Qvarum artium in altera tu jampridem ita versaris, ut virtutis tuæ bellicæ splendor, tanqvam Sol qvidam exortus, res gestas antiqvorum, tanqvam minora sidera, præstinxerit: Artem autem literarum (ut initio dixi) ita complecteris, ut mihi facilimum fore sperem, qvod vehementissimè cupio, tibi persvadere: cùm præsertim utilissimum sit & optimum. Est hæc nostra Civitas Mediolani rerum omnium (ut optime nosti) copiosissima: non frugum abundantia, non agrorum ubertate, non magnitudine pastionis cuiqvam est inferior.Ættereà floret ingeniorum acumine, nobilitatis splendore, animorum in rebus gerendis sagacitate, domi militiæqve claritate.

Ratio.

Narratio.

Ars & Mars.

Accommodatio.

Utramq; in principe isto reperiri.

Attentio.

Confirmatio.

1. *A facili.*

2. *Ab ingeniorum ubertate & felicitate.*

Ad

3. *Ab artificum copia.*

Ad hæc tanta eſt artificum cujuſqve modi præſtantia ac induſtria, ut nulla civitas unqvam poſt homines natos excellentiores habuerit. Huc accedunt duæ mirificæ ſubſtructiones, qvæ merito poſſint inter commemorata illa mundi miracula numerari. Qvarum altera Fanum eſt pulcherrimum ac religioſiſſimum, qvod in maximam ſolet admirationem ſpectarores omnes inducere: qvippe ſub aſtra tendens machina, columnis craſſis ac ſublimibus innixa, tantum extollitur, ut oculorum acies vix poſſit ad ejus cacumen pertingere; longitudine ac latitudine juxta ſublimitatis proportionem accommodatiſſima: totum autem ex ſolido marmore fabrefactum, ſed arte tam egregia, ut vix hominis ingenio factum eſſe credibile videatur. Altera vero Subſtructio Caſtrum eſt Mediolanenſe: de qvo, qvid ego plura commemorem, qvàm qvod omninationi planum eſt ac manifeſtum; eſſe penitus inexpugnabile: atq; adeò communitum eſſe, ut non ſolùm fieri munitius non poſſit, ſed ne excogitari qvidem: ut etiam ex re nomen aſſecutum eſſe videatur. Arx enim Jovis appellatur. Declaratum eſt hoc ſuperiori tempore, cùm tot bellis ac obſidionibus petitum fuerit, tot vineis, aggeribus, tormentis oppugnatum: nunqvam tamen ullus ex tot Ducibus atqve Imperatoribus eximiis, & in arte militari peritiſſimis, potuit illud expugnare. Qvare jam ſatis ſuperqve cognitum eſt, hoc unum Caſtrum ab omnibus belli tumultibus & oppugnationibus eſſe tutiſſimum; nec ullo modò fieri poſſe, ut humanis viribus expugnetur. Qvæ cùm ita ſint, unum adhoc ornamentum huic præclariſſimæ civitati, & his tam admirandis ſubſtructionibus deeſſe videtur: qvod ſi qvis addat, ſibi decus acqv-

4. Ab ædificiis.

Fani laus & deſcriptio.

2. Caſtrum ſeu arx.

A firmitate propugnaculi.

Tranſitio ad tertiū q̄vod adhuc deſit.

acqvirat sempiternum. Cujus qvidem ornamenti Te cupimus esse principem & Autorem; ut in hac civitate, perpetua tui memoria conservetur, & tuam posteritas omnis sentiat ac laudet munificentiam & liberalitatem. Hoc autem illud est, de qvo loqvimur, ornamentum: Ut in templo illo maximo & religiosissimo Bibliotheca librorum omnium generum refertissima constituatur: & ædes binæ ædificentur; altera juxta templi sacraria; altera in ipsa Jovis Arce, qvæ sint huic tantummodo rei destinatæ: ut qvoniam incerti sunt temporum exitus, si qvando bellum excitetur, possint in Arcem munitissimam volumina transferri, & ibi tuta esse ab omni præliorum violentia. Qvid ego nunc commemorem, qvantopere res ista memorabilis & gloriosa futura sit, ubi disseminabitur apud exteras nationes; & olim apud posteros memorabitur: Alphonsum Davalum omni bellica laude præstantissimum cujus ad omnes fere mundi regiones virtutis fama pervaserit, tantopere literas etiam dilexisse, ut locupletissimam Mediolani Bibliothecam reliqverit? Qvis non sapientiam tuam laudabit? prudentiam admirabitur? consilium approbabit? Certatim tollent in astra nomen tuum, ubiqve studiosi literarum: multorum scriptis & præconiis ubiqve gentium prædicaberis: nunqvam poterit hoc factum tuum vetustas abolere. Dum hunc terrarum globum Sol è cœlo radii suis illustrabit, dum stabit hæc immensa mundi compago, virtutem tuam genus humanum prædicabit. Nam si qvidam obscuri mortales, aut non admodum excelso loco nati, non alia de causa, nisi qvod librorum magnum numerum collegerint, æternum nomen invenerunt: qvid futurum censes, cum tu jam-

id est, Bibliothecæ extructio.

Status & Scopus præsentis orationis.

Confirmatio ab utilitate, & gloria.

Exaggeratio in commendatione facti & beneficii illustris.

A minore ad majus.

jam pridem maximis rebus gestis tuis clarissimus, ad literas excolendas animum etiam adjeceris? Qvis Tyrannionem Grammaticum agnosceret, aut tantopere celebraret, nisi magno studio & industria librorum tria millia collegisset? Qvid patrum nostrorum memoria, Cosmus Medices, Florentinus civis, num alia de causa fuit ubiqve laudatus, ut etiam celeberrimum nomen doctissimorum hominum scriptis habuerit, qvàm qvòd literas amaverit, & literatorum hominum studiosissimus & amanttssimus fuerit, & undiqve congestis libris, copiosissimas Bibliothecas refeiserit? Sed ne fortè negotium hoc, tanqvam majestate tua minus dignum, asperneris; habes authores, gravisimos ac sapientissimos viros, qvi non solum omni studio ad colligendos libros & instaurandas Bibliothecas incubuerunt: sed etiam, accersitis undiqve doctissimis & peritissimis viris, eos summo honore prosecuti sunt, & eis amplissima præmia proposuerunt. Nam ut primum Ptolemæum illum Evergetem referam, qvi beneficientiam suam videtur ipso nomine declarare, nonnè pulcherrimum & celeberrimum Alexandriæ Gymnasium instituisse legimus, & multa librorum millia comparasse? cùm priùs ex omni mundi regione prudentissimos ad se viros evocasset; vel hoc solo ✝✝✝

Comprobatio per exempla.

2. Argumentū persuasionis à causis adjuvantibus.

Ab exempla laudabili Ptolomæi Philadelphi.

Reliqva desiderantur.

FINIS ORATIONUM.

LIBELLUS SUPPLEX AD SENATUM,

De Hora vespertina, qva docebat Majoragius, in matutinam commutanda.

Cum vestræ prudentiæ atqve auctoritatis sit, P. C. non solùm intelligere, qvid in publicis negotiis agatur; verùm etiam providere, ut omnia, qvàm fieri potest optimè rectissimeqve, gerantur: M. Antonio Majoragio, publico utriusqve Lingvæ Mediolani Professori, qvi omnia prius expertus est, ne molestus esse videretur, Vobis in præsentia significare visum est, se jam qvatuor abhinc annos magno incommodo suo, studiosæqve juventutis, hora vespertina Latinè publicè docuisse: cum eo tempore forum mercatorum, Gymnasio vicinum, magnis undiqve clamoribus obstrepat. Nam semper aut pueri vociferantes, huc atqve illuc, dimissi è schola, cursitant: aut aliqvis circumforaneus circulator lyræ cantu: vel assa voce plebejos homines congregat, & Juvenes ad se potiùs audiendum allicit: aut præco publicus tuba inclamat, ut, qvæ decreta sunt à Magistratibus, enunciet: aut tortor maleficum aliqvem in eqvuleo suspendit: aut deniqve (qvod omnium est molestissimum) vaga juventus & intemperans, qvæ per forum illa hora deambulare solet, in Gymnasium ascendit, & vel sibilis, vel pulsatione subselliorum, vel pulveris & lapidum

Aurora Musis amica.

Ab incommodo horæ vespertinæ.

Ratio ab impedimentis.

dum

dum conjectu; audiendi cupidos interturbat.
Itaqve Vos orat atq; obsecrat, ut pro communi Juventutis utilitate, pro Civitatis dignitate, pro vestra sapientia, pro honore suo, velitis jubeatisqve eum utramqve lingvam matutino tempore profiteri. Sic enim & omnia prædicta incommoda facilè vitabuntur: & multi juvenes, qvi mane Græcam lectionem ab eodem audiunt, etiam Latinam eodem tempore multò libentissimè audient: qvoniam bis in die non eis commodum est in forum accedere. Neqve hoc ullo fiet Othonis Lupani publici professoris incommodo: modò is observare velit, qvod alias auctoritate vestra constitutum est: ut paulo tempestivius lectionem suam incipiat; & tunc legere desinat, cum ære Campano minore signum datur. Eodem enim tempore Græcam lectionem in alio Gymnasio Majoragius absolvere solet? qvare deinde statim. Othoni succedet, ut Latinè legat: atqve hac une ratione studiosa juventus, si voluerit, utriusqve Professoris qvotidiè Latinam lectionem audire facilè poterit. Hæc ideo vobis, P. C. significare Majoragius voluit: qvoniam certum atqve exploratum habet, Vos pro consvetudine vestra, qvod fructuosum, & utile juventuti fore videbitis, illud decreturos.

Retentio pro ora mutatione.

Remotio instantia,

Conclusio,

Li-

LIBELLUS ALTER,

De Immunitate publicis Professoribus concedenda.

QVONIAM summa æqvitas atq; justitia vestra, Patres conscripti, splendorem ac benignitatem suam proportione æqvalem in omneis de Republica benè merentes diffundere solet: ideo nos, Otho Lupanus, & M. Antonius Majoragius, qvos in hac civitate, Vos Artis Oratoriæ Professores esse voluistis, supplicantes petimus, ut eadem immunitate nos donetis, qva jam Ticinensis Gymnasii professores donastis: cùm præsertim sit eadem nostra, qvæ illorum causa; & magis etiam nobis deberi, qvam illis immunitas videatur. primò qvia in Metropoli Civitate legimus: deinde, qvia non tantum publicè; sed etiam privatim Reipub. prodesse contendimus. Rogamus igitur, ut etiam nos, sicuti alii omnes Lectores publici, vestro munere gaudeamus.

Hoc juris est

Ratio duplex.

M. ANTONII MAJORAGII In Homeri Iliadem.

PRÆFATIO I.

Exordium à Narratione itineris Ulyssi.

ULysses Ithacensis ille, qvem poetarum parens Homerus prudentissimum ac sapientissimum finxit, cùm per ea loca navigaturus esset, ubi Sirenes, Acheloi Cassiopesqve filiæ, dulci modulatione, prætereuntes nautas in fraudem periculumqve allicere consveverant; sociorum suorum aures obturandas esse cera existimavit; ne fortasè cantus svavitate commoti, sese præcipites è navibus in mare dejicerent: suas autem aures obturare qvidem noluit: sed tamen malo navis firmissimis se vinculis alligavit, ut & earum voces audiret, & tamen securus præternavigaret. Itaqve licet eum illis svavissimis ac jucundissimis versibus invitarent:

Prudentia Ulyssis.

O decus Argolicum! qvin puppim flectis, Ulysses!
Auribus ut nostros possis agnoscere cantus.
Nam nemo hac unqvam est transvectus cærula cursu,
Qvin prius astiterit, vocum dulcedine captus:
Post variis avido satiatus pectore Musis,
Doctior ad patrias lapsus pervenerit oras,
Nos grave certamen belli cladem q; tenemus,
Græcia qvam Trojæ divino nomine vexit,
Omniaq; elatis rerum vestigia terris:

non tamen eas audiendas esse censuit; sed ad illam qvam iterum tandem aliqvando videre vehementissimè

tiſſimè cupiebat, patriam, ſpreta Sirenum voce, properavit. Hic igitur tàm divina, tamqve incredibili ſapientia vir in legendis poetarum Operibus eſt à nobis diligenter imitandus. Tam enim dulces, tâmq; jucundi ſunt, ut, niſi qvis altius animum ſuum efferat, & non qvid in verborum cortice, ſed qvid in ſententiarum receſſu lateat, accuratiſſimè perpendat: in eorum figmentis tanqvam in Sireneis ſcopulis conſeneſcat. Qvare qvi ſe infirmo atqve imbecilli eſſe animo ſentiunt, & doctrinæ reconditioris expertes, qvales Ulyſſis ſocii fuiſſe finguntur, ii debent poëticæ ſvavitati, & carminum fabularumqve varietate penitus aures occludere, atqve aliis ſeſe ſtudiis ac negociis tradere: ne fortaſſè leviculis in rebus occupati, nihil dignum cognitione percipiant, & qvæ ſunt utiliſſima prætermittant. Qvemadmodum pleriqve manſvetiorum Muſarum profeſſores facere conſveverunt: qvi cùm ſe totos poetis dederrit, & eorum ſe interpretes eſſe promittant: in fabellis deinde ſimpliciter enarrandis, totos dies ſine ullo fructu conterunt, & auditores ſuos duplo ſtultiores, qvàm acceperint, reddunt. Qvi verò tam acuto, tàmqve conſtanti animo fuerit, ut pleno gradu poëticæ ſapientiæ penetralia ingredi audeat, qvvd Ulyſſem feciſſe Homerus innuit, is rationi, reconditæqve doctrinæ, tanqvam malo navis inhærens, poetarum ſcripta freqventer evolvere, atqve interpretari ſecurè poteſt. Sunt enim præſtantiores poëtæ celebratis illis Alcibiadis Silenis non abſimiles. Nam Alcibiadem ferunt imagines qvaſdam habuiſſe, qvi Sileni dicerentur, ita fabricatas, ut clauſæ qvidem ridiculam aliqvam & monſtroſam ſpeciem præ ſe ferrent; apertæ verò ſtatim divinum

Adhortatio Ad imitationem Ulyſſis.

Applicatio iterata.

Illuſtratio comparatiba Mythologia.

1. Fribola & bana.

2. Utilis & bera.

Comprobatio ab exemplo. Alcibiadis.

Poetarum fictiones non sunt penitus nugæ.

numen ostenderent. Eodem modo clarissimi Poetæ fabellas qvasdam aspectu primo ridiculas & manes ita concinnant, ut ludere velle videantur: verùm in eis fabulis, si qvis diligentius introspiciat, aliqva semper divinæ cœlestisqve sapientiæ mysteria reperiet Hæc causa est, cur imperitiores Grammatici, qvamvis Poetarum Deum Homerum in manibus semper habeant; tamen ex ejus lectione parvum admodum fructum percipiant: qvia scilicet in verbis ac figmentis tantùm occupati, virtutes ejus videre nullo modo possunt. Nam si qvis unqvam post homines natos, fictis fabulis res cognitione dignissimas significavit: is certè omnium eruditorum judicio atq; consensu, Homerus fuit: ut magni sit viri, sicut ait Qvintilianus virtutes ejus non æmulatione, qvod fieri non potest, sed intellectu seqvi: qvippe qvi humani ingenii modum excedat, & omnes sine dubio in omni genere doctrinæ procul à se reliqverit. Itaqve posteriores omnes non tantùm Poetæ sed etiam Philosophi, cæteriqve Scriptores ab Homero plurima sumpserunt. Unde non sine causa clamat Ovidius.

Aspice Mæoniden, à qvo, ceu fonte perenni,
Vatum Pieriis ora rigantur aqvis.

Declaratio per exempla.
1. Homeri;

Nam qvemadmodum ab Oceano flumina, fontes, puteiqve omnes exeunt: sic ab Homero omnis eloqventiæ, copioseqve loqventis sapientiæ fluxit initium Itaqve nemo vel eorum qvires occultas & ab ipsa natura involutas pertractarunt, vel de vita & moribus scripserunt, vel sese iis artibus, qvæ pertinent ad dicendi facultatem tradiderunt. Homeri Poema, tanqvam amœnissimum diversorium non appetivit: sed apud eum omnes commemorari voluerunt. Nam & Apollinis Oraculum Homeri car

ri carminibus sæpe traditum legimus: Philosophorum principes, Plato atq; Aristoteles, Homeri testimonio freqventissimè utuntur: & ab Homero, tanqvam omnis sapientiæ fonte, omnes philosophantium sectæ promanarunt Rhethores Homerum ita suscipiunt, ut eum omnibus eloqventiæ partibus exemplum & ortum dedisse fateantur. Grammatici non ad alium finem, qvam ad Homericam dicendi rationem omnes regulas suas dirigunt. Poëtæ, qvi post homerum aliqvid conscripserunt, qvantum facultas tulit, eum omnes imitari voluerunt. Ut enim cæteros hoc tempore prætermittam; apud eminentissimum Poetarum nostrorum Virgilium, nihil ferè paulò ingeniosius & eruditius dictum reperitur, qvod non ad Homeri imitationem sit conscriptum, atqve adeò penè ex Homero descriptum, qva de re cùm ab æmulis aliqvando Virgilius carperetur, dixisse fertur: Non minus esse difficile, carmen ab Homero commodè sumere, qvàm Herculi clavam de manibus eripere. Geographi qvoqve scientiam Homericam venerantur, ac suspiciunt: qvod Strabo primo libro copiosè persequitur, Medici prætereà vulnerumqve curatores, qvos Chirurgos appellant, plurima ab Homero bona mutuantur. Qvid, qvòd etiam principes, Imperatores atq; Reges Homerica dulcedine, singulariqve sapientia delectantur. Cujus rei testis est amplissimus Alexander ille Magnus: qui cùm inter Darii Persarum regis thesauros preciosissimum ungventorum scriniolum, totum ex auro, margaritis gemmisqve lectissimis confectum reperisset, amiciq; varios ejus usus demonstrarent: Imò Herculè (inqvit) librorum Homeri custodiæ detur; ut preciosissimum humani animi

Homeri autoritas apud omnes maxima.

Ab exemplo Virgilii.

Æmuli in Æneide.

A testimonio Geographorum.

A suffragio Medicorum.

Exaggeratio à minore ad majus.

Ab exemplo Alexandri Magni.

Opus qvàm maximè diviti opere servetur. Nam in ipsis etiam belli tumultibus Homeri libros, tanqvàm animi qvoddam viaticum & pastum svavissimum, secum habere consueverat: & cùm somnū capere opus erat, eos capiti suo subjiciebat: ut neq; in somnis ab Homeri cogitatione abstinere videretur; sed ipsis etiam visionibus, qvæ dormientibus evenire solent, præclara sibi somnia observarentur. Achillemqve ideò fortunatum fuisse clamabat, ut testis est pro Archia Cicero, qvia laudum suarum præconem Homerum invenisset: atqve in familiari collocutione, Poëtam hunc, modò summum virtutis præconem, modò Vatem regium appellare consueverat. Et re verà Homeri Poësis regia qvædam res est, & Ilias præcipuè; qva tot belli duces, tot reges, tot heroës celebrantur. Qvamvis enim proverbio dicatur: Malorum Ilias. qvoniam in Iliade Homerica multa mali genera memorantur: tamen rectius (ut ait Eustathius) Omnium bonorum Ilias diceretur. Plena est enim eloqventiæ, Philosophiæ, artis Imperatoriæ, Moralis disciplinæ, variarum deniqve scientiarum. Nam & dolos ex ea bonos ac laudabiles, & mendaciorum utiles confictiones, & dictorum acumina licet perdiscere: encomiorum præterea vias ac rationes, atqve in gerendis rebus summam prudentiam. Qvinetiam qvæcunqve ex historia bona percipiuntur, eadem ex Homeri lectione percipi possunt: ut multarum rerum experientia, mirifica jucunditas, animi institutio, ad virtutem adhortatio: qvibus in rebus omnibus multùm Historicis Homerus antecellit. Qvod si qvis hunc Poëtam ideo non admirandum & suspiciendum existimet, qvod multis fabulis

à Ciceronis autoritate.

Laus & usus Iliadis Homeri in re bellica & dotes ducis belli.

bulis sit refertus, is certè non intelligit, Homericas fabulas non inaniter, neqve tantùm ad risum concitandum, aut delectionem afferendam esse confictas: sed rerum cognitione dignissimarum umbras atqve integumenta qvædam esse; qvas si qvis rectè explicuerit, tunc deniqve, qvanta sit in eis, qvamqve recondita scientia, perspiciet. Neqve enim alumnus sapientiæ, qvalis Homerus fuit, simplicibus & anilibus fabulis delectari potest: cùm sapientia nihil aliud sit, qvàm veritatis contemplatio cognitioqve. Sed ut rudes adhuc atqve imperitos alliciat, Poesi suæ fabulas inserit; qvarum dulcedine captus animus, paulatim ad altiora atqve utiliora provehitur. Fuit enim hæc antiqva sapientissimorum hominum consvetudo, ut res cœlestes ac divinas, & sapientissima mysteria fabulis, tanqvàm cortice qvodam, obtegerent: sicut etiam Theologi nostri parabolis ac similitudinibus in rebus divinis freqventer utuntur, qvo rudes animi facilius à cognitis, & sub sensum cadentibus rebus ad incognitas & sublimes extollantur. Cùm igitur ex omnibus Græcis Poëtis mihi esset facultas eligendi, qvem hoc anno publicè interpretarer; Homerum mihi potissimum in manus sumendum esse censui. Cùm enim, ut ait Horatius:

Instantia.

Solatio.

Ratio.

Propositio, id est, explicatio ipsius Homeri in posterum suscipienda.

Aut prodesse volunt, aut delectare Poëtæ:

nullus Homero majorem neqve utilitatem, neqve jucunditatem afferre potest. Qvapropter ut Aratus (qvod ait Qvintilianus) à Jove incipiendum putat: ita nos ritè cœpturi ab Homero videmur, qvi non Poetica modò, sed etiam Oratoris virtute est eminentissimus, neqve ullum

Ratio ob graves causas. extat Opus humanum, qvod Homericæ Poësi præferendum esse videatur. Illud verò videtur admirabile, qvòd in tot carminum millibus nihil unqvam Homerus neqve de patria, neqve de parentibus suis meminerit: neqve Operibus nomen suum inscripserit. Vir profectò divinus, & alta qvadam mente præditus, qvem nulla ambitio, nulla nominis ac gloriæ cupiditas inflammavit, sed qvi ipsius tantùm virtutis & scientiæ gratia scripserit.

Objectio negligentiæ.

Concertatio de Homeri patria unde oriundus. Hac de causa factum est, ut multæ Græciæ civitates suum fuisse civem Homerum velint: & dum patriam suam occultat, effecit, ut multæ patriæ sibi cum conentur vendicare. Unde illud Distichon vulgo celebratur:

Septem urbes certant de sede insignis Homeri:
Smyrna; Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ.

1. Colophonii. 2. Smyrnæi. Cicero pro Archia Poëta sic ait: Homerum Colophonii Civem esse dicunt suum: Chii suum vendicant: Salaminii repetunt: Smyrnæi vero suum esse confirmant: itaqve etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt: permulti alii præterea pugnant inter se atqve contendunt. Extat elegans super hac re Antipatri Epigramma, qvod ita Politanus convertit:

Diceris à multis Colophonis alumnus Homere:
Hic te Smyrnæum credit, & ille Chium.
Qvin & Jon qvidam, qvidam Salamina superbam,
Thessaliam multi te genuisse ferunt.
Sunt & qvi memorent, aliis de sedibus ortum,
Sic variis natus crederis esse locis.
Dicere sic liceat mihi Phœbi Oracula: Cœlum
Certa tibi patria est: Calliopea parens.

Natus

Fuit nothus

Natus est etiam incerto patre. Nam Critheis ejus mater, amore furtivo facta gravida, apud Meletem fluvium eam peperit: unde primò fuit Melesigenes appellatus. Postea verò cùm apud Cumæos gravi lippitudine premeretur, obcœcatus est, atqve ideò Homerus est appellatus. Nam (ut scribit Herodotus) Cumæi solent eos, qvi cœci sunt, Homeros appellare: sicut etiam Ephorus attestatur. Artemidorus libro Somniorum primo fictum hoc esse videtur innuere; cùm ita scribit: Qvi se cœcum esse somniaverit, si Poëta sit, bonum significat: qvoniam multa qviete opus habent, qvi Poemata scribere cupiunt: unde sermo invaluit: Homerum Poetam cœcum fuisse. Plutarchus auctor est, ab Aristotele scriptum fuisse; Homerum Dæmonis cujusdam ex eorum numero, qvi cum Musis versari solent, fuisse filium. Undè fortussè Dionysius Halicarnasseus δαιμονιώτατον eum appellat, qvod non humanam, sed divinam qvandam potius naturam præ se ferat.

Homerus cœcus, ideò optimus Poëta.

Scribit Herodotus, Critheidem, Homeri matrem, cum parvulo infante à Phemio qvodam Smyrnæo ludimagistro fuisse hospitio susceptam, atqve ita adamatam, ut eam Phemius secum posteà semper habuerit, & Homerum puerum ingenuis artibus erudierit: in qvibus ait eum tantum profecisse, ut mortuo Phemio, cum omniũ admiratione per aliqvod tempus literas Smyrnæ docuerit: postea totam Græciam peragrasse, & in Italiam usqve ad Hispaniam profectum: deinde iterum in Græciam reversum, arti Poëticæ usqve ad extremum vitæ diem incubuisse. Neqve satis constat inter Scriptores, qvo tempore vixerit. Nam Herodotus centum sexaginta octo omnes

Educatio Homeri.

Peregrinatio ejusdem.

Qvibus coætaneus?

post Trojanum bellum floruisse Homerum scribit: alii belli Trojani tempore natum dicunt; alii non ita multò post. Cornelius Nepos centum & sexaginta annos ante Romam conditam fuisse auctor est. Eutropius Agrippa Sylvii temporibus Homerum in Græcia fuisse perhibet. Sed qvocunqve tempore vixerit, satis constat, egenum ac mendicum fuisse, ut vix sibi victum recitandis ac vendendis carminibus suis posse: acqvirere: qva de causa factum est, ut Homeri carmina, per totam Græciam sparsa, sine ullo ordine legerentur: donec Hipparchus Pisistrati filius, ut Plato scribit, diligenter & collegit, & adhibitis eruditis viris in libros ordine literarum, sicuti nunc eos habemus, accuratè digerenda curavit: qvamvis Plutarchus hanc laudem Aristarcho tribuat, qvi tàm ingeniosè, tamqve acutè vera Homeri carmina ab iis, qvæ falsò illi tribuebantur, distinxit, ut postea qvicunqve de alienis scriptis verè judicaret, Aristarchus fuerit appellatus. Nam Varro de Lingva Latina Criticos Grammaticos, qvi de libris judicant, Aristarchos appellat: & Cicero vocat Atticum suarum Orationum Aristarchum. Obiit autem Homerus morte, misera qvidem illa, sed tamen memorabili. Cùm enim sederet in littore, piscatoresqve è navi egressos percunctatus esset: Ecqvid prædæ fecissent: illi responderunt: Qvæcunqve cepimus, ea reliqvimus; qvæ verò non cepimus, nobiscum ferimus. Hanc sibi propositam à piscatoribus qvæstionem cum solvere nullo modo potuisset, tanta indignatione correptus est, ut dolore absumptus credatur: qvod præter cæteros, etiam Valerius Maximus nono libro scribit: erat tamen qvæstio illa piscatorum non admo-

Vitæ genus miserum, ut Poetis ferè.

Aristarchi censura in Homerum.

Homeromastix.

Homeri mira mortis occasio.

admodum ardua. Nam cùm nihil piſcium cepiſſent, apricantes in ſole pediculis ſe purgare aggreſſi ſunt; atqve ita qvos pediculos ceperunt, eos interfectos projecerunt ac reliqverunt; qvos autem non ceperunt, eos ſecum in veſtibus tulerunt. Reliqvit autem duo pulcherrima præſtantiſſimaqve Opera, Iliadem & Odyſſeam. Nam Margites, Hymni Deorum, Batrachomiomachia, & ſi qva alia Homero attribuuntur; luſus potius & exercitationes qvædam, qvàm juſta Opera eſſe appellanda, doctiores exiſtimant. Sunt qvi opinentur, Iliadem Tragœdiæ inſtar habere, Odyſſeam Comœdiæ: ſed omnino falluntur: licet eorum errorem etiam Eraſmus ſecutus ſit. Nam utrumqve Opus Tragicum eſt, ut in Arte Poetica clariſſimè docet Ariſtoteles. Carmen enim Heroicum atqve Hexametrum, Tragœdiæ qvædam ſpecies eſt. Illud probabilius videtur, qvod Plutarch. tradit; Homerum in Iliade corporis fortitudinem, in Odyſſea verò animi præſtantiam exprimere voluiſſe. Nam in Iliade pugnæ, prælia, cædeſqve tractantur, qvæ corporis viribus indigere certum eſt: in Odyſſea pericula, tempeſtates, varii caſus ponuntur, qvos nemo niſi præſtanti animo ſuperare, aut commodè tolerare poteſt. Jam verò mirum eſt, qvod idem Plutarchus oſtendere pluribus exemplis conatus eſt, & Politianus, Plutarchi penè dixerim interpres, cùm tot ſint Philoſophorum, tamqve diſcrepantes ſententiæ; unumqvenqve tamen cujuſqve ſectæ principem Homeri auctoritate nixum ſententiam ſuam confirmaſſe. Dion certè Chryſoſtomus Socratem, qvi primus è cœlo Philoſophiam devocaſſe dicitur, ut de

Homeri opera legitima & ſpuria.

Scopus Iliadis & Odyſſea.

Reditus ad autoritatem Homeri confirmandam.

vita

Ab autoribus sacris.

1. Basilii.

2. Archesilai.

3. Ptolomæi Philadelphi.

Vita & moribus differeret. Homeri discipulum appellare non dubita: licet ante Socratem Homerus multis ætatibus floruerit. Basilius Magnus Theologorum gravissimus & præstantissimus, totam Homeri poesin laudem esse virtutis affirmavit: qvod Anaxagoras Metrodorum ad Homeri lectionem adhortans anteà dixerat. Archesilaus tanto bujus poetæ studio tenebatur, ut nunqvam mane è lecto surgeret, nunqvam vesperi cubitum iret, qvin prius aliqvid ex Homero lectitaret. Ptolomæus Philadelphus Zoilum, Homeri detractorem, qvi ideo Homeromastyx dicebatur, qvi Homerum insectari non desisteret, diu prius declusum, tandem vinclis ac verberibus atqve omni supplicio excruciatum, necavit: Et meritò. Qvantæ enim temeritatis & impudentiæ fuit, eum damnare Poëtam, qvem omnes certatim sapientes summis in cœlum laudibus ferunt, qvem omnes suspiciunt, admirantur, semper in manibus habendum censent. Itaqve præter acerbam ac miseram mortem, ille etiam infamia notatus est, ut postea laudum alienarum obtrectatores & invidi ab ejus nomine Zoili dicerentur.

Refutatio calumniantium Homeri famam & doctrinam.

Ab encomio Tullii.

Cicero Tusculanarum Qvæstionum libro qvinto, ita de Homero scribit: Traditum est etiam, Homerum cœcum fuisse: at ejus picturam non poesin videmus. Qvæ regio, qvæ ora, qvi locus Græciæ, qvæ species formæ, qvæ pugna, qvæ acies, qvod remigium, qvi motus hominum, qvi ferarum, non ita expictus est, ut, qvæ ipse non viderit, nos ut videremus, effecerit? Sed instituti nostri non est, Homerum ipsum hoc tempore laudare, qvem integris voluminibus multi exornare conati sunt, & tamen nemo unqvam satis eum laudasse dicitur. Illud potius videamus; Cur hoc Opus

præteritio in re laude omni majore.

pus, qvod interpretaturi sumus, illas dicatur, & qvodnam sit in eo Poetæ nostri propositum? Neqve enim sicut Odissea ab Ulysse; ita hoc opus ab unius viri nomine vocatur: licet ab Achillis ira sumat exordium, qvæ multorum malorum causa fuit. Neqve qvod tantum Iliensium mala factaq; contineat, ideo vocatur ilias: sed qvia complectitur ea, qvæ Trojani belli tempore circa Ilium acciderunt, & præcipuè, qvo tempore Achilles Agamemnoni iratus erat. Multæ verò clamitates & Trojanis, & Græcis eo tempore contigerunt: unde Malorum Ilias de immensis miseriis proverbio dicitur. Cicero ad Atticum: Tanta malorum impendet Ilias. Stratonicus interrogatus, Cur nollet apud Ilienses vivere, respondit: Semper Ilio mala: qvod deinde in calamitosos & afflictos dici cœptum est, Et qvia longum est Opus, in qvatuor & viginti Libros, eo qvod totidem Græcæ literæ numerantur, Hipparchi jussu sive patris ejus Pisistrati fuit digestum. Ideo factum est, ut qvoties nimis prolixam ac molestam orationem significare volumus, eam Iliade longiorem esse dicamus: qvod Julius Pollux sexto libro scribit, Ilias igitur dicta est, qvòd hoc in opere scribantur ea, qvæ Græci Trojaniqve circa Ilium gessere. Propositum est autem Homero, commemorare qvot mala, propter seditiones & rixas Principium, sæpissimè populis & exercitibus accidere soleant. Itaqve sumpsit Exordium ab Achillis ira, qvam perniciosam vocat, qvod innumerabiles Achivis dolores attulerit. Horatius sanè qvadam ad Lollium Epistola præclarè docet, qvid Homerus in Iliadè significare voluerit. Sic enim ait:

Transitio ad nominis notionem.

A loco ubi pugna & bellum commissum.

Abusio vocis.

Vera appellationis ratio.

Scopus Homeri

Dispositio Iliados.

Fabula

Fabula, quæ Paridis propter narratur amorem,
Græcia Barbariæ lento collisa duello,
Stultorum regum & populorum continet æstus.
Antenor censet belli præcidere causam:
Quid Paris? ut salvus regnet, vivatque beatus,
Cogi posse negat. Nestor componere lites
Inter Peliden festinat, & inter Atriden:
Hunc amor; ira quidem communiter urit utrumque.
Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi,
Seditione, dolis, scelere, atque libidine, & ira.
Iliacos intra muros peccatur, & extra.

Usus lectionis Homerianæ.

Illam igitur, præter cæteras, maximam etiam utilitatem ex Homero percipimus, qvòd mores nostros componere, & vitam melius conformare docemur. Nam (ut idem ait Horatius)

Quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chrysippo, & Crantore dicit.

Conclusio cum pollicitatione.

Qvamobrem Opus tàm eximium ambabus (qvod dicunt) manibus, atqve obviis ulnis amplectendum est, & in sinu gestandum. Eqvidem qvod ad me attinet: eximias hujus Poetæ virtutes pro virili parte vobis aperire, interpretari, ac planas facere conabor. Vos videte, ne propter aliqvam fortassè negligentiam, tantum utilitatis, tantumqve boni amittatis. Nam si magna cum diligentia qvotidiè lectionibus nostris interesse volueritis, profectò vos qvantùm proficietis, nunqvàm (ut spero) pœnitebit.

IN

IN HOMERI ODYSSEAM
PRÆFATIO II.

TAcere non possum, optimi Auditores, qvin arcana pectorjs mei vobis aperiam. Ita enim me natura conformavit, & expolivit industria, ut nihil fucatum, nihil simulatum mihi placere possit: omnia ingenuè & simplicitate qvadam profitear; neqve mihi falsam doctrinæ atq; scientiæ laudem arrogare velim. Itaq; cùm Homeri Odysseam, coram vobis interpretandam susceperim, hæreo, juvenes eruditissimi; neqve, qvod principium orationis aut qvem finem inveniam, prorsus intelligo. Atqve ego ille, qvi non nunqvàm tota verborum plaustra profundere soleo, in hac materia tam ampla, tàm immensa, qvid dicam, non invenio: non aliter, atqve ii, qvi diutius in tenebris versati, repentinum Solis splendorem ferre nullo modo possunt. Qvid igitur faciam? Taceamné Homeri laudes, qvem nemo est bonis literis imbutus, qvi non ad cœlum ferendum esse censeat? laudemné, aut verbis exornem, cujus tantus est decor & præstantia, ut facilius eruditissimus qvisqve tacitus admirari possit, qvàm dicendo minimam ex laudibus ejus partem explanare? Qvare ego supervacaneum omnino existimo, in Homero laudando operam sumere, qvem omnes uno consensu admirantur, & uno ore prædicant; ne mihi qvis ve-

Exordium à candore animi.

Ratio.

Insinuatio cum extenuatione.

Illustratio à simili.

Communicatio in re dubiâ.

Cui non dictus Ulysses

vestrum fortasse dictum illud Antalcidæ succinat; qvi: cùm Sophista qvidam, eo præsente, Herculis Encomium recitare vellet: Qvis (inqvit) illum vituperat? Sed neqve de Homeri vita qvicqvam vobis affero: cùm Plutarch. Herodotus, Suidas, Politianus, & alii, de ea copiosè scripserint. Qvid igitur (inqviet aliqvis) nobis affers novi? Eqvidem in hac re non multum me jactabo. Omnia jam vulgata. Nihil dictum, qvod non dictum sit prius. Hoc unum spectavi, qvod verissimè Qvintilianus scripsit: Optimè institutum esse, ut ab Homero atqve Virgilio lectio inciperet. Qvid? qvod neqve de Homeri patria qvicqvam certi possum vobis affirmare. Nam & Rhodii, & Thessali, & Jetæ, & Chii, & Salaminii, & Colophonii asserunt sibi: & Argigivi Milesii, Smyrnæi, Camæiqve contrà vendicant, repetuntqve eundem ad se, qvasi Licinia & Mutia lege (ut ait Politianus) Athenienses. Alii dicunt Ægyptium fuisse. Apud A Gellium referuntur hæc carmina:

Dilatio per præteritionem.

Præmunitio per Instantiam.

> Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσιν περὶ ῥίζαν Ὁμήρου·
> Σμύρνα, Γόδος, Κολοφών. Σαλαμίν, Ἴος Ἄργος
> Ἀθῆναι.

Qvare meritò antipater, cùm varias de Homeri patria recitasset opiniones; subjunxit hoc Distichon:

Rejectio inqvisitionis subtilis.

> Πάτρα σοὶ τελέθει μέγας οὐρανός, ἐκ δὲ γυναικὸς
> Οὐ θνατᾶς, ματρὸς δ' ἔπλεο Καλλιόπας.

> *Nempe tibi cœlum patria est: non feminæ natus*
> *Mortali, genuit te Dea Calliope.*

Sed

Sed relinqvamus, qvæ ab aliis jam pridem diligentissimè disputata sunt. Nos verò cùm præclarè intelligamus, Homericam lectionem plurimum ad eloqventiam, & ad omnium ingenuarum artium studia nobis prodesse posse: videamus, an ad mores etiam conformandos, & honestatem adipiscendam aliqvid adjumenti conferre possit. Plutarchus autor gravissimus ait, Homerum, cùm duo Poëmata composuerit, Iliadem, & Odysseam, παραστῆσαι διὰ μὲν τῆς Ἰλιάδος ἀνδρείαν σώματος, διὰ δὲ τῆς Ὀδυσσείας ψυχῆς γενναιότητα, hoc est, per Iliadem corporis fortitudinem repræsentasse, per Odysseam verò animi præstantiam. Qvin & Horatius in Epistola qvadam ad Lollium scribit: Homerum melius, qvàm qvos libet Philosophos declarare, qvid sit honestum, qvid turpe, qvid utile, & qvid item inutile: de Odyssea verò sic ait:

Comprobatio.

1. Ab autoritate Plutarchi.

2. Ab Horatii suffragio.

> *Rursus qvid virtus & qvid sapientia possit,*
> *Utile proposuit nobis exemplar Ulyssem.*

In hoc igitur Opere, Juvenes svavissimi καὶ φιλέλληνες licet fieri sapientes: cùm primò videbitis singularis fœminæ Penelopes temperantiam: qvæ cùm adhuc esset juvenis atqve adolescentula, multis expetita procis, atqve iisdem nobilissimis; nunqvàm tamen animum ad obscœnitatem inclinavit. Nam qvi cum ingeniis conflictatur ejusmodi (ut ait Comicus) neqve commovetur animus in ea re tamen: scias posse habere jam ipsum suæ vitæ modum. Deinde sapientissimum, Ulyssem, in rebus adversis patientissimum, nullis periculis, nullis calamitatibus animo cadentem: sed alacri semper animo & imperturbato, qvicqvid accidisset,

Redditio, qvid fructus, aut usus sperandum ex lectione Homeri.

Illustratio ab exemplo Ulyssis.

moderatè ferentem : præterea nullis deliciis, nullis voluptatibus delinitum; sed acriter vitia repellentem. In qvibus rebus veram esse sapientiam, vestrûm puto latere neminem. Qvæ dum interpretabimur, suis locis singula (Deo favente) declarabimus. Qvòd si qvis vestrum fortè me roget; Qvo tempore fuerit Homerus? in hoc etiam Auctorum sententias variare video: sed tamen ex Cicerone certi aliqvid afferre possum. Scribit enim Cicero qvinto Tusculanarum libro: Homerum fuisse temporibus Lycurgi, Lacedæmoniorum Legislatoris, ante Urbem condidam. Lycurgus autem floruit ante Romam conditam annos circa centum & triginta qvatuor, à Troja capta ducentos & nonaginta octo. Idem Cicero libro primo Tusculanarnm ita scribit: Homerus & Hesiodus ante Romam conditam fuerunt. Sunt qvi putent, Homerum & Hesiodum eodem tempore floruisse; qvod Joannes Grammaticus & Philosophus falsum esse ostendit; & probat Homerum multò fuisse antiqviorem. Nam Aristoteles inqvit, Stesichorum Poetam Hesiodi filium fuisse, ex Crimine, qvi qvidem Stesichorus fuit σύγχρονος, id est, coætaneus Pyrhagoræ Philosopho, & Phalaridi Agrigentinorum Tyranno; hi verò post Homerum floruerunt annos qvadringentos: ut scribit Herodotus. Qvæ qvidem supputatio ferè convenit cum Ciceronis sententia. Nam Pythagoras fuit in Italia temporibus iisdem, qvibus Junius Brutus patriam liberavit, qvod accidit anno ab Urbe condita ducentesimo qvadragesimo qvinto; cum Homerus fuerit ante Romam conditam annis centum & sexaginta:

Homerus qvando vixerit.

Homerus & Hesiodus σύγχρονοι.

ginta : ut Cornelius Nepos in libris Chronicorum tradit. Sed hæc fortaſſe curioſiùs, qvàm oporteat. Cùm autem ſint varia poetarum genera, ut ſcribit Joannes Grammaticus. Sunt enim Monodi, Lyrici, Comici, Tragici, & infinita alia nomina : ſunt etiam Poetæ, οἱ κατ᾽ ἐξαίρετον, ἀνωνύμως καλέμενοι, qvi per excellentiam qvandam ſolum Poetæ dicuntur, ſine alterius nominis adjectione. Ex qvorum genere qvinqve fuere celeberrimi καὶ ὀνομαστοί. Homerum omnium princeps, Heſiodus Aſcræus, Antimachus Colophonius, Panyaſis, Piſander Camirenſis. Τῶν δ᾽ ἄλλων ἀστῶν Μεγαρέων, ἐδεὶς λόγος.

Præteritio.

IN HESIODUM,

PRÆFATIO III.

Exordium à Poetæ laude.

CUm ex Græcis omnibus auctoribus Hesiodum potissimùm hoc tempore vocis interpretandum susceperim, Auditores, ut eum Poetam, qvi non tantùm eruditioni prodesse, & dicendi facultatem alere possit, sed mores etiam hominum componat, & utilissima vitæ præcepta tradat: non alienum ab interpretis officio me facturum arbitror, si qvæ de ejus vita, & de totius Operis materiâ atqve scopo, mihi apud probatos auctores legere contigit; anteqvam ad Carminum explanationem veniam, in medium afferam: ut præsertim multa sint in eis, qvæ nondum apud Latinos planè explicata sunt. Fuit igitur Hesiodus (ut Suidas tradit) Cumæus genere: non qvidem à Cuma, Campaniæ civitate; sed ab ea Cuma, qvæ in Æolia est, qvam Stephanus tradit ante Lesbum esse sitam, & ab Amazone qvadam, qvæ Cuma diceretur, esse denominatam: à qva civitate tradit idem Stephanus Ephorum Historicum, & Hesiodum Poetam oriundum esse; undè etiam Cumæus Vates fuit appellatus, teste Suida. Qvin etiam Valerius Probus, insignis Grammaticus, super eo Virgilii carmine in Bucolicis:

Propositio bipertita.

Narratio I. Patria, qvæ Cuma.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas:

non alium, qvàm Hesiodum à Virgilio designari credit: qvoniam Cumæus Hesiodus, primus ætates à metallorum nomine distinctas appellavit, pri-

primam auream, alteram argenteam, tertiam æneam, ultimam ferream: ut in Opere, cui titulus est, Opera & Dies, expressum legitur. Cumæ igitur natus est Hesiodus. Ejus pater Dius fuit, Ampellidis filius: mater verò Pycimede. Sed cùm ejus parentes, magno ære alieno pressi solvendo non essent, in Bœotiam aufugerunt. Atqve in Ascra vico ignobili habitarunt, ubi puer Hesiodus nutritus atqve educatus: qva de causa factum est, ut Ascræus diceretur; ut in Bucolicis Virgilius:

2. Parentes.

Cognomina Hesiodi.

Hos tibi dant calamos (en accipe) Musæ:
Ascræo qvos ante seni. Dictus est etiam Bœotius, qvoniam Ascra Bœotiæ vicus est: ut Columella: Non minimùm nostræ professioni contulit Hesiodus Bœotius. Fuit autem Ascra, vicus ignobilis & infœcundus, qvem etiam ipse Poeta (ut refert Strabo) his versibus damnavit:

Ascræus.

Bœotius.

Νάσσατο δ' ἄγχ' Ἑλικῶνος ὀϊζυρῇ ἐνὶ κώμῃ,
Ἄσκρῃ χεῖμα κακῇ. θέρει ἀργαλέῃ, οὐδέποτ' ἐσθλῇ. i. e.

Ascram, rus miserum, penes hic Helicona colebat,
Hyberno dirum, triste æstu, optabile nunqàm.

Ferunt autem Hesiodum primò pastorem ovium fuisse: qvod Ovidius Fastorum libro sexto testatur his verbis:

Ecce Deas vidi, non qvas præceptor arandi
Viderat, Ascræas cùm seqveretur oves.

Cùm autem parentis armenta custodiret, in Helicone monte dicitur à Musis adamatus fuisse, pulchram ejus atqve egregiam indolem admirantibus: itaqve statuerunt, eum Poetam efficere: sacramqve ideò laurum gustandam puero præbuere. Tradunt enim, eam esse Lauri naturam, ut qvi eam freqven-

3. Vita genus Poeticum unde?

Poetæ cur laurigeri?

ter mandunt, vates fiant: qva de causa Lycophron Poëta Vatem qvendam δαφνηφάγον, qvasi dicas, laurivorum nominat. Sic etiam apud Tibullum Sibylla de se loqvens ait:

Vera cano, sic usq; sacras innoxia laurus
Vescar, & æternum sit mihi virginitas.

Laurus divinatrix.

Aphthonius etiam Rhetor Laurum vaticinationis symbolum esse scribit: Itaqve veteres ipsam laurum, μαντικὸν φυτὸν, hoc est, divinationis vim habentem plantam vocavere. Et Claudianus ait: Venturi præscia laurus. Qva de causa volunt eam plantam Apollini sacram esse qvi Deus præesse divinationi creditus est. Qvi verisimiliùs hanc historiam perseqvuntur, tradunt Hesiodum in Helicone obdormivisse, novemqve illi mulieres in somnis astitisse, qvæ laurum porrigentes gustare jusserint: postqvam autem experrectus fuisset, somnio illo monitus, sese literarum studiis & ingenuis artibus tradere cœpisse: qvippe qvi cogitaret, munus illud Musarum sibi oblatum, gustu qvidem amarum esse: sed tamen virorem perpetuum conservare: neqve enim unqvàm, dùm vivit, Laurus viridatem suam amittit. Ita liberales artes, licet initiò subamaræ videantur; immortalem tamen secùm gloriam afferunt. Tantum igitur posteà labore atqve industria effecit; ut ex abjecto ac vili ovium pastore Poeta clarissimus evaserit. Legimus, peregrinationibus delectatum fuisse, qvemadmodum etiam Homerum. Qvoniam ex multarum civitatum cognitione maxima solet acqviri prudentia. Duxit autem uxorem Ctimenam, Phygigei filiam, ex qva Stesichorum Poetam suscepisse dicitur. Sed qvo tempore, aut

Lauri perennitas affert immortalitatem poetis.

4. Res gestæ; præsertim peregrinatio.

aut qva ætate floruerit, non satis apud authores constat. Sunt enim, qvi illum Homeri tempore fuisse tradant: sunt etiam, qvi homerum longè antiqviorem faciant. Nam Cicero & Porphyrius, & pleriq; alii, volunt Hesiodum Homero multis annis juniorem esse, natumqve ante primam Olympiadem: qvam opinionem etiam Solinus seqvitur, qvi ita scribit: Inter Homerum & Hesiodum Poetam, qvi in auspiciis Olympiadis primæ obiit, centum & triginta anni interfuerunt. Sed eum cum Homero aliqvo tempore floruisse, rerum antiqvarum diligentes Authores prodidere: qvamvis sit (ut Gellius & Pausanias tradit) vetus inter Grammaticos disceptatio, uter eorum ætate præcesserit: qva de re Ponticum etiam Heraclidem duos Dialogos conscipsisse, memoriæ proditum est. Sed Philostratus, & Vellejus Historicus, & M. Varro in primo de Imaginibus libro (qvemadmodum Gellius refert) non esse dubitandum asserunt, qvin eodem tempore vixerint Homerus & Hesiodus: atqve id ex Epigrammate qvodam probari potest: qvod in Tripode, Musis in Helicone dedicato inscriptum legebatur. Qvē qvidē Tripodē Hesiodus ipse dedicavit, cùm aliqvando in Chalcide divinum Homerum cantu superasset. Id autem Epigramma & apud Dionem legimus, & inter Epigrammata Græca circumfertur in hunc modum:

5. *Ævum & ætas.*

Homerus & Hesiodus σύγχρονοι.

Ἡσίοδος Μούσαις Ἑλικωνίσι τόνδ᾽ ἀνέθηκεν,
Ὕμνῳ νικήσας ἐν Χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον.

Hoc est:

Hesiodus posuit Musis Heliconibus istum,
Cum cantu vicit divinum in Chalcide Homerum.

Certamen Hesiodi & Homeri.

Atqve hanc qvidem Historiam bis apud Plutarchum relatam legimus, & in qvinto Symposiacῶν libro & in eo Dialogo qvi septem sapientum inscribitur, qvem nos olim in Latinum sermonem converti-mus. Ibi enim cum Periander vellet, antiqvam fuisse consvetudinem, ostendere, ut ænigmata proponerentur, sic ait: Apud veteres Græcos, ô Cleodeme, fuit hæc consvetudo, ut tales inter se dubitationes proponerent. Accepimus enim olim, cùm ad Amphidamantis exeqvias in Chalcidam celeberrimi sapientes ac Poetæ convenissent, (fuit autem Amphidamas vir peritus administrandæ Reipublicæ, qvi cùm Eretrienses vehementer afflixisset in præliis, qvæ propter Lilantum agrum facta sunt, occubuit) & cùm de recitatis carminibus judicium ferre difficilimum esse videretur, qvænam omnium essent optima propter æqvalem excellentiam: cùm præsertim etiam certantium Homeri & Hesiodi gloria multam hæsitationem cum verecundia judicibus afferret: ipsos Poetas ad hujusmodi sese interrogationes contulisse: Et proposuimus (inqvit, Lesches) hoc modo, prior Homerus ænigma tale;

Ænigmata olim proponi solita.

Μοῦσά μοι ἔννεπε κεῖνα, τὰ μήτ᾽ ἐγένοντο πάροιθεν,
Μήτ᾽ ἔσται μετόπισθεν.

Hoc est:

Dic mihi, qvæ nunqvam aut antehâc, ô Musa, fuere:
Aut nunqvàm post hæc sunt eventura.

Solutio Griphi.

Respondit autem Hesiodus ita (ut fertur) ex tempore:

Ἀλλ᾽ ὅταν ἀμφὶ Διὸς τύμβῳ καναχήποδες ἵπποι
Ἅρματα συντρίψωσιν, ἐπειγόμενοι περὶ νίκης.

Hoc est:

Cum

Cum Jovis ad tumulum sonipes certamine franget
Accelerans currum, quia sit victoria curæ.

Atqve hac de causa dicitur Hesiodus, cùm omnibus de se maximam admirationem concitasset, victor declaratus Tripodem reportasse, qvem postea Musis in Helicone dedicavit. Vixit autem Hesiodus longissimo tempore, adeò ut etiam proverbio jactetur Hesiodi senecta, de iis, qvi admodùm vivaces sunt. Extat etiam de Hesiodi longa ætate Pindari Epigramma hujusmodi:

Sepultura & mors.

Χαῖρε δὶς ἡβήσας καὶ δὶς τάφου ἀντιβολήσας,
Ἡσίοδ' ἀνθρώποις μέτρον ἔχων σοφίης.

Hoc est:

Salve bis pubes, & bis mandata sepulchro,
Hesiode, ô sapiens, qvantum homo scire potest!

Qvod autem Hesiodum bis pubuisse referat Pindarus, de extrema senectute intelligendum est, qvæ qvodammodo pueritiam referre videtur; undè etiam proverbio perantiqvo jactatur: Δὶς παῖδες οἱ γέροντες, Bis pueri senes. Sed qvòd eundem bis sepultum appellat, ad historiam alludit, de qva Plutarchus in Convivio Septem Sapientum meminit in hunc modum, ut nos olim transtulimus: Cùm esset Locris Hesiodus in hospitis domo cum homine qvodam Milesio, qvi filiam hospitis vitiarat, & in stupro deprehensus fuerat; in suspicionem venit, tanqvàm ab initio sceleris illius conscius fuisset, & id tamen occultasset: cùm omni prorsus culpa vacaret, nihil ominus in odium & injustam criminationem incidit. Nam puellæ vitiatæ fratres circa Locrense Nemeum insidias illi struxerunt, & eum unà cum e-

Narratio mira de Hesiodo bis defuncto & sepulto.

ejus socio qvi Troilus dicebatur, interfecerunt. Horum corpora cùm essent in mare projecta; Troili qvidem cadaver in Daphnum fluvium, à mari ejectum adhæsit scopulo, non ita multum à mari distanti; & ad hanc usqve diem scopulus ille Troilus vocatur. Hesiodum verò mortuum à littore statim suscipiens Delphinorum multitudo, in Rhium exposuit, juxta Molycriam: ibi tùm forte Locrenses stata sacra peragebant. Erat enim ea celebritas, qvam etiam hoc tempore splendidè servant. Itaqve cùm allatum corpus visum fuisset, admirati omnes, (ut fit) ad littus accurrerunt; & cùm recens cadaver agnovissent, rebus omissis, cædis authores investigarunt, propter egregiam Hesiodi famam: & hoc qvidem celeriter effecerunt. Nam inventos eos & comprehensos, in mare vivos præcipitaverunt, & eorum domum subverterunt. Porrò Hesiodus in Nemeo sepultus est: sed pauci sunt alienigenæ, qvi sepultus est: sed pauci sunt alienigenæ, qvi sepulturæ locum sciant: siqvidem propter Orchomenios occultatus est qvi moniti Oraculo hujus viri reliqvias apud se servare conabantur. Hæc qvidem Plutarchus. Sed tamen ab Orchomeniis, qvi Minyæ dicti sunt, posteà Poetæ hujus ossa portata fuisse legimus, & in medio foro cum hoc Epigrammate collocata:

Vindicta in interfectores Hesiodi.

Epitaphium Hesiodi.

Ἄσκρη μὲν πατρὶς πολυλήϊος, ἀλλὰ θανόντος
Ὀστέα πληξίππων γῆ Μινυῶν κατέχει,
Ἡσιόδου τοῦ πλεῖστον ἐν ἀνθρώποις κλέος ἐστὶ
Ἀνδρῶν κρινομένων ἐν βασάνῳ σοφίης.

Qvæ nos paucis qvibusdam immutatis ita convertimus:

Ascra

Ascra qvidem fœcunda fuit tibi patria verum
Bellaces eqvites ossa tenent Minyæ,
Hesiode, ante alios fama præstantior omnes,
Qvi sapientum unqam nomine præstiterint.

Mortis occa sio.

Qvanqvàm autem de ejus interitu nonnihil variant auctores: tamen in hoc omnes conveniunt, ob admissum à socio stuprum interfectum fuisse. Nam Suidas eum ab Antiocho & Ctimeno per errorem interfectum tradit. Cùm enim ab eis hospitio susceptus fuisset, & illa nocte soror illorum vitiata esset, illi sororis constupratorem sese interficere rati; Hesiodum interemerunt. Scripsit autem Opera multa, qvæ Pausanias in Bœoticis commemorat. Præter enim Opera & Dies, & Theogoniam, & Scutum Herculis, qvæ sola sunt in manibus hoc tempore, scripsit etiam Astronomica, & Hypothecas, id est, vivendi præcepta, Qvæ tamen Qvintilianus Hesiodi negat esse, licet Aristoteles aliter censeat, præterea Heroum, & Heroidum Genealogias, & de Mulieribus & de Vaticinandi arte, qvam ab Acarnanibus, teste Pausania, didicerat. Nicocles, ut etiam Pindari interpres fatetur, Hesiodum ait primùm per Rhapsodias carmina composuisse: cujus etiam carmina refert, in qvibus Hesiodus de se fateatur cum Homero certamen iniisse, & in Apollinis honorem cecinisse. Ejus hæc carmina sunt:

Libri ab Hesiodo scripti.

Ἐν Δήλῳ τότε πρῶτον ἐγὼ καὶ Ὅμηρος ἀοιδοί
Μέλπομεν, ἐν νεαροῖς ὕμνοις ῥάψαντες ἀοιδήν;
Φοῖβον Ἀπόλλωνα χρυσάορα, ὃν τέκε Λητώ.

Hoc est:

In

In Delo tùm primùm ego Mæonidesq; Poëtæ
Lusimus, indq; novis carmen cantavimus hymnis,
Auricomum Phœbum, qvem Lotona edidit almæ.

Scripsit etiam de Dactylis Idæis, & Pelei Thetidisqve Epithalamium, & Epicedium in Buttachum amicum suum. Plutarchus in Convivio Septem Sapientum tradit, etiam de Medicina Hesiodum scripsisse. Plinius de Herbis ab eodem scriptum fuisse tradit. Volunt etiam qvidam, Hesiodum Apologorum eorum, qvi ab Æsopo nomen habent, auctorem fuisse. M. Manilius secundo Astronomicõn multis versibus explicat, qvæ scripserit Hesiodus: qvæ si qvis videre cupit, ab eo petat; est enim ipse Poeta in manibus. Qvin etiam apud Lucianum Dialogus est, qvi Hesiodus inscribitur, ub multa de se loqvente ipsum Poëtam Lucianu inducit. Sed de Hesiodi vita satis dictum sit. Nun operis hujus, qvod interpretandum suscepimus inscriptionem & materiam videamus. Inscribitu enim Opera & Dies: & in eo tractatur de Agricul turæ scientia: & qvibus diebus hoc vel illud facere conveniat. Scripsit autem Hoc Opus ad Persem fratrem suum: qvod exhortationes ad laborem pulcherrimas, & præcepta moralia, & tuendæ re familiaris rationem continet; & prætereà doctri nam Agriculturæ; temporaqve, qvibus arandum seminandumqve sit, & qvibus metendum; qviqv dies fœlices sint & auspicati, qvi nefasti & inauspicati. Ferunt enim, post parentum obitum faculta tes inter se Persem & Hesiodum divisisse, sed Persen statim se voluptatibus dedisse, & brevi tempore totum patrimonium dilapidasse: cùm interim Hesiodus frugaliter & honestè viveret: deind cùm jàm nihil sibi restare videret Perses, cœpisse

Transitio ad secundam orationis partem: qvi scopus est.

Cui liber iste dedicatus, nempè fratri.

Ratio dedicationis.

eum

cum Hesiodo litigare, & turpi judicio cum fratre confligtari: unde ab illa vitiosa vita atqve inerti conatur eum Hesiodus ad bonam frugem & laborem reducere. Sed cur opera & Dies inscripsit, & non potius contra, Dies & Opera? aut cur Opera primo loco posuit? Qvæstionem hanc solvit Poëtæ hujus interpres Joannes Tzetzes, Qvoniam (inqvit) ad desidem & inertem fratrem scribens, prius eum ad opera excitare voluit, qvam illi dies præscribere, in qvibus operandum esset. Frustrâ enim qværit qvis, qvi dies ad Opera & ad laborem apti sint, nisi prius apud animum suum aliqvid operari ac laborare decreverit. Qvæ sunt autem hæc tandem Opera, qvæ docet Hesiodus? Nempè qvà ratione qvis procul ab omni strepitu, possit honestè vivere, & per nullius injuriam rem suam amplificare: Terram scilicet colendo, & qvæcunqve ad eam artem spectant, diligenter præparando. Nam (ut primo de Officiis docet Cicero) omnium rerum, ex qvibus aliqvid acqviritur, nihil agricultura melius est, nihil uberius, nihil dulcius nihil libero homine dignius. Qvam apud eundem Ciceronem eo libro, qvi de Senectute inscribitur, Cato Major copiosè laudat: & nos alias integra oratione, qvantum facultas nostra tulit, in cœlum extulimus. Opera igitur, qvæ ad agriculturam pertinent, hoc in libro tradit Hesiodus. Sed qvinam sunt illi dies, qvi titulo designantur? Sciendum est, eam esse Dierum partitionem apud Hesiodum, ut alios admittat vel ad inspiciendum, vel ad efficiendum: rursus ut alios, velut emortuos, prætereat. Tres tamen Jovis appellat, ut primum diem mensis, qvartum & septimum: cur autem hoc faciat, conatur in qvadam ad Picum epistola Politianus rationem reddere. Qvar-

A sinu.

Ratio inscriptionis.

Qvid per opera intelligat?

Agriculturæ laus, ut studii sanè antiqvissimi, & à patriarchis exculti.

Qvid per dies velit?

Dierum observatio superstitiosa.

co lu-

to lunaris mensis die rectè nuptias contrahi confet Hesiodus, & naves ædificari. Septimum Sacrum appellat, in qvo natus Apollo sit; atqve ob id constare septenis fidibus Apollinis lyram existimant. Sextum puellis inutilem, generandis verò maribus utilissimum perhibet: qvo die castrare agnos jubet, & pecora septis includere: qvinetiam cavillis, & mendaciis, & blanditiis, & susurrationibus hunc diem dedicat. Octavum maximè laudat, tanqvam operibus aggrediendis admodum efficacem: atqve etiam sues & boves eo die rectè castrati existimat. Nonum appellat innocuum & procreandis liberis accommodatum: qvo die rectè etiam arbores conseri arbitratur. Undecimum in colligenda messe, lanisqve tondendis consumi jubet: qvibus tamen rebus peragendis duodecimum præfert. Nam in eo die scribit uraneum sua fila nere, & suas telas contexere; formicam autem ex granorum acervis prædari: præterea duodecimo die mulos sine periculo castrari posse tradit. Tertium decimum ait conferendis arboribus idoneum esse: qvoniam (ut ait Plutarchus) pleniore jam lumine insita vis radicibus diffunditur: eundem diem seminibus jaciendis incommodum esse vult. Qvartus decimus à Poeta Sacer appellatur, laudaturqve tanqvam idoneus fœminis gignendis; bubusqve & ovibus, nec non etiam mulis & canibus mansvefaciendis ac domandis: atqve eodem die relinendum esse dolium, & degustandum vinum. Sextus decimus neqvaqvam sationi utilis est; & potiùs gignendis maribus, qvàm fœminis convenit: neqve eo die nuptiæ sunt auspicandæ. Decimo septimo die Lunæ cædi arbores tempestivum est; qvoniam decrescere

Qvid qvoq; die agendum

Luna tum incipit, & humor, qvi lignis cariem inducere ſolet, minuitur: comportariqve ſao die fruges in aream jubet. Decimum nonum luſtrationi tribuit. Vigeſimum diem Magnum appellat; & ait, in eo prudentes & induſtrios homines gigni ſolere. Vigeſimum qvartum matutino tantum tempore probat. Solet autem Heſiodus qvartos omnes laudare; qvintos verò vituperare: in qvibus ait, furias errare, & perjuros omnes punire. Vetat autem vigeſimo qvarto die curis animum conficere, tanqvam eo die maximè noxium hoc ſit. Trigeſimus etiam magnoperè laudatur: in qvo jubet, ut opere diligenter inſpiciamus, & familiæ cibaria dividamus Hæc eſt eorum ſumma, qvæ de diebus hoc in Opere tradit Heſiodus. Jam igitur profectò videtis, qvæ ſit hujus tituli ſignificatio, & cur Opera & dies inſcribatur? Qvinetiam ipſius Poëtæ ſcopus atqve intentio manifeſta & perſpicua eſt. Nam (ut ejus interpres Proclus ait:) παιδευτικός ἐστιν hoc eſt, ad docendum accommodata. Videtur enim non alia de cauſa Opus hoc ſcripſiſſe; niſi ut primò fratrem ſuum, deindè reliqvos etiam populos ad rectè atqve honeſte vivendum informaret. Totum enim primum librum in præceptis ferè vitæ laudabiliter inſtituendæ conſumit, & ad colendam juſtitiam præcipuè adhortatur. Qvâ de cauſa non tantùm Græci veteres, ſed etiam Romani Poetam hunc ſuis liberis ediſcendum proponebant: propterea qvòd nullum ad teneram ætatem, bonis moribus informandam, utiliorem eſſe cenſebant. Undè Cicero ad amicum ſuum Leptam ſcribens hortatur, ut filium ſuum jubeat Heſiodum ediſcere, & ejus præclaras ſententias in ore habere; cujus hæc verba ſunt

Dierum delectus.

Fructus & finis carminum Heſiodi.

Quæ eſt Juſtitia & æqvitas.

Adhortatio ad Heſiodi lectionem.

sunt: Lepta suavissimus ediscat Hesiodum & habeat in ore:

Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα Θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν

Per exempla testimoniorum.

Plato enim qvarto de Legibus: Primo Hesiodum (inqvit) sapientem multi prædicant, cùm dicat, Viam ad vitia planam esse, ac sine sudore peragi. Qvia brevissima sit: sed ante virtutem (inqvit) Dii immortales sudorem posuerunt; & via, qvæ ad eam ducit longa, ardua & aspera primùm est; sed postqvam ad summa fastigia perventum fuerit, qvæ priùs ardua via fuerat, facilima redditur. Qvin & Aristoteles Ehicorum primo; jubet eos, qvi sapientiæ præceptis ad rectè vivendum indigent, Hesiodi carmina audire. Qvarè non potest non probatissimus videri Poeta ille, qvem non tantùm celebris omnium fama prædicat; sed etiam reliqvorum omnium præstantissimi scriptores, Plato, Aristoteles, Cicero suis suffragiis maximè comprobarunt. His accedit Qvintiliani calculus, acuti sanè atqve ingeniosi Rhetoris, qvi hunc Poetam ita celebrat, ut dicat, utiles ejus ad præcepta sententias esse: lenitatemqve verborum & probabilem compositionem ejus prædicat: deniqve palmam huic in illo mediocri dicendi genere facilè concedit. Itaqve cùm apertè intelligatis, ex hujus Poëtæ lectione non tantùm Græcæ Lingvæ eruditionem, qvæ per se vos maximè movere debet; verùm etiam gravissimas sententias, & præcepta vivendi utilissima percipere posse: unusqvisqve vestrum contendere atqve eniti debet, ut ad ejus audiendam interpretationem, animi alacritatem & cele-

Conclusio.

Usus lectionis Hesiodi duplex;
1. Ad lingvam.
2. Ad mores.

celeritatem; ad intelligendum mentis acumen, ad edifcenda carmina memoriam accommodetis.

IN PINDARUM, PRÆFATIO IV.

Exordium à gnome.

QVÆ res in omni vita duæ plurimùm valent, Auditores; hæ mihi femper majorem in modum placuerunt; Amor & Labor. Qvarum altera me incendit & inflammavit ad optimarum artium ftudia: altera verò fecit, ut qvod cupiebam, aliqva ex parte confeqverer. Amor ad contemplandam virtutis pulchritudinem fcientiarumqve varietatem me induxit: Labor, qvam putant alii difficilem atqve arduam Mufarum viam, eam mihi planam atqve facilem reddidit. Atqve adeò in hanc mentem me primò induxit fapientiffimus poëta Virgilius, qvi & Amori & Labori vim eandem attribuit. Cùm enim paftoritio Carmine fuo tam dixiffet: Omnia vincit Amor: non dubitavit etiam in Georgicis exclamare: Labor omnia vincit. Deinde, cùm per amœna Græcorum vireta mihi fpatiari datum fuiffet: nihil apud veteres, illos fapientiffimos homines, Amore ac labore magis celebratum inveni. Sed ex omnibus eorum fententiis, qvæ penè funt innumerabiles, duas mihi eligendas cenfui, qvibus mea ratio meliùs confirmaretur. Qvarum altera Menandri eft, de Amore: Ἔρωτος ὐδὲν ἰσχύει πλέον. Altera Euripidis de Labore. Ὁ πόνος εὐκλείας πατήρ. Qvibus rebus affectum eft, ut à fapientiffimo Senatu noftro Mediolanenfi-

Amor & labor duo inftrumenta difciplinarum acqvirendarum.

Occasio declarandi hunc Poetam.

lanensi, qvem honoris & amplitudinis causa nomino, cùm jampridem mihi Latinas literas publicè profitendi provincia demandata fuisset, hoc tempore dignus existimatus fuerim, cui etiam Græcarum Literarum publica professio committeretur. Qvare qvid mihi homini novo, vel ad præsentis temporis fructum commodius, vel ad posteritatis memoriam gloriosius accidere potuisset?

Translatio ad auditores cum admonitione.

Meum est igitur, Auditores, cùm in labore & amore tantas esse commoditates expertus fuerim, vos adhortari, ut duas has res sic amplectamini, nihil ut magis vobis esse cordi videatur: qvod & alias sæpe feci, & posthâc, qvoties sese offert occasio, libentissimè faciam. Num cùm ex Decreto Senatus nostri, qvem ordinem (ut dignus est) tanqvàm Numen aliqvod veneror, Græcam sim Linguam publicè professurus, reddenda mihi ratio est, cur ex omnibus Græcis auctoribus Pindarum potissimum mihi interpretandum elegerim: ne si rationem instituti mei non reddidero, id sine causa fecisse videar.

Redditio de rationis proposito.

Attentionis excitatio.

Mea semper sententia fuit, Auditores, boni Professoris officium esse, non ea qvæ trita sunt atqve vulgata, atqve omnibus cognita; sed qvæ recondita sunt, & non ita multis intellecta, ad interpretandum esse sumenda: si modò pulchra sint ea, magnamqve audientibus utilitatem allatura. Qvis enim per publicam viam (qvod ajunt) nescit ambulare? Qvis à plurimis jam impressa vestigia seqvi nescit? Tentanda via est, per qvam non anseres, non corvi, non graculi: sed tantùm Musarum aves volare possint.

I.

Ab autoritate & gravitate Pindari

Verùm inter Græcos Poetas neminem ex probatis esse censeo, qvi cùm minùs vulgatus sit, qvàm Pindarus, vel reconditiorem variarum rerum eruditionem, vel gravio-

graviores sententias, vel feliciorem ubertatem in sese contineat: qvæ non mea: sed doctissimorum hominum sententia est. Qvis enim Qvintiliani testimonium & encomium de Pindaro legens, non ad eum amandum, legendum & ediscendum excitetur? Qvem non moveat his verbis Qvintilianus? Novem verò Lyricorum longè Pindarus Princeps, spiritus magnificentia, sententiis, figuris, beatissima rerum verborumqve copia, & velut qvodam eloqventiæ flumine: propter qvæ Horatius eum meritò credidit nemini imitabilem. Qvid? Horotii, carmina qvàm in sublime Poetam hunc efferunt!

Ab eulogio Flacci.

Pindarum qvisqvis studet æmulari,
Jule ceratis ope Dædalea
Nititur pennis; vitreo daturus
Nomina ponto.
Mente decurrens velut amnis, imbres
Qvem super notas aluere ripas,
Fervet, immensusq; ruit profundo
Pindarus ore.

Et qvæ seqvuntur. Julius Firmicus ex ejus genesi divinum Poetam Pindarum appellat. Qvid Græci scriptores qvantoperè Poetam hunc admirati sunt? Nam Philostratus in imaginibus suis hunc præter cæteros maximè commendat, & propter ejus natalem Nymphas ac Deos omnes festum celebrasse scribit. Qvinetiam ajunt Pindarum Apollini gratissimum fuisse: qvæ opinio, dum adhuc ipse Poeta viveret, tantoperè invaluit, ut ab Apollinis sacerdote freqventer in templum ad cœnam vocaretur; & eorum, qvæ offerebantur, sic præcipuente Oraculo, partem acciperet: qvo qvid honorificentius aut gloriosius excogi-

3. A testimonio aliorum.

4. Ab honoris delatione.

5. A commendatione.

tari poteſt? Ferunt etiam Pana paſtorum Deum Pyndari hymno, qvem in ejus laudem conſcripſerat, tantoperè laudatum fuiſſe, ut in ſylvis & montibus eum freqventiſſimè contineret. Illud ex Hiſtoriis ſanè conſtat, Alexandrum Magnum tantum venerationis huic Poëtæ tribuiſſe, ut cùm Thebas diriperet, Pindari familiæ penatibuſqve parci juberet: cujus rei Plinius auctor eſt. Hoc etiam anteà Lacedæmonios feciſſe, memoriæ proditum eſt: cùm enim Thebas expugnaſſent, Pindari domui familiæqve pepercerunt, qvoniam in foribus verſum hunc ſcriptum legerunt:

6. Ab Alexandri Magni laude.

Τῦ Μουσοποιῦ τὴν στέγαν μὴ καίετε.

Narratio de ejus vita.

Fuit autem Pindarus (ut aliqvid de ejus vita attingam) Thebanus genere: unde & Dircæus Cygnus ab Horatio dicitur:

Multa Dircæum levat aura Cygnum.

1. A patria parentibus,

Eſt enim Dirce Mons apud Thebas. Pater ejus tibicen fuit qvi Scopelinus atqve etiam Deiphantus dicebatur. Primò igitur Pindarus patris artem didicit: poſtea vero cùm à patre Laſſe Hermionæo, Poëtæ Lyrico in diſciplinam datus fuiſſet, tanta fuit ejus diligentia, atqve divina vis ingenii, ut non ita multò pòſt præceptorem ipſum longè ſuperaſſet: diceretqve veriſſimum illud eſſe proverbium; qvod apud Græcos vulgò fertur: Πολλοὶ μαθηταὶ κρείσσονες διδασκάλων. Tradit Pauſanias; cùm Pindarus eſſet adoleſcentulus, & Thebis Theſpias iret; æſtu meridiano fatigatum, paulum è via divertiſſe, atqve in umbra qvadam obdormiviſſe; apes vero multas dum dormiret, ad eum acceſſiſſe, & ejus ori mel inſeruiſſe: qvæ res ſvaviſſimam ejus eloqventiam portendit: Unde Poëta qvidam Græcus

2. Ab educatione.

3. A casu mirabili.

Græcus ita Pindarum alloqvitur:

Πίνδαρε, Μυσάων ἱερὸν ςόμα καὶ λάλε Σειρήν.

4. Ab ævo qvo vixerit.

Floret eo tempore, qvo Xerxes Persarum Rex magnum illum exercitum in Græciam adduxit, qvo tempore etiam Æschylus in scena florebat. Vixit annos qvinqve & qvinqvaginta: ut Suidas auctor est: deindè cum petiisset ab Apolline, ut, qvod omnium esset optimum, sibi daretur: cum esset in Theatro, in gremio pueri, à se dilecti, mortuus est, Valerius Maximus, libro nono, cap. duodecimo, Poetæ hujus mortem scribit. Multa qvidem Opera scripsit; sed Hymni tantum in qvatuor ludorum genera, Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia, supersunt: reliqva ejus scripta, temporum injuria interierunt. Poeta Lyricus ideo dictus, qvod ad lyram carmina sua concineret. Nam erat hæc apud veteres consvetudo (qvemadmodum Izacius Tzetzes, Lycophronis interpres scribit) ut Lyrici Poetæ, ad lyram carmina sua concinentes, certarent, & chorus qvinqvaginta hominum astaret in circulo: victores autem præmii loco Taurum acciperent. Fuit cuttm Lyra Musicum instrumentum, qvæ eadem etiam Cithara dicebatur & à Græcis Φόρμιγξ. Multum enim decipiuntur illi, qvi putant Lyram à Cithara diversam esse: propterea qvod vulgo, qvæ nostro tempore Lyra vocatur, ab ea, qvam Citharam vocant, longè diversa videatur. Nam apud antiqvos eadem erat omnino Lyra, qvæ Cithara: qvod in Opusculo qvodam ad Hieronymum Cardanum multis argumentis probamus. Fuerunt autem Lyrici Poetæ celebres novem, qvorum nomina qvodam Epigrammate Græco sic exprimuntur:

5. Ab ætate & morte.

6. Res gesta, id est, libri, qvos conscriptos reliqvit.

Pindarus est Lyricus.

Lyra qvale organum?

Cithara & lyra an eadem?

Εκλαγεν ἐκ Θηβῶν μέγα Πίνδαρος· ἔπνεε τερπνά
Ηδυμελιφθόγγου Μοῦσα Σιμωνίδεω
Λάμπει Στησίχορός τε καὶ Ἴβυκος, ἦν γλυκὺς Αλκμάν,
Λαρὰ δ' ἀπὸ στομάτων φθέγξατο Βακχυλίδης
Πειθὼ Ανακρείοντι συνέσπετο, ποικίλα δ' αὐδᾷ
Αλκαῖος Κύκνῳ Λέσβιος Αἰολίδῃ
Ανδρῶν δ' οὐκ ἐνάτη Σαπφὼ πέλεν ἀλλ' ἐρατειναῖς
Εν Μούσαις δεκάτη Μοῦσα καταγράφεται.

Hoc poetarum genus ſcribere ſolebat Deorum hymnos, victorum in publicis ludis laudes, juvenum amores & convivia: qvod Horatius in Arte poetica ſignificat:

Muſa dedit fidibus Divos, pueroſq; Deorum,
Et pugilem victorem, & eqvum certamine primum,
Et Juvenum curas, & Libera vina referre.

Reditus,

Sed ad Pindarum noſtrum revertamus, qvi ſuaviſſimis cantionibus ſuis victores publicorum certaminum ſibi celebrandos ſumpſit. Fuerunt autem apud Græcos olim qvatuor Ludorum præcipuè genera; in qvibus propoſitis præmiis, & curſu, & pugilatu, & lucta, & ſaltu, & diſco certabatur. Primum Ludorum genus Olympia dicebantur (nam apud Græcos horum certaminum nomina numero multitudinis, & neutro genere proferuntur) ab Olympia civitate cognominata, qvæ eadem etiam Piſa vocata eſt, auctore Stephano, apud qvem agebantur. Fuerunt autem ab Hercule in honorem Jovis inſtituta, ut ſuo loco declarabimus; & qvinto qvoqve anno celebrantur. Victores horum Ludorum Olympionicæ vocari, & oleaſtro coronari ſolebant. Secundum Ludorum genus Pythia vocabantur, ſic à Pythone ſerpente, qvem Apollo interfecerat,

1. Olympicus.

Olympici ludi & feſta qvæ?

rat, appellata. Tradunt Eurylochum Thessalum Amphictyonum ducem, debellatis Cirrhæis, hos ludos primum apud Delphos instituisse, in Apollinis Pythii honorem; qvi qvinto qvoqve anno celebrarentur, qvemadmodum etiam Olympia. Sed victores primò coronam esculeam accipiebant: posteà verò, succedente tempore, lauream. Sic enim Ovidius Metamorphoseon libro primo:

2. *Pythius.*

Hic juvenum qvicunq; manu pedibusve rotave
Vicerat, esculeæ capiebat frondis honorem.
Nondum laurus erat.

Vide etiam I.C. Scaligerum l.1. Poet c. 23.

Tertium genus Ludorum vocabantur Nemea; sic à loco, ubi fiebant, dicta. Est enim Nemea regionis Argivorum pars. Celebrabantur autem primò in honorem Archemori pueri: Lycurgi sacerdotis filii, qvem serpens interfecerat: & erat funebre certamen, in qvo vestibus atratis Judices induti, de victoribus pronunciabant. Victores apio viridi coronabantur. Posteà verò Hercules, devicto Nemeæo Leone, Jovi sacros hos ludos esse voluit. Qvarum & ultimum Ludorum genus dicta sunt Isthmia, propterea qvòd apud Isthmum Corinthium agebantur. Est autem Isthmus, terræ qvædam angustia, qvæ Jonium & Ægæum mare separat. Hi ludi fiebant in honorem Melicertæ, seu Palæmonis Athamontis filii, qvem marinum Deum putabant. Sisyphus Corinthiorum Rex primus hos ludos instituisse dicitur. Corona ex pinu victoribus dabatur: & tertio qvoqve anno ludi renovabantur, qvod Nemeorum Oda sexta Pindarus indicat: licet Plinius aliter sentiat. Extat apud Græcos Epigramma satis egregium Archiæ

3. *Nemeus.*

4. *Isthmius.*

Autor horũ ludorum.

Victoris præmium.

Poetæ, ejus qvem defendit Cicero, in qvo qvatuor hæc Ludorum genera, & in qvorum honorem fierent, & qvæ victoribus essent proposita præmia, breviter concludit hoc modo:

> Τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἀν' Ελλάδα, τέσσαρες ἱροί.
> Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων.
> Ζηνὸς Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Αρχεμόροιο,
> Αθλα δὲ τῶν κότινος μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Conclusio. Hæc sunt igitur, qvæ Poeta noster Pindarus celebrat: horum certaminum victores summis ad cœlum effert laudibus: ac primo loco ponit Olympionicos; secundo qvi Pythia vicerunt; tertio qvi Nemea; postremo, qvi Isthmia. Sed dum patriam ejusqve victoris, originem civitatum ac familiarum pervestigat, magnas sæpe tenebras & obscuritatem lectoribus offundit, Atqve ut in summa dicam: sive res, qvas tractat Pindarus, sive locutionem, sive carminum varietatem spectes; magna est in eo difficultas, magna obscuritas. Qvæ tamen neminem vestrum deterrere debet: cum præsertim tantam sitis utilitatem ex Pindari lectione reportaturi, qvem ego tam apertè, tam facile sum interpretaturus, ut etiam literarum Græcarum penitus rudes, si modo diligenter audire voluerint; omnia possent intelligere. Vos igitur prompto atqve alacri animo Poetam hunc amplectimini, amate, colite, qvo duce, Græcorum difficultates, atqve (ut ita dicam) Labyrinthos & Mæandros facilè transibitis. Nam si hunc recte intellexeritis, reliqvi omnes longe faciliores vobis postea videbuntur. Excitet igitur ille, qvi superat omnia, virtutis & scientiarum Amor. Nam (ut ait Cicero) Nihil est, qvod amo

Gravitas & obscuritas Pindari.

Grande genus loqvendi Pindarus sectatus.

Adhortatio.

re & ſtudio effici non poſſit. Facite, ut Epicharmi ſententiam illam in animo atqve in ore ſemper habeatis:

Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγαθ' οἱ Θεοί.

Nam ſi (qvod initio dixi) duas has res conjunxeritis, Amorem (inqvam) & Laborem: nihil eſt, qvod qviſqvam veſtrum dubitet, qvin non tantùm hunc Poetam ſit intellecturus; ſed etiam brevi multum in omni diſciplinarum genere profecturus.

IN DEMOSTHENEM.

PRÆFATIO V.

ETSI vereor, juvenes, ne fortaſſe ingenii mei ac virium infirmitas in Demoſthenis, omnium Oratorum principis, Orationibus explicandis, in hac præſertim tam florenti civitate, in qva plurimi ſunt, & Latinè & Græcè doctiſſimi, pleriſqve ſatisfacere non poſſit: minimèqve deceat, cùm nulla ſit eloqventia, nulla dicendi facultas, qvæ vel aviditati meæ, vel rei magnitudini, vel eruditiſſimis auribus veſtris ſatisfaciat, Demoſthenis ipſius immortales laudes attingere: tamen iſte freqvens conſeſſus veſter, & hic locus, ad profitendas literas ornatiſſimus, & ad dicendum ampliſſimus non alium authorem, qvàm Demoſthenem interpretandum ac laudandum poſtulat. Neqve enim vobis bonarū

Exordium per occupationem, cum extenuatione modeſtâ.

Occupationis ſolutio cum inſinuatione.

Ab autoris existimatione & præstantia.

tantum literarum amatoribus placere poteſt ullus author, qvi non eximius eſſe videatur: neqve publicum hoc, qvo nos fungimur interpretandi munus patitur, ut vulgares iſtos ac minutos ſeqvamur authores.

Ratio.

Qvamobrem veteris illius ac laudati proverbii memores, qvo rectè ſanè præcipiunt: Ut ad res ſummas & egregias enitamur; ſic enim futurum, ut ad mediocritatem perveniamus: hunc ſummum omnium authorem vobis exponendum elegimus.

Exaggeratio à ſublimi rhetoris eloqventia.

Nam qvamvis multis enitentibus nullus unqvam fuerit, qvi perfectè divinam ejus eloqventiam exprimeret; cujus Orationes (ut Demades joco dixit) ad qvam ſcriptæ, non niſi à ſobriis ac vigilantibus poſſunt intelligi:

Accommodatio.

tamen ut qvi freqventer in ſole ambulant, facile natura fit, ut colerentur: ita qvi Demoſthenis orationes ſtudioſius legunt; ſentiunt orationes ſuas earum cantu qvaſi colarari.

per attentionem.

Itaqve conſilium meum à vobis omnibus probatum iri confido, qvod ex Græcis auctoribus, hunc potiſſimum elegerim, qvem omnium eruditorum conſenſus ſic eſſe primum ſtatuit, ut nullus omnium ſeculorum memoria fuerit, qvi cum eo conferri poſſe videatur.

Comprobatio à ſui ipſius exemplo.

Cujus ego ſtatim ab ineunte adoleſcentia tanto ſtudio ardoreqve flagravi, ut non ſolùm freqventer accuratéqve legerim, & totum evolverim: ſed etiam duos annos pene qvotidie multis audientibus interpretatus fuerim: & juvenili qvodam fervore, ac prope dicam temerario, nonnullas etiam Orationes in Latinum ſermonem converterim.

Effectus lectionis Demoſthenicæ.

Qvæ res tantum mihi profuit, & ad dicendum & ad intelligendum, ut qvicqvid in Græcis Literis me profeciſſe ſentio, qvicqvid dicendo conſeqvi poſſum, id uni penè Demoſtheni acceptum feram. Qvapropter ingratus ſim:

ſim: niſi, qvantum in me eſt, eximias ejus laudes afferam, & qvaſi magiſtrum eum agnoſcam. Qvod enim nobis exemplum aut qvem ſcopum excellentiorem præfigere poſſumus qvo ſtudium & cogitationem noſtram dirigamus, qvàm Demoſthenem? cujus tanta fuit vigilantia, tantus labor, ut de eo merito dictum ſit: Alterum Demoſthenem, matrem, alterum induſtriam enixam eſſe: qvi tantoperè ſtudiis eloqventiæ deditus erat, ut vehementer ſe dolerè diceret, ſi qvando opificum antelucana victus eſſet induſtria. Sed præſtat, aliqva de ejus patria, vita, moribus, breviter commemorare, ut qvicunqvè veſtrum honoris & gloriæ deſiderio trahitur, pulcherrimum ſibi ante oculos exemplar ſtudii ac diligentiæ proponat. Nam in nullius hominis vita clarius elucet, qvàm in Demoſthene, qvod divinus Plato dixiſſe perhibetur: Gloriam eſſe laboris filiam. Fuit igitur Demoſthenes, Athenienſis genere: ut hæc ejus prima felicitas habeatur. Nam Euripidem Tragicum Poetam dixiſſe ferunt: Eum illuſtri primum patria prognatum eſſe oportere, qviſqvis felix homo ſit futurus. Qvid autem unqvam Athenarum civitate fuit illuſtrius, qvæ inter cæteras omnes totius orbis civitates, tanqvam ſol qvidam fulgentiſſimus inter minora ſidera diutiſſimè reluxit? Ex hac enim urbe, ſapientiæ principes innumerabiles exiere: in hac (ut M. Tullius ait) alta eſt atqve nutrita ratio: ad hanc urbem, tanqvam ad bonorum omnium fontem, populi ac nationes undiqve confluebant: & qvicunqve aliqvid percipere, aut audire ſtudebant, vel qvi de ingeniis poterant judicare, cognitione dignam exiſtimabant. Hinc illi ſapientiſſimi Philoſophi, Socrates, Plato, Pole-

Concluſio exordii.

Exaggeratio repetita.

Tranſitio ad propoſitionem,

per locos perſonarum.

I. A patria.

Athenarum ſplendor.

Academiæ, ceu Eqvus Trojanus.

Ostensio per inductionem. Polemo, Speusippus, innumerabilesqve alii qvorum ubiqve nomina celebrantur: hinc Historici, hinc Poetæ, hinc Oratores plurimi, qvibus primam hic noster Demosthenes palmam præripuit: hinc omnium disciplinarum Professores evasere. Ad hujus civitatis inflammationem & exemplum inflammati Romani, ad eam, qvam scimus omnes, amplitudinem imperii pervenerunt; neqve ullum est ferè paulò nobilius, aut præclarius Romanorum factum, qvod non qvasi ad exemplar Atheniensium effectum esse videatur. *Roma Athenarum æmula.* Jam verò is fuit Athenis verborum splendor, ea venustas, ut qvoties Romani Autores aliqvid egregie laudare voluerint, qvo nihil splendidius aut elegantius dici possit, Atticos sales, Atticos lepores, Atticam eloqventiam appellare consveverint. *Lingva Atticæ elegantia & svavitas.* *Comparatio à minore.* Qvin Aristides scriptum reliqvit; Aliorum omnium, non solùm Barbarorum omnium: sed etiam Græcorum sermonem, si cum Atheniensium elegantia comparetur, puerorum videri balbutientium. Hinc est, qvod Cicero Platonis Atheniensis dictionem tantum admiretur, ut uon dubitarit dicere: Jovem ipsum, si loqvi velit, non aliter locuturum, qvàm scripserit Plato. Hinc est, qvòd in Periclis labris veteres Comici leporem habitare dixerint; qvòd idem ab Aristophane Poeta fulgurare, tonare, & permiscere Græciam dictus est. Ex hac igitur tam clara civitate natus Demothenes, parentes etiam satis divites & nobiles habuisse dicitur. Qvamvis enim Valerius Maximus Demosthenis patrem cultellos venditasse scribat: matrem verò dicat Æschines Gylonis cujusdam, ob proditionem ab Athenis pulsi, & barbaræ mulieris fuisse filiam: tamen cum ab hac infamia Theopompas Historicus

ricus omninò liberat, qvi Demosthenis patrem tradit in primis honestum Athenis ac probum virum fuisse, qvi Machæropæus ideo cognomento dictus est, qvòd gladiorum egregiam officinam, multis opificibus instructam, haberet. Qvod certe mihi magis fit verisimile; cùm Plutarchus in sacris amplo patrimonio relictum à patre, cum septimum ageret annum, Demosthenem scribat: sed cùm ejus tutores partim bona surriperent, partim negligerent, non potuit iis artibus ac disciplinis instrui, qvibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet: cùm præsertim esset etiam imbecillo corpore, nec sineret eum mater laboribus onerari, verita ne fortasse in adversam valetudinem incideret. Qvod commune ferè matrum solet esse vitium, ut infantiam statim deliciis solvant. Mollis autem illa educatio, qvam indulgentiam vocamus (ut ait Qvintilianus) nervos omnes & mentis & corporis frangit. Itaqve cùm molliter educaretur à matre puer adhuc Demosthenes, à pueris Batalus cognomento dicebatur. Fuit enim Batalus tibicen qvidam mollis & effœminatus, ut Plutàrchus tradit; qvamvis alii lascivorum carminum Poetam Batalum fuisse velint. Dictus est etiam Argas ob morum asperitatem & amaritiem: nam Poetæ qvidam anguem ac serpentem Argan vocitarunt: vel qvod adeo durè loqveretur, ut audientes non mediocriter angeret. Ferunt enim Argan qvendam fuisse, qvi leges duras ac difficiles tulerit. Sed utinam qvemadmodum adolescentes plurimi Demosthenis pueritiam, & mollem & enervatam imitantur: sic etiam cum ea doctorum hominum gloriam & celebritatem suspicientes, ad honestatem atqve ingenuas artes inflammentur! Nam ad Orato-

2. A Parentibus per occupationem ob calumnias.

Remora ex injuria Tutorum.

3. Ab educatione.

Cognomina Demosthenis

Exclamatio in disparo amulatione.

4. *Vitæ genere seu studio.* riam artem initio Demoftenes ab hujuſmodi cauſa dicitur animum appuliſſe. Erat eo tempore Athenis inſignis qvidam Orator, Calliſtratus nomine: is cùm Orophagendam in judicio cauſam ſuſcepiſſet maximam omnibus expectationem de ſe concitavit: itaqve cùm ad eum audiendum undiqve concurrerent, Pædagogum ſuum Demoſthenes obſecravit, ut ſe etiam ad eam actionem duceret. Ille, ut qvi cum oſtiariis familiaritatem haberet, facile in foro locum impetravit, in qvo puer clam ſederet, & audiret. Cum igitur Calliſtratus egregiè peroraſſet; atqve in eo judicio victor extitiſſet; omnes eum ad cœlum laudibus efferebant, omnes admirabantur, omnes ingenti plauſu excipiebant. Qvæ cum Demoſthenes, in turba latitans, omnia videret, cœpit eum laudis & gloriæ deſiderium excitare. Dormiebat in eo videlicet ea divina vis ingenii maternis blanditiis conſopita; qvæ cum primum nitorem ac ſplendorem vidit, cœpit emicare. Qvam creditis mentem Demoſthenis fuiſſe, Juvenes? qvem animum, cùm tanto in honore Calliſtratum eſſe videret? cùm etiam ab omnibus celebrari, à foro magnâ cum gloria deduci: de illo uno voces ubiqꝫ jactari, omnium oculos in illum unum conjectos? Eqvidem credo, laudis amore cor illius adeò cœpiſſe palpitare, ut (qvod ait Plautus) artem ludicram facere videretur: ipſum verò adeò commotum ac perturbatum amiſſi temporis recordatione, ut nullo modo lachrymas continere potuerit: atqve ita ſecum tacitè locutum: O me miſerum & infelicem, qvi florem ætatis fruſtra conteram; qvi non intelligam, has delicias & voluptates brevi dilapſuras; qvi non æternitatis dulcedine commovear!

Occaſio, qva pervenit ad rhetorices ſtudium.

Excitat auditor ſtudiũ &c.

Exemplorum vis.

Illuſtratio per adumbrationem & perſonæ fictionem.

movear! O triste fatum meum, siqvidem inglorius & infamis semper futurus sum! Ergo unus Callistratus in omnium ore versabitur? Demostheni per ignaviam tempus peribit? O si pueriles annos rectè collocassem! qvibus illi negociis, qvibus ineptiis, per impudentiam mihi defluxere? O mater! mater, tu tuis me blanditiis perdidisti! Heu sortem iniqvam! Nemo unqvam mihi virtutis speciem ostendit, nemo desidem ac inertem excitavit, nemo scientiæ pulchritudinem aperuit. Sic infelix pupillus, neglectus ab omnibus, rerum ignarus turpiter vixi! Sed jam valeant deliciæ, valeat matris indulgentia; procul ò procul absint voluptates, qvibus nullum est cum virtute commercium! En unicum est remedium: Toto impetu ferar ad labores; ardentiùs ac vigilantiùs literarum studia complectar; nullum me ocium; nullus somnus retardabit; non fames, non sitis, non frigus, non calor ab incepto studio removebit. Ingens enim (ut video) gloria longo labori comitatur. Hæc secum locutus Demosthenes, maximo animi ardore ad omnium rerum dominam eloqventiam se contulit, cœpitqve & meditando, & dicendo seipsum exercere: & qvamvis eo tempore doceret Isocratres: Isæo tamen uti præceptore maluit; vel qvia, cùm adhuc esset in tutela: decem minas, qvas Isocrates, à discipulis exigebat, persolvere non poterat; vel qvia magis Isæi dicendi facultatem, ut efficaciorem, & judiciis aptiorem, probabat. Dedit etiam Philosophiæ operam, & Platonem audivit, ut qvidam scribunt, inter qvos etiam Cicero: sed cum jam esset adultus, & se aliqvid in dicendo posse intelligeret, tutoribus suis litem intendere

Apostrophe ad matrem nimis blandam.

Correctio cū reditu ad frugem meliorem.

Labor improbus omnia vincit.

Ratio ab effectu.

5.
A Præceptoribus & magistris.

Specimen primum Oratoriæ facultatis.

dere constituit, atqve eos dies dicta in judicium vocavit: & qvamvis multas illi calumnias & Mæandros excogitarent, tamen ob assiduam in eos meditanti & scribendi diligentiam, non sine periculo superior evasit Attamen minimam partem bonorum, qvibus ab eis defraudatus fuerat, exegit. Hinc sumpta audacia, atqve orandi consvetudine, cùm jam actionum ac judiciorum ambitionem degustasset, in lucem prodire constituit, & Rempubl. administrare sed cùm ad populum verba faceret, nimio qvoqve strepitu movebatur, omnesqve ridebant ejus orationem, longo verborum ambitu confusam, & supervacaneis argumentis elaboratam. Qvinetiam vox ejus exilis erat, & obscura atqve incerta locutio, & infirma latera; ut non facilè posset, qvid ab eo diceretur, intelligi Qvarum rerum desperatione motus, tristis ac mœrens successit in Pyræum, ut ibi fortunam adversam suam & infelicitatem deploraret. Sed cum in Eunomium qvendam Tarsium incidisset, ab eo vehementer reprehensus est, qvod, cùm ejus oratio Periclis orationi per similis esse videretur: seipsum tamen per ignaviam ac socordiam perderet, neqve concionum fluctus ac fori strepitum perferre posset; sed animi mollitie naturæ bona frangeret. Qvibus ille verbis commotus, iterum verba facturus ad populum processit: sed cùm nihilo feliciore successu sperneretur, non mediocriter mœrebat. Hic libet hominis mirari constantiam, & animi magnitudinem: qvi cùm plurimos videret Oratores in magno esse honore: & attentissimè ab omnibus audiri; se verò pene solum contemni & irrideri; non tamen animo cecidit: sed qvò minùs ex sententia rem sibi succedere videbat, eò magis ad labores

6. Progressus & profectus in dies in hoc studio majores.

Objectio & obstacula.

Exilium.

Consilii prioris mutatio.

Correctionis fructus.

Vox amici, vox DEI.

Adversa ratio in urgendo studio semel cœpto.

bores & vigilia incendebatur. Erat eo tempore, Ludius qvidam, Satyrus nomine, qvi cum magnam Demosthenes familiaritatem habebat; neqve minorem, qvam habuerit postea cum Roscio Cicero: apud hunc cùm aliqvando tristis conqveretur Demosthenes, qvod cùm omnium maximè tempus & diligentiam ad dicendum adhiberet; nullam tamen apud populum gratiam asseqveretur. Ego, (inqvit ille) si qva mihi Euripidis aut Sophoclis carmina recitare volueris, facilem hujus rei tibi medicinam ostendam: qvod cùm libentissime se facturum Demosthenes respondisset, sic ejus vocem & actionem Satyrus emendavit, ut non amplius ille Demosthenes horridus & incultus, sed alter videretur. Ex hoc tempore tantum homini crevit animus ad eloqventiam, tantus ardor ad dicendum, ut nihil posteritati reliqvum fecerit, qvod ad ejus industriam & vigilantiam addi possit. Discite igitur, Juvenes, qvantis laboribus, qvantis vigiliis, qva cura, qva solicitudine, sua Demostheni steterit eloqventia; ut ad ejus imitationem animum erigatis; neqve speretis, per ocium ac negligentiam animi bona parari posse: qvibus qvi ornati fuerint: ii soli verè beati sunt. Cum igitur præclare intelligeret Demosthenes, qvantum in Oratione, vocis, & vultus, & gestus moderatio cum venustate posset, hypogæum qvoddam, hoc est, subterraneum ædificium sibi paravit, qvod ingressus qvotidie soles, ad vocis svavitatem se se exercebat, & gestum ac motum corporis fingebat. Sed illud animi pertinacis & admirandi fuit. Nam ut exeundi sibi domo licentiam præcideret, mediam sibi capitis partem abradebat. Itaqve sæpè numero duos atqve etiam tres menses domi inclusas, nunqvam

Qverela de successu minùs prospero Demosthenis

Qvantùm mutatus ab illo?

Conclusio per apodosin & apostrophè ad Auditores.

Transitio ad reqvisita oratoria facultatis.

Exaggeratio in nimia diligentia fervore.

scribendi aut meditandi exercitationem intermittebat. O verè studiosum, & omni laude prædicandum animum! Hæc est ea diligentia, hoc illud est studium, hæc industria, qvæ clarissimum & celeberrimum hominem reddit. Falsa est eorum qverela, qvi plerosqve dicunt, laborem ac tempora tarditate ingenii perdere, qvi paucissimis hominibus, asseverant, vim eam percipiendi & efficiendi, qvæ voluerint, esse concessam. Sit animus excelsus, indefessa cura, studium pertinax; etiamsi natura parum aspirârit, tamen qvicqvid sibi imperat, obtinebit: hac ratione Demosthenes, qvem pleriqve crediderunt, natura & ingenio non multùm valere, tam altè tamen evolavit, ut nullus ad ejus amplitudinem potuerit unqvam aspirare. Præliatus est enim (ut ait Valerius) cùm rerum natura, & qvidem victor abiit. Nam cùm ab ineunte ætate primam ejus artis, qvam affectabat, literam pronunciare nullo modo posset, oris sui vitium tanto studio expugnavit, ut posteà nullus esset, qvi literam eam expressiùs referret. Deinde cùm ejus vox, propter nimiam exilitatem & asperitatem, auditoribus molesta esset & acerba, continua exercitatione tantùm effecit: ut nemo svavius, aut gratius loqveretur. Cùm verò laterum infirmitate spiritum in dicendo non multùm trahere posset, etiam huic naturæ vitio remedium invenit: multos enim versus uno spiritu complectebatur, eosqve, ardua loca celeri gradu scandens, pronunciabat: cùmqve ad tumultus concitatæ multitudinis in actionibus obtunderetur, ad vadosa littora declamabat, ubi fluctuum immensi fragores audiebantur: ut eo strepitu completæ aures, concionum fremitus faci-

Exclamatio in re insolitâ.

Objectio.

Solutio.

Ostensio ab exemplo.

1. Ob literam R.

2. Ob exilitatem vocis.

3. Ob laterum infirmitatē.

faciliùs tolerarent. Fertur qvoqve lapillis, ori insertis, multùm ac diu loqvi solitus: ut ore vacuo promptiùs & solutiùs loqveretur. Qvas cùm omnes difficultates animi pertinacia & constantia superâsset, intellexit, eam Periandri sententiam, qvam ipse freqventer usurpaverat, esse verissimam: Μελέτῃ πάντα δύναται, hoc est, Exercitationem omnia posse. Penè prætericram, qvod minimè prætereundum fuit: habuisse domi Demosthenem ingens qvoddam speculum, ad qvod seipsum contemplans, gestus conformaret: qvibus rebus effecit, ut ejus pronunciatio multitudini vehementissimè placeret. Sed qvæ hactenus à me de Demosthene recitata sunt, ideò copiosius ea tractavi, qvod viderem ad optimarum artium studia, & ad eloqventiam per ea vos plurimum excitari posse. Qvæ verò de ejus vita restant adhuc, ea multò brevius perstringam: cùm qvia non admodum ad propositum nostrum faciant, tum etiam qvia Plutarchus ea & eleganter & copiosè tradidit, qvæ facilè qvilibet vestrùm apud eum legere potest. Cùm igitur omnes sui temporis Oratores Demosthenes superâsset, præter unum Demadem, qvem adeò naturali ingenio polluisse fatentur omnes, ut non tantùm à Demosthene non vinceretur; sed etiam ei præstaret. Nunqvam tamen ex tempore dicebat, neqve unqvam in concione volebat assurgere, nisi rem, de qva dicturus esset, antea cogitâsset: unde pleriqve timidum eum existimarunt: sed in hac re Periclis consvetudinem imitabatur, qvi non facilè de omni re dicere, neqve fortunæ suam existimationem committere solebat.

Præteritionis correctio.

Conclusio prioris partis cum adhortatione à fine.

Transitio ad alteram.

Collatio Demosthenis cũ Demade.

Præmeditata oratio, nõ extemporanea.

7. *A rebus gestis.* Cùm autem ad Rempub. sub tempus Phocensis belli se contulisset, nactus est materiam uberem & honestam, pro Græcorum libertate contra Philippum Macedoniæ regem decertandi, unde brevi tempore nomen & gloriam assecutus est. Neqve solùm ut eloqvens; sed etiàm ut fortis vir & constans in omnium erat admiratione; suspiciebat eum tota Græcia, Persarum Rex observabat, apud Philippum de eo multus erat sermo: qvin etiam ejus hostes & adversarii sibi contra virum fortem & præclarum rem esse fatebantur. *A bellico fortitudine.* Qvòd si ejus eloqventiæ & vitæ integritate virtus bellica respondisset, poterat sanè cum Thucydide aut Pericle comparari: verùm ad dicendum, qvàm ad faciendum longè fuit instructior. Tanta fuit enim ejus eloqventia, ut cunctas Græciæ civitates, qvæ partim Philippo propter ejus felicitatem studebant, partim Atheniensibus adversabantur, dicendo impelleret, ut contra Philippum arma sumerent; sed cùm ad pugnam ventum esset, oblitus verborum, qvibus Græciam concitarat, abjectis armis, turpiter aufugit: qvo in prælio Græci maximam cladem acceperunt. *Bellum facilè suadere est: sed expedire difficilimum.* Posteà verò qvàm Philippus mortuus fuit, iterum Græciam Demosthenes concitavit, ut adversus Alexandrum Philippum filium arma caperet: qvod cùm esset factum, Alexander in Bœotiam venit, & Thebanorum civitatem evertit. Qvamobrem fractis Atheniensium animis, Demosthenes unà cum aliis qvibusdam legadus ad Alexandrum missus est: sed cùm regis iram pertimesceret retrò cessit. Demadesi autem posteà regem Alexandrum Atheniensibus reconciliavit. *Res non adeò laudabiliter gesta.* Vixit in urbe post hæc non satis gloriosè Demosthenes: donec Areopagitarum consilio condemnatus

mnatus, qvod ab Harpalo qvodam, qvi Athenas ab Alexandro profugerat, pecunias accepiſſet, in carcerem conjectus eſt: unde clam aufugiens, in exilium conceſſit. Sed parum viriliter exilium tuliſſe dicitur, cùm ſubinde Athenas reſpiceret, voceſqve & lachrymas non generoſas emitteret. Exulavit autem in Ægina & Trœzene, qvo tempore mortuus eſt Alexander: cujus cognita morte, rurſus Græciæ civitates conſpirârunt: ſed cum Pytheas Orator, & Callimedon, ex Athenis profugi, Antipatro adhæſiſſent, & cum amicis ac legatis ejus Græciam peragrantes; civitates in fide ac poteſtate Antipatri continere niterentur; Demoſthenes legatos Athenienſium ſeqvutus, eis opitulabatur, multiſqve perſvaſit, inſurgendum eſſe contra Macedones, eorumqve dominatum depellendum Qvæ cùm Athenis renunciarentur, adeò grata fuerunt, ut eum ſtatim ab exilio revocarent. Itaqve miſſa navis eſt, qvæ Demoſthenem ab Ægina reduceret: cui magiſtratus omnes obviam profecti ſunt, & cuncti ſacerdotes, magnaqve civium multitudo, ut adventum ei gratularentur. Ferunt autem ipſum Demoſthenem, cùm ſe à populo, tanto plauſu videret excipi, ſæpius ad cœlum manus tetendiſſe, Diiſqve gratias egiſſe, qvòd longè ſibi præclarior, qvàm Alcibiadi, reditus contigiſſet: perſvaſis civibus, non coactis. Sed non diu poſt reditum ſuum patriæ conſpectu gavìſus eſt. Nam rebus Græcorum affectis & concuſſis, non ita multo poſt, cùm nunciatum eſſet, Antipatrum & Craterum Athenas adventare, Demoſthenes & qvi cum eo ſentiebant, ex urbe profugerunt: populus autem, autore Demade, capitis eos condemnavit: qvibus variè diſperſis Demoſthenes in Calabriam ad Neptuni

8. Ab eventu infelici, id eſt Exilio.

Eventus converſi proſperitas.

Demoſthenes redux & ab exilio revocatus.

Eventus iterminùs proſperi viciſſitudo.

templum confugit. Ad qvem cùm Archias qvidem, cum satellicibus ab Antipatro missus, advenisset, cum rogare cœpit, ut unà secum ad Antipatrum veniret. Se enim curaturum, ut nihil ab eo mali pateretur. Hunc paulisper expectare Demosthenes jussit, donec ad domesticos suos scriberet: simulqve ad interiorem templi partem progressus, venenum, qvod jam pridem ad eum usum secum habebat, ebibit: atqve ita vir eximius, ac divinus Orator extinctus est: qvem Democrates hoc facili genere mortis ereptum è Macedonum sævitia scribit. Sed ad ea, qvæ propositi nostri sunt, revertamur, ut aliqvando finem dicendi faciamus. Credo neminem vestrum esse, Juvenes, qvin persvasum habeat, Oratorum omnium præstantissimum esse Demosthenem, qvi teste Qvintiliano) Ciceronem nostrum, qvantus est, effecit. Itaqve non est, qvod in eo laudando ingenii velim vires ostentare, cùm ab ipso M. Tullio, eloqventiæ parente, multis in locis divinis laudibus efferatur: ut nihil acutè inveniri possit in causis, nihil subdolè, nihil versutè, qvod ille non viderit: nihil ejus dictione subtilius, nihil enucleatius, nihil limatius fieri possit: præterea nihil grandius, nihil incitatius, nihil ornatius vel splendore, vel sententiarum gravitate. Hæc & ejusmodi plura cùm de Demosthene dicat Cicero: qvid est, qvod nostra laudatione ad Demosthenis amplitudinem accedere possit? Qvare satis ille vobis probatus esse debet Orator, qvem summus M. Tullius & superiorem agnoscit, & admiratur. Hic vos ingeniosum & gravem orationis cursum acutè docebit invenire: hic pulcherrimum in disponendis orationis partibus & argu-

9. A morte violenta, & tragico exitu.

Reditus ad scriptorum Demosthenis laudem.

Præteritio.

A styli elegantia & gravitate.

Conclusio.

A laudatis laudari ea vera laus est.

Ratio attentionis & auscultationis abusus.

argumentis ordinem aperiet : hic exornationum ac figurarum varietate, mira qvadam dignitate, qvicqvid inventum ac dispositum fuerit, expolire vobis ostendet: interim prætermittam Græcarum literarum cognitionem, qvam ex hoc autore, qvi non nisi Atticam Venerem spirat, facilimè percipietis. Qvid autem hic attinet Græcam eruditionem verbis exornare, qvam omnes mediocris in literis judicii homines maximè semper expetiverunt? licet qvidam eam aspernentur, qvòd nimis difficilis esse videatur: sed hæc ignavorum est oratio, qvi sine sudore & pulvere coronari velint. Vos autem agite, nobilioris animi Juvenes, qvibus magis vigilias ac labores, Demosthenis exemplo, qvàm luxum ac delicias amplecti est animus. Agite inqvam; bonis avibus hunc summum ducem ad æternam gloriam Demosthenem seqvamur; hujus imitatione, qvicqvid effœminatum ac mollem reddit animum, negligamus, non nos adversa fortuna, non spes sæpius frustrata, non irritum votum ab incepto retrahat. Nunqvam in magnis rebus, atqve in bonis studiis desperandum. Fortuna ipsa, qvamvis diu repugnet; deniqve tamen aperit viam. Nulla sit tanta vis, qvæ debilitare institutum nostrum aut frangere possit. Huc omnis animi impetus advolet. In studio literarum sint omnes cogitationes vestræ, omnis cura, solicitudo. Qvantum alii voluptatibus; qvantum conviviis, qvantum aleæ tribuunt, tantum vos ad hæc studia recolenda sumatis. Veniat in mentem vobis, qvàm speciosa, qvàm admirabilis, qvàm divina qvædam res sit, variis disciplinis mens expolita: qvàm contra turpe, qvàm indecorum, qvàm indignum

Exaggeratio à Græca linguæ præstantia.

Adhortatio per apostrophen cum adversativa.

Oppositum per collationem.

gnum homine, luxu diffluere, & pecudum more corpus curare. Nec sanè video, qvid hæc hominum monstra, qvi tantum corpori student, à belluis differant, nisi qvod humanam præ se faciem ferant. At vos, qvibus ignea vis est in pectore, qvos illecebris suis ipsa Virtus trahit ad Verum decus, res arduas & difficiles tentate: qvicqvid egregium atqve eximium esse videtis, id manibus pedibus capessite: neqve ulla res sit tam aspera, qvæ vos ab optato gloriæ cursu revocare possit.

IN ARISTOTELIS DE ARTE RHETORICA libros tres.

PRÆFATIO VI.

Exordium à laudabili gratitudinis more.

VEtustissima consvetudo fuit, ut ait Plinius, referendi bene merentibus gratiam; uti, qvi mortales aut omnes, aut certè qvàm plurimos beneficiis affecissent, in Deorum immortalium numerum, cùm excessissent è vita, cooptarentur. Fuit enim olim universis fere gentibus persvasum, Deum esse mortali juvare mortalem: & hunc esse unum ad æternam gloriam cursum. Sic Herculem qvondam, & Liberum Patrem, post exantlatos innumerabiles penè labores, tandem grata posteritas Numinibus adscripsit. Sic Athenienses Cecropem suum, conjugii auctorem, à qvo civilem cultum edocti fuerant: Lacedæmonii Castorem & Pollucem: qvi deinde cæteras etiam apud gentes ac nationes pro

Illustratio per exempla.

Dei

Deis habiti ſunt; Ægyptii Theutum, à qvo literas acceperant; Itali Janum, qvem ob ſingularem prudentiam ac ſapientiam, bifrontem fuiſſe confinxerunt: Romani Qvirinum, urbis parentem & conditorem: & deniqve alios alii complures poſt mortem Numinibus æqvatos, Deos indigetes appellarunt. Qvod ſi qviſqvam, conditione mortali natus, dignus haberi debet qvi divinos honores conſeqvatur; ii certè non tantùm mea ſed etiam bonorum omnium ſententia, digni ſunt, qvi, qvod ait Poetarum princeps Virgilius:

Collatio per exempla ad eruditionem.

— — *Phœbo digna locuti,*
Inventas aut qvi vitam excoluere per artes.

Eqvorum numero cùm hac in re qvàm plurimi laborarint, duo præſtantiſſimi omnium, qvi poſt homines natos unqvam floruerunt, Plato atqve Ariſtoteles, ingenii gloria ſic inter ſe contenderunt, ut, aliis omnibus longo intervallo poſt ſe relictis, uter eorum alteri præſtet, vix qviſqvm ſanæ mentis judicare audeat. Uterqve enim eſt in ſuo genere ſummus, uterqve vehementer admirandus. Sed is, qvem nonnulli Philoſophorum Homerum appellant, Plato; qvem eloqventiæ Romanæ parens M. Tullius Cicero audet etiam Ariſtoteli præponere, qvoniam (ut opinior) nondum hunc planè intus, qvod ajunt, & in cute cognoverat, alta qvadam ac divina mente præditus, ea perſcrutari conatus eſt, qvæ non modò nullo ſenſu ſatis percipi poſſunt: ſed vix cogitatione atqva intelligentia comprehendi: & qvod caput eſt, qvorum antegredientes cauſæ vel nullæ ſunt, vel ſaltem non neceſſariæ. Qvi tamen, cum Antiſtes haberetur ſapientiæ, ſic ab omnibus, dum adhuc viveret, obſervabatur, ut eum non tanqvam aliqvem in terris natum hominem; ſed è

Duo Græciæ lumina.

Plato & Ariſtoteles inter ſe collati, & ille huic prælatus.

Vide Lipſium in Stoica Philoſ. l. 1. differt.

Comprobatio ab honore Platoni habito. coelo delapsum Deum intueretur. Declaravit hoc Dionysius Tyrannus, aliàs sævitiæ (qvod ait Plinius) superbiæqve natus, qvi vittatam ei navem, tanqvam Apollini Delphico, venienti misit obviam: ipse verò qvadrigis albis egredientem in litore excepit. Sed alii Platonem omnes admirati sint, dum ipse Plato cum omnibus unum, præter cæteros, Aristotelem suspexerit. *Platonis judicium & præsagium de Aristotele.* Constat enim, Platonem Aristotelis solertiam, & incredibile ingenium tantopere miratum fuisse, ut qvoties in Gymnasium docendi gratia veniret, circumspicere solitus fuerit, an Aristotelem, qvi ejus freqvens erat auditor, alicubi sedentem videret: qvòd si fortè præsens ille non fuisset, exclamabat: *Insignis laus.* Ὁ νοῦς οὐ πάρεστι. Mens non adest: perinde qvasi cæteri omnes, præ uno Aristotele, privati mente viderentur. Tantus in eo splendor ingenii, tàntum animi decus elucebat! *Ratio cur Aristoteles Platoni par.* Nam omninò post Platonem, cui dubiam atqve incertam victoriam reliqvit, omnium eruditorum testimonio, totiusqve Græciæ, cùm prudentia, & acumine, & venustate, & sublimitate; tum verò eloqventia, varietate, copia, qvam se cunqve in partem dedit, omnium fuit facilè princeps. Qvòd si fortasse qvispiam tam pertinax in sententia fuerit, ut hunc in cæteris Platoni parem, aut etiam inferiorem existimet, qvod minimè concedo: illud qvidem certè fateatur necesse est, in explicandis rerum naturalium causis, atqve in tradenda scientiarum via atqve ratione, qvam Methodum vocant, Aristotelem esse Platone longe superiorem: *Platoni Arist. prælatus magistro discipulus; ob Logicæ peritiam.* cum apud illum nihil ferè cum via ac ratione tradatur: apud hunc verò nihil omninò sine methodo. Qvamobrem mira profectò qvædam res fuit, & qvæ non ab

ab hominis natura proficisci potuerit; sed qvæ à divinitate qvadam necessariò extrinsecus advenerit; sicut ait magnus ille Peripateticus ex Arabia; qvod in uno homine tanta ubertas ingenii, tam incredibilis rerum omnium cognitio, tanta optimarum artium scientia extiterit, ut omnino divinum potius, qvàm humanum Aristotelis ingenium existimari debeat. Tres enim omnium excellentissimas artes, ut ait ille idem Averroes, ipse solus & invenit, & perfecit; hoc est, Disserendi rationem, qvam Logicen vocant: Naturalem scientiam, qvæ Physica dicitur: & Primam ac divinam Philosophiam, qvæ proprie sapientia nominatur: Nam qvod ab antiqvis de his rebus anteà dictum fuerat, pro nihilo putandum est. Qvia nullam harum maximarum artium partem penitus absolverunt; nec qvisqvam eorum, qvi post Aristotelem scripsere, qvidqvam his artibus addidit, qvod alicujus esse momenti videatur. Sed illud multo maxime mirandum est, qvod in tot Aristotelis scriptis, qvæ passim à præclarissimis ingeniis continenter versantur, nullus unqvam apertus error, aut animadversione dignus repertus fuerit; nisi qvis paucula objiciat, in qvibus à Christiana pietate dissentire creditur. Qvæ res profectò declarat immensam qvandam, ac verè divinam hujus viri rerum omnium scientiam. Verùm ut reliqva prætermittamus hoc tempore, qvæ sunt ab hoc auctore divinitus conscripta Opera, & qvæ tot ubiq; terrarum rarissima qvotidiè exercent ingenia: qvis non admiretur, si bene intelligat, qvam conqvisita cura, qvamqve aptè, distinctè, ornatè præcepta Rhetorica conscripserit, atq; enodata diligenter exposuerit hoc in opere, qvod à nobis in Lat. sermonem

In qvibus excelluerit Aristoteles.

Inimitabilis Vir.

Imò irreprehensibilis.

Præteritio.

cum exceptione Rhetoricorum.

nem anteà conversum, nunc interpretandum publicè susceptum est? Ipsis enim inventoribus artis Rhetoricæ (qvemadmodum ait Cicero) tantum svavitate, & brevitate dicendi præstitit, ut nemo illorum libros cognoscat; sed omnes ad hunc, qvasi ad qvendam multo commodiorem explicatorem, revertantur; qvi non tantùm de arte loqvitur, qvod alii pleriqve faciunt; sed id etiam ex arte, atqve adeo artificiosissimè facit. Nam cùm hoc scriptore, vel Ciceronis testimonio, nemo omnium doctior, nemo acutior, nemo in rebus vel inveniendis vel judicandis acrior sit; cùm aureum orationis flumen ubiqve fundat; cùm admirabili qvadam scientia, & rerum copia scateat: tùm certe hoc in Opere tam eruditè præcepta colligit, tam ingeniosè disponit, tam politè eloqvitur, ut nihil usqvam in hoc genere præstantius reperiri, nihil melius dici, aut excogitari posse existimem. Vidit profectò iis oculis etiam hæc præcepta Rhetoricæ, qvibus res omnes obscuras, atqve ab ipsa natura involutas acutissimè vidit & in lucem è tenebris eduxit. Qvemadmodum enim in reliqvis Philosophiæ partibus cæteros omnes scribendo superavit: ita etiam in hac arte tantum excelluit, ut nullius artis scriptor neqve Græcus, neqve Latinus sit cum eo comparandus: nisi fortè qvis Aristoteli nostrum opponat Ciceronem, extra omnem ingenii aleam positum, ut optimè Plinius ait: qvi sine ulla dubitatione; si qvis dicendi facultatem, & nervos oratorios, omnemqve eloqvendi supellectilem spectet qva non tantùm in orationibus, sed in omnibus scriptis suis utitur, & Aristoteli, & Platoni, & Demosthenii, & deniqve omnibus, qvi post homines natos aliqvid unqvam oratoriè scripserunt;

Laus librorũ ob concinnã loqvelam & miram brevitatem.

Translatio theseos ad hypothesin.

Perfectum Rhetorices opus.

Comparatio cum Tullio.

Qvi elegantia & eloqventia.

runt, aut eloqventiæ laude præstiterunt, longè præponendus est. Sed si qvis ad artis præcepta referat oculos, & qvid qvoqvomodo præcipiat Aristoteles, qvid & qvomodo Cicero, diligenter advertat: non dubium esse videbit, qvin hac in parte Aristoteles Cicerone multò sit excellentior. Neqve vero hoc accidit injuria. Nam Cicero se totum ad usum forensem, atqve exercitationem contulit, ut qvæ ab ineunte ætate, & ab Aristotele, & ab aliis artis scriptoribus didicerat, non jam in præceptis contineret, sed re ipsa experiretur: ipsa verò præcepta, longo usu doctus, vel contemneret, vel docere non admodum curaret. Aristoteles autem, vir ab agendis causis, & à forensi strepitu remotus, atqve ocio suo literario contentus, certum ac definitum tempus pomeridianum tradendis Rhetoricæ præceptis, & erudiendis in Oratoria facultate juvenibus assignavit. Nam, ut Cicero scribit, adolescentes non ad Philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad copiam Rhetorum in utramqve partem diligenter exercuit. Non igitur mirum, si in dicendi qvidem facultate, viribusqve eloqventiæ, propter assiduum forensem usum, Aristoteli Cicero longè antecellit: in arte verò docenda præceptisqve tradendis, qva in re non tam freqventer versabatur, multo fuit inferior. In iis enim rebus ingenium valet, in qvibus studium ac diligentia ponitur. Qvod si præstantissimum omnium dicendi magistrum Aristoteles hac in re superat; multò faciliùs omnes alios, qvi sine dubitatione ad Ciceronis gloriam non aspirant, superabit. Atqve hæc qvidem causa me potissimum impulit, ut cum annis superioribus Ciceronis opera, qvibus dicendi artem & Rhetorica præcepta complexus

hic vero methodo antecelluit.

Ratio à diversa utriusqve intentione & conditione.

Exercitia Rhetorica Arist.

Conclusio comparationis.

Exaggeratio à minore.

Reditio ad præsens institutum.

plexus

plexus est, interpretatus fuerim; hoc anno hos Aristotelis Libros Rhetericos aggrederer, ut tandem, si fieri potest, unà cum Cicerone præclaram illam eximiam Oratoris perfecti speciem & pulchritudinem adamantes, Aristotelicam vim comprehendemus, rerumqve cognitionem cum orationis exercitatione jungamus. Sic enim nobis aliqvando contiget id, qvod Alexandro Macedonum regi, cui Philippus pater Aristotelem doctorem accivit, à qvo & agendi præcepta, & eloqvendi acciperet. Sed laudi huic & tantæ utilitati res qvædam erat impedimento, qvam nos magno labore, totisqve viribus nostris amoliri studuimus: idqve jam ut aliqva parte fecisse videmur; ita qvod superest, ut spero, paulatim deinceps conficiemus. Nam hic tam eximius eloqventiæ thesaurus, qvi tribus his Aristotelis Libris continetur, jacebat adhuc apud nos, partim barbarorum inscitia deformatus, & sqvalore qvodam oblitus, partim etiam à paulò doctioribus viris ignoratus. Sed huic Operi multa adjumenta nuper contulit vir eruditus, Petrus Victorius, qvem, ut meritus est, honoris & amplitudinis gratia nomino: qvi multos sane locos & emendavit, & nitori pristino restituit, Commentariosqve non vulgares in totum Opus conscripsit: qvi qvidem si Opus etiam ipsum in Latinum sermonem convertere voluisset, & paulò uberius præcepta Aristotelis illustrasset, hoc me labore convertendi & interpretandi fortasse levasset. Nunc, qvod ille dedit, grato animo accipimus, & posthac etiam ejus laboribus qvatenus licebit, perfruemur. Sed qvoniam

Ratio à fine & usu, qvi est benè vivere & benè dicere posse.

Adversativa ob obstacula qvædam.

Interpres.

Non omnia (qvod ait Poeta) *possumus omnes*:

etiam nos plurima, qvæ ille non attigit, adjungemus;

mus, & communi utilitati, qvod facultas nostra tulerit, semper inserviemus. Nam si Aristotelis summi doctoris præcepta singula cum Ciceronis Oratorum principis, tum aliorum veterum Latinorum exemplis illustraverimus; rem & novam, neqve ab aliis adhuc tentatam, & perutilem conficiemus. In qvo mihi videor illud jure optimo usurpare posse, qvod in Oratore ad Brutum Cicero: Magnum opus omnino, & arduum conamur: sed nihil difficile amanti puto. Amo autem & semper amavi ingenium, studia, mores vestros, Optimi juvenes: neqve ullus tam magnus est labor, qvi pro utilitate vestra susceptus non mihi jucundus sit futurus. Incendor porrò qvotidie magis, cùm istam diligentiam vestram, istam assiduitatem & freqventiam, istam deniqve alacritatem in optimarum artium studiis conspicio, qvi pleno cursu ad eloqventiam properatis, qvam intelligitis unam qvandam esse de summis virtutibus; ut apud Ciceronem L. Crassus affirmat; & veterem illam doctrinam studetis asseqvi, qvæ fuit eadem & rectè faciendi, & benedicendi magistra. Neqve enim erant apud antiqvos disjuncti Doctores: sed iidem vivendi Præceptores atqve dicendi: ut ille apud Homerum Phœnix, qvi se à Peleo patre Achilli juveni comitem esse datum dicit ad bellum, ut efficeret illum Oratorem verborum, Actoremqve rerum. Sed apud vos nihil attinet eloqventiam ipsam laudare, qvam rerum omnium reginam Poeta nescio qvis verissimè dixit esse: qvam esse copiosè loqventem sapientiam prudentissimi viri definiverunt. Illud tantùm dicam, nihil esse ex omnibus rebus, in qvo vos ista ætate vel fructuosiùs laborare, vel gloriosiùs versari possitis.

Attentionis excitatio.

Insinuatio apud Auditores.

Eloqventia usus cum Ethica conjunctus.

Præteritio cum correctione.

De

Persuasio ab utilitate librorum bonorum. De hoc autem Aristotelis Opere illud audacter & securè vobis polliceri possim: Si qvis omnia, qvæ in eo traduntur, dicendi præcepta didicerit, nihil eum amplius omnino, qvod ad persvadendi facultatem attineat, desideraturum. *Comprobatio per inductionem, cum dispositione librorum.* Sic enim accuratè singula pertractat, ita diligenter omnia perscrutatur, ut nihil enucleatius aut explicatius fieri possit. Qvanto enim studio, qvæ communia sunt omnium Dicendi Generum, & qvæ propria singulorum, primo libro perseqvitur? ut nihil omnino, qvod aut in deliberationem cadat; aut exornari debeat, aut in judicium veniat, inveniri possit, de qvo non copiosè præcepta tradat. *Reqvisita in oratore.* Qvanto porrò acumine, qvantaqve doctrina duo illa, qvæ bene tractata ab Oratore, admirabilem eloqventiam faciunt, secundo libro præcipit: qvorum alterum est qvod Græci Ἠθικὸν vocant, ad naturam & mores, & ad omnem vitæ consvetudinem accommodatum: alterum, qvod iidem Παθητικὸν nominant, qvo perturbantur animi & concitantur; in qvo uno regnat oratio. *Τὰ πάθη.* Ac de hoc qvidem, qvo vehementes animi commotiones continentur, qvod est vehemens, incensum, incitatum, qvo causæ eripiuntur, qvod, cùm rapidè fertur, sustineri nullo modo potest, initiò secundi libri copiosè verba facit. *Τὰ ἤθη.* Deinde singulorum ætatum atqve ordinum mores ita perspicuè spectantos proponit, ut ne pictor qvidem qvisqvam eximius alicujus rei speciem evidentius exprimere valeat; *Loci inventionis.* tum Locos ac Sedes argumentorum, unde verisimilia ducantur, atqve etiam unde fallaces conclusiunculæ, qvæ videntur qvidem verisimiles, sed revera non sunt, ingeniosissimè atqve acutissimè docet. *Τάξις καὶ λέξις.* Qvid in tertio libro, qvanta cura subtilitateqve tradit ea, qvæ ad dispositio-

tionem & elocutionem pertinent? Atqve hæc qvidem omnia, qvæ tribus his libris divinitus à Philosopho traduntur, si vobis (ut spero) clarè dilucideqve interpretatus fuero, atqve exemplis optimorum scriptorum, & inprimis ejus, qvem in deliciis habemus, Oratorum principis, M. Tullii Ciceronis, illustrato: tum verò me egregiè navasse operam existimabo: neqve vos, ut opinor, diligentiæ meæ pœnitebit: qvippe qvi me doctore atqve interprete, si diligenter advertere volueritis, dicendi præcepta ab Aristotele, usum verò præceptorum ab exemplis facile percipietis. Jam igitur ad ea, qvæ priùs examinanda sunt, qvàm Aristotelis Opus interpretemur, accedamus. Severinus Boëtius ait, hanc esse Magistrorum consvetudinem, ut cùm aliqvod Opus interpretandum aggrediuntur, primò sex breviter expediant: Qvod sit auctoris consilium sive propositum, qvi Græcè σκοπὸς dicitur; qvæ Utilitas Operis; qvi Ordo; qvæ Inscriptio; an ejus Auctoris, cujus nomine circumfertur, proprium ac legitimum Opus sit; & deniq; ad qvam Philosophiæ partem referatur: qvæ nos etiam, ne ac aliis deficiamus, paucis videamus. Ac primò dicimus, illud Aristoteli propositum esse, ut in hoc opere doceat, qva ratione viaqve conseqvamur ea, qvæ sunt in qvaqve re ad persvadendum accommodata. Nam (ut refert Gellius) commentationum suarum, Artiumqve qvas discipulis suis tradebat Aristoteles, duas species habuisse dicitur: alia erant, qvæ nominacat Ἐξωτερικά: alia qvæ Ἀκροαματικά: Ἐξωτερικά vocabat, qvæ ad Rhetoricas exercitationes & ad civilium controversiarum cognitionem conducunt. Ἀκροαματικὰ

Repetitio & propositionis & scopi.

Item attentionis.

Transitio sex ad capita perstringenda.

I. Qvis autori scopus.

Libri Arist. duplices.

τικὰ verò, in qvibus Philſophia remotior, occultiorqve continetur, ut qvæ rerum cauſas, & naturæ obſcuritatem inveſtigant, cui diſciplinæ tempus tribuebat, in Licéo matutinū, neq; ad eam temerè qvenqvam : admittebat, niſi qvorum antea ingenium, acumen, eruditionis elementa & deniq; ſtudiū in diſcendo, & laborem cognitā haberet. Illas verò Ἐξωτερικὰς meditationes, pomeridianis horis in eodem Lyceo faciebat : ad eaſqve juvenes omnes ſine delectu admittebat. Ac primò qvidem has diſputationes à cauſis forenſibus & civilibus ad inanem ſermonis elegantiam tranſtulerat ut apud Ciceronem L. Craſſus ait: ſed deniqve cum floreré Iſocratem nobilitate diſcipulorum videret, mutavit repentè totam formam propè diſciplinæ ſuæ; verſumqve qvendam de Philoctetа paulò ſecus dixit. Ille enim turpe ſibi ait eſſe tacere cum barbaris: hic autem cum Iſocratem pateretur dicere. Itaqve ornavit & illuſtravit doctrinam illam omnem, rerumqve cognitionem cum orationis exercitatione conjunxit. Sunt igitur hi Rhet. libri ex eorum numero, qvi Ἐξωτερικοὶ dicuntur, in qvibus accuratè dicendi artem tradit, nihilqve prætermittit eorum, qvæ fidem in dicendo facere poſſunt: qvod ante Ariſtotelem nemo planè perfecerat. Utilitatem autem hujus Operis atq; artis magnam eſſe, pluribus ipſe argumentis docet: qvippé qvi non ignorarent, multos eſſe, qvi & totam hanc dicendi rationem non mediocriter improbarent, & multa civitatibus incommoda, multaqve detrimenta importare contenderent: qvorum è numero Socrates præcipuè fuit; qvi qvodam pertinaci ſtudio Rhetoras inſectabatur, & irridebat; atqve contemnebat: eò, qvòd ipſe doctrinâ qvidem & ingenio abundaret; ſed à re civili, & à negotijs animi

2. Caput, utilitas & fructus.

Ἔνστασις.

Id abuſu fit & futilitate ſophiſtica.

qvo-

qvodam judicio adhorreret. Aristoteles igitur hanc artem iniqve vituperari, cùm magnam utilitatem uberrimosqve fructus agerat, facilè docet, qvod etiam multis in locis post Aristotelem Cicero, & secundo libro Qvintilianus copiosè persequitur. Qvin Isocrates ad Nicoclem scribens, multis rationibus ostendere conatur, eos improbe facere, qvi dicendi facultatem improbare audent.

Responsio ad objectionem.

Extat præterea Epistola ad Alexandrum Magnum, qvam aliqvi Aristotelis, aliqvi Anaximenis Lampsaceni esse existimant, qva doctissimè svavissimeqve Oratoria dicendi ratio exornatur, & utilissima esse ostenditur Ordo, verò qvo nihil ex omnibus rebus melius inveniri posse Xenophon scribit, sic ab Aristotele servatur hoc in Opere, ut in aliis etiam omnibus solet. Neqve enim qvisqvam unqvam auctor ordinatiùs scripsit: neqve tam accuratè non solùm librum libro; sed etiam sententias singulas inter se copulavit, ut si qvis non dicam versum: sed verbum unū immutârit, tota qvodammodo structura perire videatur.

3. Ordo, &

Tractat autem ea primò, qvæ communia sunt omnium dicendi generum: deinde singula Rhetoricæ suæ Causarum genera persequitur: tùm qvæ animi commotiones, & singularum ætatum atqve fortunarum mores attinent: deniq; sedes argumentorum explicat: postremò, qva dispositione, qvo elocutionis genere sit utendum, aperit. Qvæ omnia sic inter se connectuntur, ut admirabilis harum rerum series appareat.

Dispositio.

Inscriptio est; De arte Rhetorica: qvod in Oratore ad Brutum his verbis ostendit Cicero: Atqve etiam ante hunc Aristoteles principio artis Rhetoricæ dicit, illam artem qvasi ex altera parte respondere Dialecticæ, Et Qvintilianus libro secundo; Aristoteles, inqvit,

4. Titulus.

An genus ipſius verum ſit Ars.

inqvit, de Arte Rhetorica tres libros ſcripſit. Licet enim multi dubitarent, utrum ars eſſet Rhetorica necne; ſicut apud Ciceronem M. Antonius oſtendit: tamen Ariſtoteles artem eſſe cenſet, idq; accurata diſputatione declarat, ſicut etiam apud nos Qvintilianus ſecundo ſuarum Inſtitutionum libro.

E qvænam artium genus?

Neqve tamen unam ex eis artibus eſſe vult, qvæ exqviſitæ ac perfectæ ſunt, ſed ex eis, qvæ στοχαστικὰς vocantur, eò qvòd conjecturis plurimum utuntur; qvalis eſt etiam ars Medicorum & Gubernatorum: undè facultas potius qvædam, qvàm ſcientia vocatur, ſicut etiam huic affinis Dialectica.

Finis & officium diverſa.

Qvamvis enim finem ſuum non aſſeqvatur, neqve ſemper dicendo perſvadeat: nihilominùs tamen, ſi nihil eorum prætermiſerit, qvæ ſunt ad perſvadendum accommodata, munere ſuo functa eſſe dicitur: & non aliter eſt ars, qvàm Medicina qvæ non ſemper ſanare poteſt.

5. An libri genuini?

Sequitur, ut videamus, An hoc Opus proprium ac legitimum ſit Ariſtotelis? qvod in ſingulis ferè hujus Auctoris Operibus ab antiqvis interpretibus qværi diligenter ſolet:

Unde ſpurii libri ſubrepſerint?

Cujus rei tres fuiſſe cauſas Ammonius cenſet: qvia tres occaſiones nacti qvidam, qvæ non erant Ariſtotelis propria Opera, illi tribuerunt.

1. Ac prima qvidem fuit omnis ambiguitas, Nam alii fuerunt etiam Ariſtotelis, præter hunc Stagiritam: qvorum Opera propter ambiguitatem qvidam hujus Auctoris eſſe cenſuerunt.

2. Altera fuit occaſio: Qvia multa Opera cùm una atqve eadem inſcriptione circumferebantur. Nam ipſius Ariſtotelis diſcipuli, ut Eudemus, Phanias,

3. Theophraſtus, præceptorem ſuum æmulati, de iiſdem rebus, qvibus ille, ſcripſerunt. Tertia cauſa fuit hujuſmodi: Tradunt enim Ptolomæum Philadelphum

delphum Operum Ariſtotelis fuiſſe maximè ſtudioſum; atqve illis pecunias multas tradere ſolitum, qvi ſibi aliqvos Ariſtotelis libros attuliſſent: qva re factum eſt, ut multi pecuniarum avidi, nonnullorum Operum inſcriptionem mutarent; & appoſito Ariſtotelis nomine, Philadelpho traderent. Sed tamen à præclaro ingenio viris duabus qvaſi notis germani Ariſtotelis Libri cognoſcuntur: hoc eſt, Sententiarum acumine & Elocutionis genere. Sed de hoc Opere nemo dubitat, qvin germanum ipſius Ariſtotelis ſit; qvòd præter Sententiarum acumen, & Dicendi genus, etiam teſtimonio tum ipſius auctoris, tum aliorum complurimum doctiſſimorum hominum, & Græcorum, & Latinorum, probari facilè poteſt. Qvin Cicero noſter, & Qvintilianus multis in locis Ariſtotelem hujus Operis auctorem agnoſcunt. Illud igitur tantùm ſupereſt, ut explicemus, ad qvam Philoſophiæ partem hi libri Rhetorici referantur. Ac Cicero qvidem initio librorum de Inventione, Civilis Scientiæ (qvam Politicam appellant) magnam & amplam partem eſſe cenſet Eloqventiam artificioſam, qvam (inqvit) Rhetoricam vocant: & Qvintilianus, Ciceronis ſententiam ſecutus eſt; qvam tamen Cicero videtur ab Ariſtotele ſumpſiſſe, qvi & primo Ethicorum Rhetoricam Civili Scientiæ ſubjecit; & hoc in Opere, tanqvam germen qvoddam ejuſdem Civilis diſciplinæ dicit eſſe. At verò Simplicius in Categorias ſcribens, hanc artem ad eos libros pertinere cenſet, qvi continent ea, qvæ qvaſi qvædam inſtrumenta ſunt ad diſſerendum. Ariſtoteles certè primo libro Rhetoricorum è Dialectica & Civili Scientia conflatam eſſe: ut ad utramqve qvodammodò referri poſſe videatur. Hoc

AdverſatiVa diſcretionis per notas.

Applicatio cum obtenſione.

1. *A Ciceronis teſtimonio.*

2. *Qvintil. Inſt lib.2.cap.16.*

3. *Cap.2. lib. 1. cap. 2.*

igitur modo sint explicata sex illa, qvæ ante Operis exclamationem qvæ solere Boetius scribit. Nunc ad Opus ipsum interpretantum aggrediamur.

IN P. VIRGILII
GEORGICA,
De Agriculturæ laudibus,
PRÆFATIO VII.

Exordium à more consueto.

NOn me latet, in more positum esse, Auditores, institutoqve majorum, ut ii, qvi aliqvem publicè interpretandum auctorem suscipiunt, eam primam habeant concionem, qva præstantiam Auctoris, & argumenti nobilitatem summis efferant laudibus.

Unde Rhetori attentio concilietur.

Qva in oratione nonnulli aliqvando facundi videntur: vel qvòd apud imperitam multitudinem verba faciant; vel qvòd de Mediocri Auctore, & re non admodum egregia satis copiosè loqvantur. Neqve enim difficilè imperitis atqve indoctis hominibus & pullato (ut Fabius appellat) circulo, qvi omnia, qvæ supra vires suas esse viderint, majorem in modum admirantur, eloqventem videri: cùm præsertim ille peritus artifex, auræ populari deditus, qvi tantum vulgo placere studet, ejusmodi caussam in qva, qvicqvid dictum fuerit, eminere videtur, sibi tractandam sumpserit.

Antithesis.

Mihi autem, qvi præstantissimi atqve omnium excellentissimi Poëtæ doctissimum atqve elegantissimum Georgicorum Opus coram vobis optimis artibus institutis Viris & eruditissimis Adolescentib. interpretandum suscepi, oblata est omnino durior conditio. Nam neq;

Poetæ nostri dignitatem qvisqvam, neqve Agriculturæ laudes & utilitatem digna posset oratione comprehendere: neqve verò vobis, bonarum tantùm literarum amatoribus, ulla satisfacere potest oratio, nisi docta simul & ornata videatur. Novi enim ego vestrum ad omnia flexibile, ac propè divinum ingenium, novi judicium, novi mentis vestræ acumen. Scio nihil esse tàm obscurum, tam difficile, cui si studium adhibere volueritis, non illud facilimè perdiscatis. Scio nihil vobis placere, qvod non elaboratum, elegans ac politum sit. Hæc cùm præclarè intelligam, tum illud etiam non ignoro: eo vos animi candore, ea modestia præditos esse, ut nullius studium, nullius industriam contemnatis, qvem multorum studiis prodesse conantem, ex hoc amplissimo atqve ornatissimo loco publicè docere intellexeritis. Itaqve mihi de modestis atqve humanitate vestra cogitanti confirmatur animus, & in spem haud dubiam venio, fore, ut mihi de his rebus, qvas proposui, non nulla dicenti, faciles aures præstituri sitis, & qvæcunqve dixero, meliorem in partem accepturi. Qvam qvidem rem si vos præstare mihi videro; efficiam profectò, ut industriæ meæ vos nullo unqvam tempore pœniteat. Dicendum est igitur mihi priùs, de Agricultura qvæ sapientissimi homines senserint, & qvantam ejus curam veteres habuerint: deindè nonulla etiam de Virgilio nostro, & hoc Opere Georgico. Qvæ si diligenter attenderitis, vobis (ut spero) non injucunda videbuntur. Omnium enim rerum (ut primo de Officiis ait Cicero) ex qvibus aliqvid acqviritur, nihil est Agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. Nam qvid ea re præstantius

Ratio ab autoris laude.

Ratio ab auditorum animis.

Insinuatio, sub benevolentiæ captatione.

Petitione tacita.

Propositio bipertita.

Ratio ab utili.

esse potest, sine qva vita mortalium consistere nullo modo potest? Cùm enim ea, qvæ in terris gignuntur, ad usum hominum (ut Stoici sentiunt) omnia creentur: omninò declaratur, humano generi nihil in terris esse præstantius, cujus gratia Dei immortales omnia condiderunt. Itaqve qvod homini divinæ mentis participi, & animalium præstantissimo victum præstat, id sine dubio ut sit optimum, necesse est. Qvis porrò est, qvi nesciat, nisi terra colatur, victum hominibus nullo modo suppetere posse. Est igitur omnium optima Agricultura, ex qva fructus tàm varii, tot frumentorum genera, tanta rerum omnium copia, qvæ ad victum hominum, & cultum etiam Deorum pertinent. Semper enim boni assiduiq; domini (ut apud Ciceronem ait Cato) referta cella vinaria, olearia, mellaria & penuaria est: villæqve tota locuples est. Qvid verò dulcius agrorum bene cultorum amœnitate, pratorum viriditate, arborum ordinibus, vinearum olivetorumvé specie? Qvid benè posita villa aspectu jucundius; ubi cœli nitor est & salubritas, ubi terra maximè variis herbis, & svavissimis floribus exornata, ubi proceræ arbores, & opacæ maximèqve fructuosæ ubi fruges gravidæ, vitesqve fertilissimæ, ubi fontes limpidissimi, ubi speluncæ recessusqve amœnissimi? Qvibus rebus qvid fieri potest aut fructu svavius, aut aspectu jucundius: Qvare verissimè Cato affirmat, Agricolarum voluptates proximè ad sapientis vitam accedere. Undè jure optimo sapientissimus Poeta Virgilius, post Philosophiæ studium, qvo nihil melius (ut ait Plato) Dii immortales hominibus tradiderunt, nihil aliud, qvàm rusticam vitam desiderat: qvod scilicet neqve studiorum vita, neqve agricolarum sit ulla

Comprobatio.

A victu humano.

Conclusio primi argumenti.

Transitio ad 2. probationem à jucundo.

Ab autoritate Maronis.

ulla præſtantior. Ejus mihi verba libet recitare:

Sin has ne poſſim naturæ accedere partes,
Frigidus obſtiterit circum præcordia ſangvis;
Rura mihi, riguis placeant in vallibus amnes.

Noverit enim Poëta, vitam Agricolarem ſimplicem, innocentem, puram, ab omnibus vitiorum ſordibus alienam, non occupatam honorum ambitionibus; non fraudibus, dolis, inſidiis gaudentem: ſed qvietam, tranqvillam, operum patientem, parvoqve aſſvetam, variarum opum divitem. Idcirco magna illius dulcedine illectus exclamat:

Vitæ ruſticæ laus.

O fortunatos nimium, ſua ſi bona nôrint,
Agricolas! qvibus ipſa, procul diſcordibus armis,
Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus.

Hoc idem Venuſinus Vates Horatius atteſtatur; Felicem illum, qvi, relictis cæteris vivendi rationibus, ſe ad agricolationem contulerit. Qvinetiam multis carminibus Ruſticæ vitæ laudes amplectitur in ea cantione, qvæ ita incipit:

Flacci.

Beatus ille, qvi procul negotiis,
Ut priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omni fœnore.

Terra enim, cui uni (ut ſecundo libro ſcribit Plinius) rerum Naturæ partium, eximia propter merita, cognomen indidimus Maternæ venerationis, benigna eſt, mitis, indulgens, uſuſqve mortalium ſemper ancilla: qvæ eum gremio mollito ac ſubacto ſemen ſparſum excepit, (ut apud Ciceronem Cato Philoſophatur) tepefactum vapore & complexu ſuo diffundit, & elicit herbeſcentem ex eo viriditatem, qvæ nixa fibris ſtirpium ſenſim adoleſcit, culmoqve erecta geniculato, vaginis jam qvaſi pubeſcens includitur: è qvibus cùm emerſerit,

Plinii.

 fundit

fundit frugem, spicæ ordine structam; & contra avium minorum morsum munitur vallo aristarum. Qvid dicam, qvàm bona fide, qvantoqve cum fœnore terra depositum reddat? qvæ liberius etiam, nullo cogente producat? ut nihil excogitari possit hominibus necessarium, aut utile, qvod non è terra nascatur. Sed qvando colendorum agrorum, usus cœperit, variè apud Authores traditur. Sunt, qvi scribant, ante Jovem nullam penitus agriculturam fuisse: qvorum sententiam Virgilius seqvi videtur his carminibus:

Præteritio.

Antithesis de originis antiqvitate.

Ante Jovem nulli subigebant arva coloni:
Nec signare qvidem, aut partiri limite campum,
Fas erat: in medium qværebant: ipsaq; tellus
Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.

Ab autoritate SS. Scripturæ.

At nos in Sacris Libris scriptum legimus; Primos illos homines Habelem & Cainum agricolas fuisse. Sic enim Moses scribit: Fuit autem Habel pastor ovium, & Cain Agricola. Neqve verò qvisqvam vestrûm mirari debet, qvod pastorem ovium, Habelem inter agricolas numeraverim. Nam pecudum curam ab Auctoribus qvibus hæc literis mandare cura fuit, cum agricolatione conjungi notavimus: qvam rem etiam Xenophon in Oeconomico suo his verbis affirmat: καὶ γὰρ ἡ ποιμενικὴ τέχνη συνῆπται τῇ γεωργίᾳ. Est igitur hæc ars Agriculturæ omnium antiqvissima, atqve ideò etiam nobilissima, & optima, qvæ ab ipsis (ut ita dicam) mundi incunabilis semper humanum genus aluerit: Cæteræ enim artes omnes non tam ad vitæ necessitatem, qvàm ad ornamentum sunt inventæ: hæc sola omnium videtur esse maximè necessaria. Neqve verò negaverim, in diversis mundi

Pastoricia vita omnium antiqvissima

Declaratio prosyllogistica per collationem.

Concessio.

mündi regionibus diverſos fuiſſe, qvi uſum Agricolationis invenerint, ſicut Habis apud Hiſpanos, de qvo Juſtinus ita ſcribit: Habis Hiſpanum populum, prius barbarum, legibus junxit: boves primò aratro domari, frumentaqve ſulco ſerere docuit; & ex agreſti cibo, melioribus veſci. Saturnus verò (ut fertur) Jani tempore, qvi regnabat in Italia, cùm filii Jovis iram fugiens, à Creta in eam Italiæ partem de veniſſet,* qvæ poſtea Latium cognominata fuit, docuit ignaros Italos arva colere, ſemina terris dare, matura colligere, & ſuo tempore ſtercoribus agros fœcundare, ex qvo Stercutius appellatus eſt: Deo tanto atqve tali profectò ſplendidum (ut ait Bocatius) & inſigne cognomen. Qvamvis Seruius libro nono Æneidos, Pilumnum, priſto ſtercorandorum agrorum uſum inveniſſe ſcribat, & inde Sterculinum dictum. Macrobius autem Saturnaliorum libro primo ſcribit, A Romanis Saturnum Sterculinum fuiſſe vocitatum: qvòd prius ſtercore fœcunditatem agris comparaverit. Auguſtinus de Civitate Dei, Pici patrem Stercon fuiſſe ſcribit; à qvo peritiſſimo Agricola, inventum ferunt, ut ſimo animalium agri fœcundarentur; qvod ab ejus nomine Stercus dictum eſt. Plinius, Italia, inqvit, regi ſuo Stercutio, Fauni filio, ob hoc inventum (nempe ſtercorationis) immortalitatem dedit. Certè hunc Stercon ſeu Stercutium (qvicunqve is fuerit) antiqvi Deum Agriculturæ indigitaverunt. Jam verò Ceres, qvam à gerendis frugibus Cicero appellatam ſcribit. Sicu lis leges & agricolationem tradidit: de qva Ovidius libro qvinto Metamorphoſeωn.

Inventorum agricultura varietas.

Stercutio unde nomen.

Vide Orat. de Luto.

Ceres dea.

Prima Ceres unco terram dimovit aratro:
Prima dedit fruges, alimentaq; mitia terris:

Prima dedit leges. Cereris sunt omnia munus.
Sic & Virgilius Georgicorum primo:
Prima Ceres ferro mortales vertere terras
Instituit. Ferunt etiam Osirim, qvem qvidam Dionysium esse volunt, Ægyptiis usum arandi demonstrasse: qvod Tibullus Elegiarum primo his carminibus significat:

Osiris.

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitavit humum:
Primus inexpertæ commisit semina terræ;
Pomaq; non notis legit ab arboribus.

Triptolemus. Sunt etiam, qvi scribant, Atticos & Eleusinios Agriculturam à Triptolemo Celei regis filio doctos fuisse. Sed qvantò fuerit olim apud Priscos illos homines in honore Agricultura, declerant Historiæ: qvibus videmus, etiam Reges ipsos agrorum colendorum fuisse studiosos & pecundum pastores: unde etiam Homerus qvosdam appellat πολύαρνας καὶ πολυμήλους. Nihil enim aliud antiqvi divites possidebant, nisi vel pecudes, vel agrorum prædia: qvod Ovidius libro qvinto Fastorum his verbis attestatur:

Aut pecus; aut latam dives habebat humum.

Theseus. *Hinc etiam locuples, hinc ipsa pecunia dicta est.*
Sunt qvi scribant, Theseum bovis figura nummos obsignasse, ut, ea ratione Atticos ad agricolationem provocaret. Constat sanè Servium Tullium, sextum Romanorum regem, pecudis figura nummos ex ære signasse. Aristoteles in Oeconomico putat, Agriculturam esse maxime secundum naturam. Qvin & Cicero fatetur, Nihil esse tam regale, qvàm studium agri colendi. Ergò in hac vita (ait Cato apud Ciceronem) M. Curius, cùm de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, consum-

psit

psit extremum tempus ætatis. In agris erant (inqvit) tàm Senatores, ist est, senes: aranti L. Qvintio Concinnato nunciatum est, eum Dictatorem esse factum: cujus dictatoris jussu Magister eqvitum C. Servilius Ahala, Sp. Melium regnum appetentem, & occupare volentem interemit. A villa in Senatum arcessebantur Curius, & cæteri senes: ex qvo, qvi eos arcessebant, Viatores nominati sunt. Qvid, qvod olim Regum cura fuit Agricultura? Xenophon in eo libro, qvi est de tuenda re familiari, qvi Oeconomicus inscribitur, ait, Regem Persarum non minorem curam agricolarum diligentium, qvàm strenuorum militum habere solitum: cumqve munera dare statueret, primùm advocare milites, testantem: Ὅτι οὐδὲν ὄφελος πολλὰ ἄρχειν, εἰ μὴ εἶεν οἱ ἀρήξοντες, Nullam agricolationis fructum esse, nisi sint, à qvibus hostium excursiones & impetus arceantur: Secundo loco diligentes agricolas, addentem illud elogium: Ὅτι οὐδ' ἂν οἱ ἄλκιμοι δύναιντο ζῆν, εἰ μὴ εἶεν οἱ ἐργαζόμενοι, Qvod neqve strenui milites vivere possent, nisi essent agricolæ, qvi terram colerent. Qvin & Cyrum minorem, olim Regem clarissimum, cùm ad munera Persæ vocarentur, dixisse ferunt: Se meritò posse utrorumq; munera capere: Κατασκευάζειν γὰρ ἄριστος εἶναι ἔφη χώραν, καὶ ἀρήγειν τοῖς κατεσκευασμένοις, qvòd & optimus esset in præparandis excolendisve prædiis, & potens etiam ea retinere, qvæ compareverat. Huc accedit, qvod Lysandro Lacedæmonio, summæ virtutis viro, eundem Cyrum jurasse Xenophon scribit. Nam cùm ostendisset ei pulcherrimam illam Paradisum, de qva Cato apud Cice-

Xenophontis autoritas.

Agricultura neq; in militia cessat ob commeatum.

Ciceronem meminit, & se dimensum omnes illos ordines, ac multas illarum arborum sua manu conseviſſe teſtatus eſſet, hujuſmodi verba ſubtexuit: Ὀμνυμίσοι τὸν Μίθρην, ὅταν ὑπὲρ ὑγιαίνω μὴ πώποτε δειπνῆσαι, πρὶν ἱδρῶσαι, ἢ τῶν πολεμικῶν τι, ἢ τῶν γεωργικῶν μελετῶν. Juro (inqvit) tibi per Mithram (Sic enim Solem Perſæ ſolent appellare) qvo tempore valeo, me nunqvam cœnare ſolitum, niſi prius aut in aliqvo bellico, aut georgico opere ſudorem contraxero. Itaqve non injuria Socrates apud eundem Xenophontem exclamat: Τῆς γεωργίας οὐδ᾽ ἂν οἱ πάνυ μακάριοι δύνανται ἀπέχειν. Neqve qvi valdè beati ſunt, ab agriculture poſſunt abſtinere. Cujus rei cura cùm magnam nobis ſoleat jucunditatem & rei familiaris incrementum apportare: tum ad corporis exercitationem, & ad omnia; qvæ digna ſunt homine libero, plurimùm valet. Bene igitur (ut ait Socrates) ille dixiſſe videtur, qvi dixit: Τὴν Γεωργίαν τῶν ἄλλων τεχνῶν μητέρα καὶ τροφὸν εἶναι. Agriculturam aliarum artium qvaſi matrem qvandam ac nutricem eſſe. Qvapropter apud Priſcoe illos, qvos Caſcos appellat Ennius, maximam laudem conſecutus videbatur, qvi ita laudabatur: Bonus agricola, Bonus colonus. Ex agricolis (inqvit Cato) & viri fortiſſimi, & milites ſtrenuiſſimi gignuntur; maximèqve pius qvæſtus, ſtabiliſſimuſqve conſeqvitur, minimeqve invidioſus: minimeqve malè cogitantes ſunt, qvi in eo ſtudio ſunt occupati. Nullum aliud profectò genus hominum magis neceſſarium eſt Reipublicæ, qvam agricolarum. Itaqve Plato in Civitate ſua, qvam ille divinus Philoſophus per-

Exercitium ante menſam.

Comprobatio alterior.

perfectiſſimam cogitatione finxit, primum locum Agricolæ, ſecundum Architecto, tertium Textori tribuit. Ejus verba ſecundo de Republica libro notavimus: Πρώτη καὶ μεγίστη τῶν χρειῶν ἡ τῆς τροφῆς παρασκευή, τοῦ εἶναί τε καὶ ζῆν ἕνεκα. δευτέρα οἰκήσεως: τρίτη ἐσθήσεως. Et paulo poſt: Γεωργὸς μὲν εἷς, ὁ δὲ οἰκοδόμος, ἄλλος δέ τις ὑφάντης.

Platonis teſtimonium.

Qvanta eſt igitur Agriculturæ laus, qvanta majeſtas, qvæ primum in tam perfecta civitate locum, omnium præſtantiſſimi Philoſophi judicio, meruerit? Hoc nimirum eſt, qvod olim ingenioſiſſimi Poetæ finxerunt, juſtitiam ab omnium ordinum gentibus expulſam, apud agricolas longiſſimum tempus habitaſſe. Hoc enim genus hominum innocentiſſimum, & ab omni malitia alieniſſimum eſt. Qvod cùm intelligerent illi antiqvi prudentiſſimi homines, liberos ſuos procul ab urbibus plerunqve rus ablegabant, & ipſi etiam (ut diximus) unà terram colebant: ut & haberent, qvæ ad victum neceſſaria ſunt: & laboribus dediti, non ſinerent animum, ocio luxuriantem ſeſe vitiis & voluptatibus tradere. Nam & ipſorum Imperatorum olim manu colebantur agri: gaudente terra (ut ait Plinius) vomere laureato, & triumphali aratore. Diocletianus Imperator, depoſito ſponte ſua imperio ad vitam ruſticam ſe contuliſſe dicitur: qvi cùm ab Herculio atqve Galerio ad recipiendum iterum imperium rogaretur, tanqvam peſtem aliqvam deteſtans, (ut libro nono ſcribit Eutropius) in hunc modum reſpondit: Utinam Salonæ poſſetis viſere olera, noſtris manibus inſtituta; profectò nunqvam iſtud tentandum judicaretis.

Concluſio.

Juſtitia ubi vigeat?

Comprobatio ab exemplis.

I. Diocletianus.

Adeò

Adeò longè meliorem vitam agreſtium, qvàm Regum & Imperatorũm exiſtimavit, in qva veram felicitatem eſſe expertus erat: ut olim Delphicus Apollo de Aglao Pſophidio judicavit, qvem ideò beatiſſimum eſſe dixit, qvòd ſenior anguſtiſſimo (ut verbis utar Plinii) Arcadiæ angulo parvum; ſed annuis victibus largè ſufficiens prædium colebat; nunqvam ex ego egreſſus: atqve, ut è vitæ genere manifeſtum eſt, minima cupidine minimùm in vita mali expertus. Attalus etiam Pergami Rex, regni cura abjecta, hortos fodiebat. Abdolomino agrum colendi regimen Tyriorum ultrò delatum eſt, ut qvarto librò Q. Curtius ſcribit. Sed qvam fuerint olim Romani agriculturæ ſtudioſi, declarant etiam ipſa cognomina, vel à leguminibus, vel à pecore impoſita. Unde enim Lentuli, Cicerones, Fabii, niſi à lente, cicere, faba? unde Junius Bubulcus, Portius, Vitulus, Taurus, niſi à bobus, porcis, vitulis, tauris? Qvin & ipſa Italia (ut Gellius undecimo libro docet) ab Italis, hoc eſt, bobus, qvibus olim abundabat, denominata eſt. Boves enim Græca veteri Lingva ἰταλοὶ vocitati ſunt. Præterea populum Romanum, gentium omnium victorem, à paſtoribus initium habuiſſe qvis ignorat? Scribit Plinius, magnam partem olim Romanos in agro vivere ſolitos: qvod etiam Plutarchus in Problematibus affirmat. Et tantam olim Romani colendis agris curam adhiberi volebant, ut cenſorio probro notaretur, qvi agrum ſuum malè coluiſſet. Præclare enim intelligebant, id rerum eſſe, qvod etiam Theophraſtus ſcriptum reliqvit: Τὴν γεωργίαν ἀνδρὸς τ̃ ἐλευθέρε εἶναι ἀξίαν, Agriculturam maximè homine libero dignam eſſe,

Propriis poſſe eſſe contentum optimũ.

2. *Attali.*

3. *Ab dolomini*

Oſtenſio proſyllogiſtica à Romanorũ origine.

Ratio ab uſu

esse. Qvare sapientissimè Romulus urbis parens arvorum Sacerdotes inprimis instituit, (ut libro decimo octavo scribit Plinius) seqve duodecimum fratrem appellavit. Nam Fratres Arvales dicebantur, & duodecim erant numero, (ut scribit Fenestella) cui sacerdotio Romulus insigne tribuit, albas infulas, & spiceam coronam: qvæ qvidem corona fuit (autore Plinio) omnium prima, qvæ Romæ donata fuerit. Posteà verò Feriæ etiam Sementinæ institutæ sunt, & tria Sacra Floralia, Vinalia, Robigalia. Nam (ut Varro testatur) duodecim olim apud Romanos Dii habebantur, consentientes Agricolarum Duces: Juppiter & Tellus: qvi magni Parentes dicuntur, & omnes fructus agriculturæ cœlo ac terra continent. Sol & Luna; qvorum tempora observantur, cùm qvædam seruntur & conduntur in tempore. Ceres & Liber, qvod horum fructus maximè necessarii ad victum sint: ab his enim cibus & potus venit è fundo. Robigus & Flora: qvibus propitiis neqve rubigo frumenta, neqve arbores corrumpit, neq; non tempestivè florent: itaq; publicè Robigo feriæ Robigalia, Floræ ludi Floralia instituti sunt. Minerva & Venus; qvarum unius procuratio oliveti, alterius hortorum est: qvo nomine Rustica Vinalia instituta. Lympha & Bonus eventus, qvoniam sine aqva omnis arida & misera est agricultura: sine successu & bono eventu frustratio est, non cultura.

Dii, Deæq; agriculturæ præfecti.

Qvid prætereà dicam, qvot homines doctissimi de Agricultura scripserint? Numerantur à Varrone, primo libro amplius qvinqvaginta, qvos (si cui placet) indè facilimè potest ediscere: qvare eos ego prætermittam. Nonnullos tantùm vobis exponam, de qvibus in eo loco Varro non meminit.

Præteritio.

A monumentis seu libris Georgicis.

Fuerunt enim alii multi tùm Græci, tùm Latini, atqve inprimis Cato Cenſorius, agri colendi ſtudioſiſſimus, cujus extat adhuc Opuſculum de Agricultura, ob antiqvitatis majeſtatem non immeritò venerandum. Duo Saſernæ, pater & filius; Tremelius Scrofa, Cornelius Celſus, cujus adhuc extant octo illa elegantiſſima de Medicina volumina; Julius Atticus, Julius Græcinus, Julius Hygenus, Gargilius Martialis, Terentius, Varro, Plinius, Palladius, Columella: præterea qvos Conſtantinus Cæſar Qvartus, cognomento Pogonatus, in unum collegiſſe dicitur, qvi ſunt à Varrone prætermiſſa; vel qvia nondum qvidam eorum ſcripſerant; vel qvia fortaſsè in ejus manus non pervenerant. Florentinus, Vindanionus, Anatolius, Berityus, Leontius, Tarentinus, Africanus, Pamphilus, Apulejus, Zoroaſtres, Fronto, Paxamus, Demageron, Didymus, Sotion, & alii multi.

Autorum enumeratio.

Inter tot Auctores divinus Poeta noſter Virgilius, de qvo jàm tempus eſt ut nonnulla dicamus, locum habere voluit, & qvatuor hos Georgicorum Libros, qvos (Diis hominibuſqve approbantibus) interpretandos ſumpſimus, politiſſimos reliqvit De qvibus qvid attinet multa dicere, cùm omnium doctorum ſit conſenſus, nullum Opus in hoc genere perfectius inveniri? Divinam enim illam Æneida (ut appellat Statius) morte præventus, Auctor expolire non potuit. Hoc autem Georgicorum Opus non ſolùm limavit & expolivit: ſed etiam doctiſſimorum hominum judicio, dùm adhùc viveret, ſuppoſuiſſe dicitur. Et omnium calculis Heſiodum, qvem æmulatus eſt, longo intervallo poſt ſe reliqvit. Ille enim ad Perſem fratrem de Agricultura ſatis qvidem elegantèr atqve ingeniosè ſcripſit: at verò hic noſter

Inter qvos eminet Virgilius.

noster longè copiosiûs, doctiùs, & elegantiùs omnia tractat. Qvantam enim rebus obscuris lucem carminis nitore præbet? qvo dicendi genere, Dii boni! qvam polito, qvam terso, rusticas res perseqvitur? qvàm scitè cultum agrorum, & arationis modum ac rationem primo libro docet? qvàm ingeniosè secundo arborum sationem? qvàm copiosè tertio curam animalium. Qvid de qvarto dicemus? in qvo cum aliis cæteros omnes superârit, seipsum superasse videtur? qva eloqventia, Dii immortales! qvo candore, qvàm mirabili venustate, de apibus & mellatione loqvitur? Qvid de rerum cognitione, qvam in his libris inserit? de Physiologia, de ortu & occasu siderum, de temporum varietate, de terrarum distinctione, de regionum differentia, qvàm acutè docet omnia? qvàm prudenter? Hoc enim mihi credite, nobilissimi juvenes, in hoc Opere mirabilem esse eruditionem, maximam doctrinam: multa sunt ex intimo Philosophiæ sinu deprompta, multa ex Mathematicis, multa ex omni disciplinarum genere. Qvæ, si modò mihi aures attentas qvotidiè præbueritis, facilimè (ut spero) declarabimus. Sed ad ipsum Virgilium revertor, qvem Alexander Romanus Imperator, Platonem Poëtarum appellabat: Divus Augustinus Poetarum præclarissimum & optimum: Seneca Vatem maximum: Plinius Vatem præcellentissimum: Martialis, æternum: qvem nemo satis unqvam suspicere potest. Hic profectò Poeta nobis magnum ad gloriam incitamentū esse debet: qvi non ex claris parentibus sed obscurissimis; non in urbe aliqva nobili, sed in villa qvadā abjectissima, in patris sui figuli, sive potius pastoris mercenarii mapalib. natus; tantū tamen studio & doctrina effecit,

Declaratio studii & laudis Virgilianæ apprime in Georgicis.

Exclamatio.

Ostensio per enumerationem.

Repetitio attentionis,

cum regressu ad Maronis laudes.

Maronis eulogium.

effecit, ut etiam suo tempore nullus in orbe clarior haberetur, & maximo omnium Monarchæ Octavio Augusto charissimus esset. Et ubi tantam rerum omnium scientiam didicit Virgilius? Erigite, qvæso, animos, nobilissimi Juvenes: hîc enim agitur de vestra, & majorum vestrorum gloriâ. Nam hic Poëta, qvo nullius unqvàm vixit excellentior, Mediolani studuit. Cùm enim Cremonæ virilem togam sumpsisset, paulò post Mediolanum venit, & tantam in hac nostra civitate scientiam didicit. Tu, tu Mediolanum, (inqvam) æterna laurea digna Civitas, tantum Poetam effecisti: tu copioso rerum omnium sinu egenum & alienigenam suscepisti: tu eo tempore studiorum parens Epicorum hunc præstantissimum aluisti. Gaudete tanto alumno; Patrii Penates: lætare civitas, qvæ in partem tantæ gloriæ venisti. Vos autem, ingenui adolescentes, qvid amplius expectatis? Cur non magno cum ardore animi bonarum artium studia complectimini? Cognoscite vestræ civitatis vires, in qva tantus evasit Virgilius. Qvantò magis vobis favebit suis, si favet alienis? Eqvidem dicam apertè, qvod sentio: Magna sunt Mediolanensium ingenia; sed eorum pleraqve nimia rerum copia obruit. Itaqve gloriam aliis derelinqvunt. Sed tamen de vobis omnibus spem jam maximam concepi. Video vos doctrinæ cupidissimos: video erecta vestra omnium ingenia: Video vos maxima discendi cupiditate flagrare. Spero fore, ut dignitatem & gloriam, qvam olim hæc Civitas habuit atqve etiam habet hoc tempore, vos ipsi manibus ac pedibus (ut dici solet) arripiatis. Qvod ita demum vos facturos certum habebo, si qvo cœpistis, animo studiis

Digressio ad doctrinæ Virgilianæ laudem.

Apostrophe ad urbem in ejusdem calcar,

cum fiducia rhetoris.

Conclusio cum iterata hortatione.

ſtudiis incumbere perſeverabitis : & qvotidiè, qvæ dicemus, attentis animis percipientis.

IN P. VIRGILII ÆNEIDOS LIBRUM qvartum.

PRÆFATIO IIX.

MAGNUS ille Peripateticus ex Arabia, qvem Averroëm vocant, cùm Ariſtotelis libros, qvi de Phyſica Auſcultatione inſcribuntur, interpretaturus eſſet, initio libri dixit; Octo eſſe, qvæ præcipuè ſpectari atqve conſiderari debeant: Inventionem, Utilitatem, Ordinem, Diviſionem, Proportionem; Viam doctrinæ. Nomen libri, Nomen Authoris. Qvæ licet in Phyſicis libris longè clarius, qvàm in aliis appareant; poſſunt tamen ad alios etiam libros omnes accommodari. Neqve enim his rebus Poëtica minùs qvàm Philoſophis indiget: cùm Poeta non aliter, qvàm Philoſophi, Scopum aliqvem ſibi proponat atqve finem, qvò modulationem omnem ſuam atqve carmen dirigat, & aliqvam cum jucunditate Utilitatem humano generi afferre ſtudeat: qvemadmodum notis illis carminibus Horatius atteſtatur:

Aut prodeſſe volunt, aut delectare Poëtæ:
Aut ſimul aut jucunda, & idonea dicere vitæ.

Qvin etiam ordinem pulcherrimum qvendam egregius Poeta ſeqvi ſolet; univerſumqve Opus ſuum in partes qvaſdam, qvi Libri dicuntur, dividit:

Exordium à more & præcepto Averreis.

Reqviſita interpretationis.

Ratio per collationem.

Poetica etiam Analyſi eget.

Ordo & methodus in Poesi.

atqve ita dividit, ut aliqvam inter se proportionem habeant omninò. Viam præterea doctrinæ suæ certam habent, qvam seqvuntur, & Operibus suis nomina semper imponunt: singulisqve libris suum ipsorum nomen inscribunt. Cùm igitur excellentissimum Poëtam Virgilium publicè interpretandum mihi delegerim, priusqvam ad Operis atqve Carminum explanationem venio, libet hæc singula, qvæ summus ille Commentator præcipit, indagare. Ac generalis qvidem in toto Opere Virgilii scopus atqve intentio est: Æneæ qvidem res præclarè gestas describere: sed ea occasione Julium Cæsarem, & Augustum celebrare: qvippè qvi ab Æneâ traxisse originem dicebantur. Magna enim laus à majoribus ad posteros, per nobilitatis gradus descendit: modò posteri à majorum suorum virtute non degenerârint. Talem autem Æneam effingere conatur, qvalis tanti imperii, qvantum Romanum extitit, conditor esse debebat: Nullo scilicet omninò vitio deturpatum; & omni virtutum genere cumulatum. Ita nobis specimen, & exemplar qvoddam summæ pietatis & fortitudinis proponere studet: qvippè cùm Æneam ostendat patriæ suæ usqve ad cineres non defuisse; magna religione Deos veneratum fuisse; parentem suum ex hostium manibus, sublatum humeris eripuisse; inter adversis rebus animo semper invicto fuisse; suos hostes omnes tandem debellasse: qvæqve ei adversa accidere, (qvæ propè infinita fuerunt) non ipsius culpa; sed violentia Fatorum, qvæ nullis virtutibus exuperari possunt, evenisse. Homerum autem non imitari tantùm; sed etiam æmulari studuit: ut multi etiam reperiantur, qvi parem illum Homero faciant; multi, qvi præponant. Sed qvi-

Apodosis; per inductionem 8. capitum.

1. Scopus Poetæ in toto opere

Persona fictio in Ænea, ut duce & principe optimo.

A laude ejusdem ob virtutes.

Ab imitatione Homeri qvi Achillem & Ulyssem prædicavit.

qvicunqve rectè sentiunt: Virgilium qvidem maximè suspiciendum & admirandum esse dicunt, & omnibus Latinis Poetis præponendum: sed tamen neqvaqvàm Homero, à qvo totus, qvantus est, effluxit, parem; sed longè inferiorem existimandum. In hoc verò qvarto Libro, qvem interpretaturi sumus, qvanta vis sit Amoris ostendere conatur, qvi non tantùm pudicissimam matronam Didonem; sed etiam omnium sapientissimum & fortissimum virum Æneam, suis laqveis irretiverit. Maximam tamen inter virum & fœminam differentiam ostendit. Licet enim Æneam amori nonnihil indulgentem inducat: nihil tamen indignum persona sua, nihil alienum à summa pietate, nihil præter decorum fecisse ostendit. At verò Didonem, amoris impatientia cætera omnia relinqventem, & uni Æneæ intentam inducit, pudicitiæ oblitam, furentem, inqvietam, vagam, ardentem, opera interrupta deserentem, & tandem ob amantis discessum mortem sibi consciscentem. Hæc intentio Poetæ est. Qvid autem Utilitatis hæc in se habeant, qvis est adeo stupidus, qvin intelligat? Si qvis enim Æneæ vitam sibi proponat imitandam, an non omnium virtutum non adumbratam, sed expressam effigiem videbit? Nam ubi meliùs, qvid virtus, & qvid sapientia possit, invenies, qvàm in hoc divino Virgilii Opere? Qvàm enim pium, qvàm religiosum, qvàm justum, qvàm prudentem, qvàm fortem, qvàm temporatum Æneam suum fuisse ostendit? Qvam deindè sanctas, qvam sapientes ubiqve sententias inserit? Qvot ubiqve præcepta sapientiæ colligere licet? Certè qvod de Homero dicit Horatius, idem nos de Virgilio, & meritissimo qvidem dicere possumus:

Collatio utriusq.

Scopus qvarti Æneid. libri.

Amoris vis.

Ratio in impari persona & animo.

II. Utilitas hujus figmenti.

Exemplar virtutum.

Anaphora.

Poetarum lectio cui bono

Qui, quid sit pulchrũ, quid turpe quid utile quid non Plenius & melius Chrysippo & Crantore dicit.

Addo etiam; Platone & Aristotele melius. Nam quæ præceptis, & theorematibus Philosophi docent, hic Poëta noster expressis exemplis ostendit.

Præteritio.

Quid autem de varia atque multiplici doctrina, quæ ex Virgilianâ lectione percipitur, commemorem? In quo tàm pura & candida locutio, tàm admirabilis carminum structura, tàm suavius rhythmorum modulatio; tot reconditæ & memoratu dignæ historiæ; tot eloquentes & summa Arte Oratoria confectæ orationes; tot loci, ex intima Naturalium Quæstionum subtilitate repetiti, conspiciuntur: ut admirandum maximè sit, in uno homine tantam fuisse scientiam, ut divinæ certè potiùs, quàm mortalis fuisse existimari debeat. Nullus enimunquam in Autore errorem invenit, qui alicujus esse momenti videretur. Quænam igitur utilior lectio reperiri potest, quàm ejus Autoris, in quo nihil est omninò, quod reprehendi possit: & iniquo scientiarum omnium quasi lumina quædam fulgentissima splendent? Sed cùm omnes hujus Autoris libri maximè sint utiles; hic profectò quartus, quem nos interpretandum suscepimus, omnium utilissimus est. Nam, præterquam quod nos id vitium fugere docet: quod omnes penè mortales illaqueat; & in maximos errores & maxima scelera inducit! (Quot enim ob turpes amores facinora perpetrantur? quot amicitiarum violationes, quot contentiones, quot cædes?) etiam artem quandam orationis mirificam in se habet: quam (ut spero) vobis notam faciam. Et ita graviores illos affectus concitat, ut Divus ille Augustinus, vir in nostra Religione sanctissimus, cùm Didonis querelam legeret, lachrymas se continere non potuisse fatea-

Laus & congeries utilitatis variæ.

Ratio.

Conclusio secundi argumenti ab utilitate.

Prærogativa hujus libri præ aliis.

Ratio.

Quia avocet ab illicito amore.

teatur, Qvid de philosophicis qvæstionibus dicam, qvibus undiqve Liber hic scatet? Qvæ qvamvis obscuræ, & ab ipsa natura involutæ videantur: spero tamen, me tàm apertè illas declaraturum, ut etiam ii, qvi primas tantùm literas attigerunt, eas præclarè intelligant.

Præteritio aliarũ commoditatum.

Jam habetis Operis Utilitatem. Nunc ordinem percipite: qvi tamen vulgatior est, qvàm ut à me pro re nova atqve recondita commemorari debeat.

III. Ordo & dispositio elegans.

Qvis enim nescit, Artem poeticam non eundem ordinem imitari, qvem Historici servare solent? ut res gestas ab initio repetentes, ad finem usqve deducant: qvod nulli ferè poetæ faciunt. Neqve enim (ut ait Horatius) bellum Trojanum à gemino ovo ordiuntur, neqve extremum finem investigant; sed in media narratione rem aggrediuntur: deindè per occasionem aliqvam ad principia redeunt: qvibus recitatis, extrema persequntur.

Ordinis Poëtici diversitas ab Historico.

Sic Homerus Iliada suam non à primo Belli Trojani anno exorsus est; sed à nono, qvo propter injuram, ab Agamemnone sibi illatam, Achilles indignatus, à prælio cœpit abstinere. Eodem modo in Odyssea, cùm naufragium Ulyssis descripsisset, posteà servatum illum in Corcyra facit apud Alcinoum ea recitare, qvæ sibi & cæteris Græcis ad Trojam militantibus acciderant.

Declaratio per exemplũ Homeri.

Qvem imitatus Virgilius, non ab excidio Trojæ suum Opus inchoavit: sed in primo libro tempestatem illam horrificam describit, qva Trojanorum naves vi ventorum in Africam delatæ sunt; atq; ibi nactus occasionem, fingit, Trojanum excidium, qvæqve post illud Æneæ contigerunt, ab Ænea, Didonis hortatu, commemorari.

Accommodatio ad Virgilium ejus æmulum.

Qvem ordinem etiam pleriqve alii poetæ secuti sunt, ut Silius Italicus, Statius; præter Lucanum, qvi tamem inter

Ad alios Poetas.

poetas à pleriſqve non habetur. Unde Martialis inqvit:

Sunt qvidam, qvi me dicunt non eſſe Poëtam:
Sed qvi me vendit Bibliopola putat.

Ordinis laus & uſus.

Nihil autem (qvemadmodum in Oeconomico ſuo Xenophon docet) ex omnibus rebus melius aut præſtantius eſt ordine ipſo, qvem ab omnibus Autoribus egregiis, ſed ab hoc præcipuè noſtro ſervari maximè videmus: Nam, ut aliorum librorum ordinem prætermittam qvid hoc qvarto libro magis ordinatum, ubi per gradus qvoſdam ſævus ille puer, qvi Cupido dicitur, pudicæ matronæ mentem expugnat? Non enim illi ſtatim obſcœnā voluptatē proponit: ne turpitudinis facies ejus conatum infringat: ſed Æneæ virtutem & nobilitatem & pulchritudinem oſtentat: qvibus admirata Dido ſororem ſuam Annam alloqvatur, & Æneam qvidem prædicet, ſed tamen fidem, Sichæo datam, frangere ſe nolle dicat. Verùm Anna multis rationibus oſtendit, utile Didoni fore, ſi ſe Æneæ conjunxerit, qvibus verbis animum jam incenſum inflammavit, atqve ita paulatim tantum effecit, ut occaſionem in ſpelunca nacta, pudorem omnem exuerit. Deindè cùm Æneas diſceſſurus eſſet, qvid non effecit, qvid non tentavit Dido, ut eum, (ſi qvo modo fieri poſſet) in Africa retineret? Sed tandem, poſtqvàm nullam ſpem ſibi ſupereſſe vidit, de conſciſcenda ſibi morte cœpit cogitare. Hic eſt Ordo pulcherrimus atqve naturalis.

Ordo qvarti libri.

1. Ab inſinuatione obliqva.

2. A conſilio Annæ, ut pronubæ.

3. A Didonis perſvaſione.

4. Ab eventu in conſilio fruſtrato.

IV. Partitio.

Seqvitur, ut Diviſionem Operis aggrediamur; qvod, ut omnes intelligunt, in libros duodecim diſtributum eſt. Qvæ diviſio utrum ipſius Autoris ſit, an eorum, qvi Opus hoc ſummum poſt Virgilii mortem emendandum ſuſceperunt, qvæſtio eſſe poteſt.

potest. Sed tamen cùm satis constet, Georgicorum Opus ab Auctore ipso qvatuor in libros digestum fuisse; credibile est, etiam hoc Opus ab eodem Autore fuisse divisum. Nam de Homero nulla dubitatio est, qvin Opera sua, indigesta & indivisa reliqverit. Legimus enim, usqve ad Pisistrati Atheniensium Tyranni tempora, per univesam Græciam Homeri carmina sparsa atqve inordinata fuisse: sed deinde Pisistrati jussu fuisse omnia congesta, atqve in libros divisa, qvibus illi veteres Grammatici literarum nomina indiderunt, qvemadmodum scribit Eustathius; ut primus liber Alpha dicatur, secundus Beta; atqve ita deinceps; usq; ad qvartam & vigesimam literam. Qvot enim apud Græcos literæ sunt, in totidem libros utrumqve Homeri Opus, hoc est, Iliada & Odysseam, diviserunt. Undè sunt etiam, qvi scribant: Virgilio, si vita superfuisset, in animo fuisse, ut ad Homeri æmulationem qvatuor & viginti libros conscriberet. Qvod an verum sit, alii judicent. Mihi certè non fit verisimile: cùm videam, id, qvod de Ænea dicendum sibi Poeta susceperat, esse perfectum: neqve habiturum prætereà, qvid diceret, Virgilium: nisi aliud Opus inchoaret. Duodecim igitur tantùm hos libros conscribere atqve perficere decreverat. Atqve hæc qvidem de Divisione. Videamus nunc hujus Operis ad reliqva ejusdem Autoris opera Proportionem. Qva in re sciendum est, Tria esse dicendi genera, qvæ Rhetores nostri Figuras, Græci χαρακτῆρας vocant. Unum Grave, qvod ἁδρὸν Græcè dicitur: alterum Mediocre, qvod μέσον vocatur: tertium Extenuatum, qvod λεῖον atqve ἰσχνὸν nuncupatur. Grave est, qvod constat ex verborum gravium magna & orna-

Collatio cum Homeri libris.

Tituli librorum Homericorum.

Conjectura de numero librorum.

Rejectio.

V. Proportio librorum inter se.

Dicendi genera apud Rhetores 3.

ornata constructione. Mediocre est, qvod constat ex humiliore, neqve tamen ex infima & pervulgatissima verborum dignitate Attenuatum est, qvod demissum est usqve ad usitatissimam puri consvetudinem sermonis. In his autem omnibus Dicendi generibus Virgilius magnoperè excelluit. Nam in Extenuato dicendi genere Bucolica conscripsit: in qvibus tantam apud Latinos gloriam adeptus est, ut Theocrito, qvem imitatus est, non tantum par; sed etiam longè superior habeatur. In Mediocri verò genere Georgica composuit: qvo qvidem nihil perfectius in suo genere reperiri potest: ut eum multi non tantùm Hesiodo præponant; sed etiam ipsum se in eo Opere Virgilium superasse fateantur. Deniqve in Gravi dicendi genere scripsit Æneida: qvam qvidem morte præoccupatus, emendare atqve perficere non potuit: sed tamen nihil gravius, nihil ornatius haberi manifestum est. Possunt igitur hæc Virgilii Opera inter se comparari, & proportione conjungi: ut, qvemadmodum ad Georgica se Bucolica habent; ita etiam ad Æneidem Georgica se habeant: & contra, qvemadmodum Æneis ad Georgica se habet; ita etiam Georgica se habeant ad Bucolica. Qvo fit, ut Æneis eminentiorem locum teneat, Georgica medium, Bucolica infimum: non aliter atqve si qvis binarium numerum ad qvaternarium compararet, & qvaternarium ad octonarium: sic enim fiet, ut octonarius in eminentiori parte sit, qvaternarius in media, binarius in infima. Dixi de Proportione. Seqvitur, ut de Via doctrinæ verba faciam. Qvæ qvidem non ita exqvisita in Poëtis inveniri potest, qvemadmodum iis in libris, qvi Didascalici nominantur; in qvibus alicujus artis præcepta summa diligentia tradun-

Bucolica seu Ecloga qvali stylo?

Georgica qvali?

Æneis qvali?

Proportio in qvibus consistat;

Per collationem proportionis arithmeticæ.

VI. Methodus docendi.

traduntur. Sed tamen etiam in Poetis diligens interpres pulcherrimam docendi viam servare potest: ut si ea primò, qvæ ad vocum proprietates, & locutiones, & qvæ tropi dicuntur, & omninò ad Grammatici officium pertinent, observet: ut fabularum explicationem, historiarum enarrationem, carminum qvalitatem, Poeticas figuras atqve locutiones. Deinde consideret, an aliqvid sit, qvod Rhetoricam attingat: ut argumentorum inventionem atqve dispositionem, verborum ornatum & splendorem, sententiarum gravitatem, totius orationis exornationes. Notabit etiam ea, qvibus honesti mores componuntur, qvæ ad familiæ custodiam, & Reipublicæ administrationem spectant. Postremò si qvid erit, qvod ad Naturalem scientiam faciat, aut ad Mathematicas disciplinas, id accuratè atqve diligenter explicabit. Hæc doctrinæ via pulcherrima atqve utilissima est, qvam nos, qvantum facultas nostra feret, in hoc divino Autore interpretando seqvemur. Supereſt, ut Operis Nomen videamus: qvod ab eo viro, cujus facta & res gestas sibi commemorandas sumpsit, Virgilius deflexit. Qvis enim non videt, ab Ænea nomen huic Operi fuisse hoc impositum, ut Æneis diceretur? qvod Homeri ad imitationem, sicuti pleraqve alia factum est. Ut enim Homerus id Opus, in qvo res ab Ulysse gestas recenset, Odysseam ab Ulyssis nomine inscripsit; ita noster hic Autor ab Æneæ nomine, suum Opus Æneida voluit appellare. Qvod qvidem Opus etiam dum ab Auctore componeretur, tantam de se expectationem concitavit, ut insignis Poeta Propertius non dubitarit exclamare.

1. Expositio Grammatica. *2. Rhetorica.* *3. Ethica & Politica.* *4. Physica & Mathematica.*

VII. Titulus libri.

Collatio cum Homericis titulis.

Cedite

Cedite Romani Scriptores, cedite Graji:
Nescio qvid majus nascitur Iliade!

Qvin etiam non uno in loco Poeta ingeniosissimus Ovidius hoc Opus celebrat: ut Tristium libro secundo:

Et tamen ille tuæ felix Æneidos Autor
Contulit in Tyrios arma virumq; thoros.

Idem de Ponto libro tertio, elegia qvarta:

Res qvoq; tanta fuit, qvantæ subsistere summo
Æneidos Vati grande fuisset onus.

Statii encomium Maroni datum.

Statius autem Thebaida suam alloqvens, ut Æneidi divinæ cedat, adhortatur his verbis:

Vive precor, nec tu divinam Æneida tenta,
Sed longè seqvere, & vestigia semper adora.

Ovidius Amorum libro primo vaticinatur, Opera Virgilii æterna futura:

Tityrus, & segetes, Æneiâq; arma legentur,
Roma triumphati dum caput orbis erit.

Commendatio carminum Maronis.

Magnum etiam, dum viveret, honorem, magnam gloriam & celebritatem ex Operibus suis assecutus est Virgilius. Ferunt enim, dum ejus carmina qvædam Bucolica Romæ recitarentur, præsente Cicerone; vehementer admiratum styli elegantiam & carminum nitorem, exclamasse Ciceronem:

— — Magna spes altera Romæ:

Tullii testimonium & suffragium, Cornelii Taciti.

qvasi ipse primus Romanæ lingvæ propagator fuisset: Virgilius autem secundus esset futurus. Cornelius verò Tacitus scribit, cùm aliqvando Virgilius in theatrum spectandi gratia venisset, universum illi populum Romanum, tanqvàm Octaviano Cæsari, assurrexisse. Sed de nominis hujus ratione non alienum est id hoc loco referre, qvod Priscianus libro secundo notavit: Si Nominativus (inqvit)

(inqvit) Græcus in ας, vel in ης vel in ιος desinat; Genitivus verò in ου diphthongum; a penultima brevis ante des reperitur in patronymico, ut Pelias Peliades, Æneas Æneades. Nam Æneides magis contra Regulam auctoritate Poëtica posuit Virgilius, e & a correptas, in i productam convertens: vel qvasi ab Æneus Æneides, sicut à Peleus Pelides; proferens in nono:

Inqvisitio Grammatica tituli è Prisciano,

Sit satis Æneidæ telis impunè Numanum
Oppetiisse tuis.

per Analogiam.

Qvibus ex verbis intelligi potest, hoc nomen Æneis, Æneidos, vel Auctoritate Poetica contra Regulam prolatum: pro eo qvod esset, Æneas Æneados: vel ab hoc nomine Æneus Ænei deflexum esse. Fuit autem Æneas (ut Philostratus in Heroicis scribit) vir apud Trojanos maxima sapientia præstans, sicut Hector fortitudine: itaqve hic Manus, ille Sensus putabatur; ambo ætate, staturaqve æqvales. Dictys Cretensis scribit, Æneam & Antenorem Ilium prodidisse Græcis, domosq; eorum in direptione Ilii incolumes conservatas; postremò in Italiam ambos navigasse. Dares Phrygius Polydamanta, Antenorem, Dolonem, & Æneam proditores fuisse narrat. Livius autem ideò neqvaqvàm à Græcis in Antenorem, & Æneam sævitum fuisse scribit, non qvia proditores fuerint, sed qvia vetusti Græcorum hospites essent, & qvia pacis, reddendæqve Helenæ semper autores fuissent. Restat adhuc, ut de Autoris Nomine nonnulla dicamus: deindè finem huic fermoni nostro inponamus. Tria igitur hic Autor noster ex Romana consvetudine nomina sortius est: qvorum primum Pronomen appellatur, alterum Cognomen, tertium Agnomen. Publius enim

Narratio vitæ Æneæ historica.

Diversi autores diversa tradunt.

IIX. Autoris nomen.

enim differentiæ gratia dictus est. Hoc autem Prænomen antiqvissimum sanè fuit apud Romanos, & à plebe deductum est. Nam apud antiqvos, qvi plebem colerent, & observarent, Publicolas & Publios appellatos legimus. Fuit etiam hoc nomine Mimorum Poëta qvidam, Julio Cæsari familiaris; de qvo Gellius & Macrobius meminerunt. Et Plinius, libro octavo, capite qvinqvagesimo primo: Publii (inqvit) Mimorum Poetæ cœna, postqvam servitutem exuerat, nulla memoratur sine abdomine: etiam vocabulo Suminis ab eo imposito. Cur autem Virgilius appellatus fuerit, qvidam hanc causam afferunt: Qvod ejus mater, cùm gravida esset, se lauream virgam parere somniavit, qvæ paulò post ita creverit, ut mirum esset, & varios flores & fructus afferret. Qvin etiam cùm in fossa qvadam puerum enixa foret, ibi populeam virgam consevisse dicitur, qvæ brævi tempore in maximam altitudinem creverit, unde à virga Virgilius cognominatus est: qvod ille Calvi versus, qvi circumfertur, indicat:

1. *Prænomen Publius.*

2. *Cognomen Virgilius.*

3. *Unde?*

Et Vates, cui virga dedit memorabile nomen,

Qvæ si vera sententia est, frustrà Politianus in Miscellaneis suis capite septuagesimo septimo laborat; qvi multis rationibus ostendere conatur, non Virgilium per i, sed Vergilium per e scribendum esse: qvi mihi sanè rectè videtur à Bartholomæo Scala, & à Volaterrano irrideri. Nam omninò minutior res est, qvàm qvæ bona diutius ingenia distorqveat. Si qvis tamen Politiani rationes admittere velit; huic ego sanè non admodùm repugnabo: qvoniam in antiqvis voluminibus varia scriptura reperitur. Nam modò Virgilium, modò Vergilium, interdum etiam Vergillium per duplex

Diversa scriptio & lectio.

duplex ll. ſcriptum invenies: qvod etiam Chriſtodorus in Statuarum Ecphraſi notavit. Qvinetiam in Cæcilii Minutiani Apulei fragmentis, qvæ leguntur, modò à virga Virgilium dictum, modò à Vergiliis ſtellis Vergilium obſervavimus. Sed hæc qvæ parùm admodum referunt, miſſa faciamus. Maro dictus eſt à patre Marone; qvem qvidam figulum fuiſſe exiſtimant; qvidam agricolam mercenarium, qvi poſtea ſylvis coëmendis, & apibus curandis rem ſuam familiarem amplificaverit, adeò ut etiam filio ſuo ſumptus ad ſtudia perſeqvenda ſuppeditare facilè poſſet. Sed mihi non eſt ſententia Poëtæ vitam recitare; qvam & Servius Grammaticus, ſeu qviſqvis ille fuerit, & Petrus Crinitus, & noviſſimè Lilius Gyraldus copiosè narrarunt. Neqve ſanè Poëtæ laudes perſeqvi animus eſt; qvas certè ingenii mei tenuitas non patitur; cùm nemo prorſus tantâ præditus eloqventiâ reperiatur, qvi tàm egregium Authorem dignè celebrare poſſet, qvem Alexander Imperator Poetarum Platonem, ut Lampridius ſcribit, appellare ſolitus eſt; Auguſtus autem tantopere ſuſpexerit, ut in ejus laudem carmina componere tantus Imperator non dedignatus ſit, qvæ qvidem ita concluduntur:

Præteritio.

Pater Virgilii qvi?

Rejectio.

Ratio ab autoritate gemina.

Immò ſit æternum totâ reſonante Camœnâ
Carmen: & in populo Divi ſub numine nomen
Laudetur, vigeat placeat, relegatur, ametur.

Adrianus autem Imperator Ennium Virgilio præponere non dubitavit. Qvinetiam Caligula, nullius judicii vir, Virgilium damnare, & conviciis inceſſere ſolitus eſt. At verò Græci, cùm opibus & imperio florerent, Virgilium adeò coluere, ut ejus Opera non ſemel in ſuam Lingvam traduxerint,

Contrarium ineptum.

Christodorus etiam in Ecphrasi sua hæc de Virgilio carmina edidit:

> Καὶ, φίλος Αὐσονίοισι λιγύθροος ἔπρεπε Κύκνος,
> Πνείων εὐεπίης Βεργίλιος ὅν ποτε Ρώμης
> Τύμβρις ἄλλον Ομηρον ἀνέτρεφε πάτριος ἠχή.
> *Cygnus, & Ausonius divinum nectar ab ore*
> *Virgilius spargens aderat, qvem Martia Roma*
> *Eloqvio ipsa suum patrio nutrivit Homerum.*

Exaggeratio laudum Virgilii & ejus pro aliis eminentiæ ab interpretis copia.

Sed ut planiùs agnoscatis, qvantoperè divini hujus Poetæ fuerit observata doctrina atqve eruditio, accipite, qvot & qvales viros in Virgilii Carmina Commentarios edidisse legamus. Nam & C. Julius Hygenus, & Valerius Probus, & Scaurus, & Caper, & Æmilius, & Asper, & Urbanus, & Aurelius, & Cornutus, & Pius, & Carminius, & Junius, & Philargyrus, & Carpinus; & Donatus, & Servius Honoratus, & Macrobius, in Virgilium commentati sunt. Qvi verò Virgilium Romæ primus publicè prælegerit. Qvintum Cæcilium Grammaticum Epirotam, Attici Pomponii libertum, fuisse scribit Svetonius Tranqvillus.

Virgilium intelligere & rectè interpretari posse, est aliqvid solus scire.

At posteà tantoperè cultus & observatus fuit, ut nullus sit tàm infimus literator, qvin eum discipulis suis prælegendum censeat. Itaqve jam vulgare factum est, neqve magnificum admodum habetur, Virgilium interpretari: cùm tamen tàm insignem Poetam intelligere, summæ sit eruditionis atqve doctrinæ.

Conclusio cum attentione.

Nos igitur (ut spero) tantum in lectionibus nostris elaborabimus, ut qvicunqve me audierint, ipsi per se judicent, longè majoris esse negocii, Virgilianas virtutes agnoscere, qvàm vulgares isti literatores existimant.

IN

IN M. TULLII CICERONIS, De Officiis ad Marcum filium, Libros treis,

PRÆFATIO IX.

CUM anno superiore, studiosi juvenes, Rhetoricorum libros ad Herennium, qva potui diligentia vobis interpretatur fuerim; & qvæ vel Aristoteles, vel Cicero, vel Qvintilianus dicendi præcepta reliqvit, qvoniam eos mihi auctores proposueram, pro facultate mea declarârim: conseqvens esse videbatur, ut hoc tempore Ciceronis Orationes, in qvibus, qvicqvid habebat eloqventiæ, vir ille divinus ostendit, aggrederemur. Cùm enim in omni doctrina, qvemadmodum Aristoteles docet, duo sint habitus: qvorum alter Cognitio vel Scientia dicitur, alter Usus vel Experientia: fit ut idem etiam in Rhetorica contingat; cujus ex præceptis, qvæ traduntur in libris, ejus nomine inscriptis, cognitio percipitur: ex Orationibus autem usus intelligitur. Itaqve cùm à me jam Rhetorum Præcepta declarata sint, qvæqve ad artis cognitionem pertinent: jam optimo posset aliqvis vestrûm Usum etiam ex orationibus à me reqvirere. Sed qvoniam meum semper judicium fuit: Artis præcepta parùm admodùm, aut nihil ei prodesse, cui non virtutum omniũ atqve vitiorũ cognita sit ratio, qvoniam ab his fontibus ferè omnis oratio nostra profluit; statui, priusqvàm Orationes aggrediar,

Exordium ab ansa & ordine autorum hactenus explicatorũ à se.

Ratio.

Apodosis.

Adversativa.

Propositio. Opus planè aureum Ciceronis de Officiis hoc anno vobis interpretari. Qvo qvidem in Opere tàm aptè, tàm distinctè, tàm ornatè, qvæcunqve sunt in virtutibus atqve vitiis posita, declarantur, nihil ut excogitari præclariùs possit. *Attentio tacita.* Qvæ si qvis diligentèr advertat ac memoriæ mandet, ei tantum ad dicendi facultatem utilitatis adferent, ut omnium magistorum præceptis anteponi meritò possint. *Declaratio utilitatis.* Cum enim (ut Aristoteli placet) tria Rhetoricæ genera sint: qvorum unum est in Deliberando? alterum in Judicando; tertium in Demonstrando: nullum est ex his genus, qvod sine Officiorum cognitione digitum (ut ajunt) dicendo progredi possit. *Comprobatio.* Qvis enim in concione sapienter sententiam dicere, recteqve consulere potest, nisi qvi planè cognoverit, qvæ sint amplectenda, qvæqve sint rejicienda? Cùm autem tria sint, qvæ expeti soleant; Honestum, Utile, Jucundum: & tria, qvæ naturalitèr omnes evitent; Turpe, Inutile, Molestum; horum omnium ratio his in libris explicantur; ut non difficile sit ei, qvi persvadere aliqvid velit, hinc qvasi è penu qvodam, qvæcunqve sint ad persvadendum accommodata, promere. *ObjectaRhetorum per tria causarum genera.* Qvid in judiciis, cùm accusandas est, aut de fendendus aliqvis, nonné in æqvi & justitiæ disputatione tota consumitur oratio? qvoniam ea virtus omnium est regina virtutum, & ad omnem ferè actionem necessaria qvam nemo certè meliùs tractabit, qvàm qvi explicatis totius humanæ vitæ officiis, apertè novit, qvid in eis æqvè & qvid iniqvè fiat. *Ostensio specialis horum* Jàm verò qvis claros homines magnificè laudare, qvis improbos acritèr vituperare potest, nisi qvi virtutum omnium, atqve vitiorum species diligentissimè cognoverit? Cùm igitur tribus tantùm in

in generibus, Deliberandi, Judicandi, Demonſtrandi, omnis Rhetorica verſetur; atqve in his omnibus hæc Officiorum cognitio qvodammodò regnare videatur: cui dubium eſſe poteſt, qvin ad eloqventiam comparandam, & ad orationem pleniorem efficiendum hoc Opus omnium maximè poſſit? qvid, qvòd apud Ciceronem Craſſus ait; Nullum eſſe Oratorem poſſe, niſi qvi eam Philoſophiæ partem, qvæ ad vitam & mores pertinet, omnem perdidicerit? Omnis enim ferè noſtra oratio fit ex iis rebus, qvæ vel agendæ, vel fugiendæ ſunt: in qvibus cùm Officium omne conſiſtat; neceſſariò ſeqvitur, ut qvi Officiorum ignarus eſt, is etiam in dicendo rerum inops & infacundus ſit. Jam igitur profectò videtis, Juvenes, qvæ me ratio potiſſimùm in hanc ſententiam duxit, ut poſt explicata Rhetoricæ præcepta ad hos de Officiis Libros interpretandos aggrederer. Hùc accedit alia multò certè gravior cauſſa: Qvoniam his in Libris tota benè beatèqve vivendi ratio continetur, ut Chriſtianam qvodammodo Religionem univerſam complecti videantur. Qvo fit, ut nulla prorsùs Philoſophiæ pars huic anteponi debeat: nulla enim animorum alia medicina reperitur. Qvamobrem hæc Moralis Philoſophia tantò reliqvis diſciplinis excellentior eſt, qvantò animi corporibus antecellunt: ut eam non immeritò Cicero vitæ ducem & virtutis indagatricem, expultricemqve vitiorum appellârit. Cujus præceptis qvi parére voluerit, is qvaſi extra omnem fortunæ aleam poſitus, caſus omnes contemnet humanos; magno erit atqve conſtanti animo; nulla ægritudine, nulla perturbatione movebitur: ſed in perpetua mentis tranqvillitate ſvaviter & jucundè vitam aget.

Concluſio.

Demonſtratio ulterior, Rhetorem Ethices gnarum eſſe debere.

Epanados ad ſcopum orationis;

per collationem cum oſtenſione neceſſitatis.

à fine & uſu.

Ratio. Neqve enim (ait Epicurus) jucundè vivi poteſt, niſi cum virtute vivatur. Ideò Socrates, à qvo hæc omnis, qvæ eſt de vita atqve de moribus philoſophia, manavit, Virtutem ad beatè vivendum ſolam ſufficere prædicabat, ſolamqve hanc philoſophiæ partem amplexus eſt. Cùm enim omnis philoſophandi ratio triplex ſit: Una de vita & moribus; Altera de Natura & rebus occultis; Tertia de Differendo; qvid verum, qvid falſum, qvid rectum in oratione, pravumvè, qvid conſentiens, qvid repugnet, judicando: primam partem hanc benè vivendi ſolam ſibi excolendam, atqve illuſtrandam Socrates exiſtimavit: cætera verò, qvòd eſſent obſcura; atqve ab ipſa natura adeò involuta, ut cauſæ prorſus laterent, relinqvenda eſſe cenſuit: & dictum illud in ore freqventer habuit. Τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, Qvæ ſupra nos, nihil ad nos. Itaqve de natura, atqve de rerum cauſis, in qvibus alii ferè omnes multum temporis atqve operæ conſumebant, nunqvam Socrates diſputabat: ſed ea tantùm ſtudiosè perqvirebat, qvæ ad mores honeſtè conformandos pertinerent: Cœleſtia autem, vel procul eſſe â naturæ cognitione cenſebat, vel ſi maximè cognita eſſent, nihil tamen ad benè vivendum. Omnis igitur ejus oratio in virtute laudanda, & in hominibus omnibus ad virtutis ſtudium cohortandis conſumebatur: ut ex Socraticorum libris, maximeqve Platonis intelligi poteſt. Platonis autem auctoritate, qvi varius, & multiplex (ut ait Cicero) & copioſus fuit, una & conſentiens duobus vocabulis philoſophiæ forma inſtituta eſt; Academicorum & Peripateticorum: qvi rebus congruentes, nominibus differebant. Nam cùm Speu-

Partitio philoſophiæ triplex.

Collatio 3. ſpecierum inter ſe.

Ethices prærogativæ.

ſippum

ſippum ſororis filium Plato Philoſophiæ qvaſi hæredem reliqviſſet: duos autem præſtantiſſimos ſtudio atqve doctrina, Xenocratem Chalcedonium, & Ariſtotelem Stagiritem: qvi erant cum Ariſtotele, Peripatetici dicti ſunt, qvia diſputabant inambulabantes in Lyceo: illi autem, qvi Platonis inſtituto in Academia, qvod eſt alterum Gymnaſium, cœtus erant, & ſermones habere ſoliti, è loci vocabulo nomen habuerunt. Florebant autem Athenis eo tempore liberalium omnium artium ſtudia: cumqve variæ philoſophantium opiniones eſſent; factum eſt, ut in varias ſcholas atqve ſectas, tanqvàm in familias qvaſdam, Philoſophi dividerentur. Hinc à Platonis Academia dicti ſunt Academici: ab Ariſtotelis ambulatione, Peripatetici: à porticu illa varia, in qva Zeno docebat, Stoici nominati: hinc, qvod mordaces atqve inverecundi, tanqvàm canes eſſent, Cynici dicti, qvorum princeps & auctor Antiſthenes fuit, illuſtrator Diogenes: Ariſtippus Cyrenaicæ ſectæ princeps fuit, Arceſilas novæ Academiæ, Phædon Heliacæ ſectæ, Euclides Megaricæ, Menedemus Eretricæ. Sed nê ſingula perſeqvar, nulli erant eo tempore nobiliores philoſophi, qvi non Athenas ſtudiorum gratia proficiſcerentur: ideò in ea civitate, ait Cicero, natam & altam eſſe rationem. Ad Romanos autem philoſophiæ ſtudia tardiſſimè pervenerunt. Nam qvi ante Ciceronem aliqvid de philoſophia ſcribere aggreſſus eſt, nemo ſanè perhibetur. Ætas verò illa Ciceronis ingeniorum maximè fœcunda fuit: ut nullum inveniatur literarum genus, qvod eo tempore non magnoperè floreret. Qvin ipſe Cicero, cùm eſſet acerrimo vir ingenio

Diſcrimen Academicorum & peripateticorum.

Secta philoſophorum olim unde.

Cicero cui sectæ addictus. nullam Philosophiæ partem, nullum Philosophorum genus intactum relinqvere voluit. Sed omnes omnium Sectarum opiniones degustavit: maximè verò omnium Platonem admiratus est, & cæteris omnibus Philosophis anteposuit; atqve ejus scriptis adeò delectatus est, ut sæpissimè pagellas integras ab eo sumat, & verbum verbo penè reddat. *Platonicus fuit, ita ut Latinus Plato dici qveat.* Qvin etiam totum de universitate Librum ex Timæo Platonis ad verbum penè dixerim interpretatus est, multosqve Dialogos ad Platonis imitationem conscripsit. *Ex parte Stoicus.* Stoicam etiam disciplinam, propter gravitatem (ut arbitror) sententiarum non mediocritèr adamavit: qvod cùm ex hoc officiorum Opere, in qvo Panætium Stoicum se imitatum esse confitetur, tùm maximè ex Tusculanis Qvæstionibus & Paradoxis intelligi potest; ubi totus omninò Stoicus est. *In officiis qvam sectam tueatur.* In Officiis autem qvamvis se Stoicos imitari fateatur; tamen qvia communi vitæ præcepta tribuit, non ita (qvod ajunt) ad vivum resecat: satis enim est illi, docere, qva ratione qvis in omni vitæ genere rectè atqve honestè se gerere possit Itaqve rectissimè de Officiis hoc Opus inscripsit: *Objectio.* qvamvis hunc titulum Cælius Calcagninus frustrâ voluerit improbare, qvi censet, longè meliùs futurum si de Officio, qvàm de Officiis Auctor inscripsisset. *Solutio.* Sed ejus opinionem nos jam apertissimis argumentis atqve rationibus refutavimus in eo libro, qvem contra Disqvisitiones ejus scripsimus: cùm præsertim ipse Cicero ad Atticum scribens, Epistolarum libro ultimo sic ajat: Qvod de Inscriptione qværis, non dubito, qvin καθῆκον officium sit: nisi qvid tu aliud: sed inscriptio plenior De Officiis. Videbat enim Cicero, fore, ut, si de Officio inscripsisset, de una tantùm arte,

vel

vel de uno tantum hominum genere intelligeretur; ut ſi qvis dicat de Imperatoris Officio, aut de Officio Medici. Nunc autem cùm De Officiis inſcripſerit, dubitare nemo poteſt, qvin cujus libet generis hominum atqve omnis ætatis Officia complectatur. Præterea tùm duplex Officium ſit; Perfectum & Medium: ſi de Officio fuiſſet hoc Opus inſcriptum, dubitare qvivis poſſet, de qvo Cicero potiſſimùm intelligeret, de Perfecto, an de Medio, an de utroqve. Nunc autem hæc De Officiis inſcriptio dubitationem omnem tollit, cùm de utroqve tractare eum intelligamus. Sed de Officiis primùm ſcripſiſſe Zenonem Citticum, Diogenes Laërtius & Suidas tradunt: poſt qvem idem argumentum alii multi ſunt aggreſſi. Nam & Panætius Rhodius, Stoicus Philoſophus, Africani Scipionis præceptor, de Officiis ſcripſit; qvem imitatus Cicero, præclarum hoc Opus edidit; de qvo Plinius in præfatione Naturalis Hiſtoriæ ſic ait; Non illa Virgiliana virtute ut certarent, non Ciceroniana ſimplicitate: (qvi in libris de Republ. Platonis ſe comitem profitetur) in conſolatione filiæ Crantorem (inqvit) ſeqvor, item Panætium de Officiis. Qvæ volumina ejus ediſcenda non modò in manibus habenda qvotidiè, noſti. Scripſit etiam Poſſidonius de Officiis: qvo Philoſopho, qvemadmodum Plutarchus ſcribit, Cicero præceptore uſus eſt. Epictetus etiam Stoicus, qvem Neronis tempore Romæ vixiſſet legimus, nonnulla de Officiis tractavit. Sed apud Latinos ſola Ciceronis Officia leguntur: qvamvis Epiſtolarum libro decimo qvinto Seneca ſcribat: A. M. Bruto librum περὶ καθήκοντος fuiſſe conſcriptum. Nam Divus Ambroſius, cùm de Officiis ſcriberet, nihil aliud egiſſe mihi videtur,

Tituli ſeu Inſcriptionis ratio.

Autores, qvi ante Tullium de eadem materia ſcripſerunt.

1. Panætius.

2. Poſſidonius.

3. Epictetus.

Imitatio D. Ambroſii.

qvàm ut præcepta Ciceronis ad Christianam religionem traduceret. Satis autem constat, post mortem Cæsaris, qvi tribus & viginti vulneribus in Senatu fuit à conjuratis confossus, hoc Opus á Cicerone conscriptum: qvod vel ex eo loco potest intelligi, qvi est in primo de Officiis: Declarat id modò temeritas C. Cæsaris, qvi omnia jura divina, & humana pervertit; propter eum, qvem sibi ipse opinionis errore finxerat, principatum. Et in eodem libro, alio in loco: Qvare L. Syllæ, & C. Cæsaris pecuniarum translatio à justis dominis ad alienos, non debet liberalis videri. Nam eo tempore, cùm à forensibus negociis cessaret, totum se Philosophiæ Cicero tradidit, multosqve libros brevi admodum tempore conscripsit: inter qvos hoc Opus ad Marcum Ciceronem filium suum composuit, qvi eo tempore Athenis ingenuis artibus operam daret sub Cratippo Peripatetico, qvem etiam M. Brutus, cùm post interfectum Cæsarem Athenas venisset, audivisse dicitur. Fuit autem Ciceronis filius, qvantùm ex Historiis colligere possumus, patri suo magnoperè dissimilis? qvamvis primam ætatem variè traduxerit: qvod ipse Cicero multis in locis ostendit. Nam ad Atticum scribens libro decimo, dolet, filium suum indulgentia corruptum, his qvidem verbis. O rem miseram! Nihil enim mihi accidit in omni vita acerbius. Indulgentia videlicet nostra depravatus, eò progressus est, qvò non audeo dicere. Sed posteà patris castigationibus emendatus, resipiscere cœpit, & honestatis viam ingredi: qvo factum est, ut eum Brutus vehementer amaret, & exercitum illi crederet. Qvin etiam anteà bello civili, qvod inter Cæsarem & Pompejum gestum est, qvamvis admodùm

Tempus scriptorum librorum.

Filius Ciceronis degener,

aliqvantùm mutatus.

dùm esset adolescens; tamen à Pompejo eqvitum turmæ præfectus fuit: qvod secundo de Officiis testatur his verbis, ejus pater: Tua autem ætas incidit in id bellum, cujus altera pars sceleris nimium habuit, altera felicitatis parum: qvo tamen in bello, cùm te Pompejus alæ alteri præfecisset, magnam laudem & à summo viro, & ab exercitu conseqvebare, eqvitando, jaculando, omnia militari labore tolerando. Dicitur etiam idem Bruti auspiciis apud Bilidem in Epiro C. Antonium superasse, multaqve strenuè gessisse: auctor Plutarchus in M. Bruti vita. Fuit posteà Consul cum Augusto Cæsare: qvod Plinius libro vigesimo secundo, capite sexto his verbis attestatur: Ipsum Augustum cum M. Cicerone filio Consulem, Idibus Septembribus Senatus obsidionali donavit. Post gestum autem Consulatum, Asiam Proconsul administravit: qvamvis esset admodum inqvinatis moribus. Erat enim adeò vino deditus, ut ebrietate sæpissimè laboraret, & ea de causa memoriam omnem amiserit. Nam Plinius libro decimo qvarto, capite ultimo scribit, hunc binos congios simul haurire solitum. Sed nimirum (addit Plinius) hanc gloriam auferre Cicero voluit interfectori patris sui, M. Antonio. Hac de causa ferunt eum vulgò Bicongium fuisse nominatum: qvemadmodum etiam Novallius Torqvatus Mediolanensis, Tricongius dictus fuit, tribus congiis (ut ait Plinius) epotis uno impetu, spectante, miraculi gratia, Tiberio Principe. Nihil igitur profuit Ciceroni filiò patris sapientia, nihil Philosophiæ præcepta, qvò minùs in omne dedecus ac turpitudinem prolaberetur. Qvod idem iis accidit omnibus, qvi non opti-

Miles factus.

Fortiter se gessit.

Insignis bibo.

Cognomen bicongii nactus.

Eventus frustraneus in erudiendo filio.

Adverſativa per apoſtrophen in meliore ſpe & mente.

optimis conſiliis aures patefaciunt: ſed veluti pecora prona & ventri obedientia, nihil egregium, nihil magnificum animo voluunt. Vobis autem, egregii Juvenes, alia mens, alia cogitatio ſuſcipienda eſt: ut præſtantiſſimorum hominum veſtigiis inſiſtentes, patriæ veſtræ ſplendorem & ornamentum, vobis opes & gloriam comparere valeatis. Qvod qvidem facilimè facietis, ſi diligentèr hæc Ciceronis præcepta, qvæ traduntur hoc in Opere, memoriæ mandantes; omni ſtudio atqve diligentia perficere ea contendetis. Nihil enim ab eo prætermittitur, qvod ad honeſtatem atqve dignitatem aliqvo modo pertinere videatur. Cùm enim ad benè beatèqve vivendum, qvicqvid honeſtum eſt atq; utile, reqviratur; ita diſtinguit Opus ſuum Cicero, ut primo libro de honeſtate, ejuſqve partibus diligentiſſimè verba faciat; omnemqve virtutem qvatuor formis contineri doceat, Prudentia, Juſticia, Fortitudine Temperantia: qvas Virtutum ſpecies ſigillatim ita tractat, ut nihil clariùs, nihil ſplendidiùs, nihil ornatiùs tractari poſſit. Secundò verò libro qvæcunqve generi humano poſſunt aliqvam afferre utilitatem, ſtudiosè perſeqvitur. Qvo in libro docet etiam, qva ratione facile poſſimus & magnum amicorum numerum, & ingentem nobis gloriam comparare Sed qvoniam accidit aliqvando, ut, qvod honeſtum eſt, ab utili qvodammodò diſcrepare videatur, atqve idem contrà: voluit etiam huic ſatisfacere Cicero: qvare tertium librum duobus adjunxit: qvo perſpicuè declarat, qvid nobis faciendum ſit, ſi qvando accidit, ut honeſtas cum utilitate pugnare videatur. Atqve ita tribus libris, hoc eſt, perfecto atqve abſoluto numero, totam benè vivendi rationem complexus, perfectum

Conſilium autoris.

Diviſio librorum & ſcopus.

1. Libri ſumma.

2. Libri.

3. Libri.

Inventio autoris repetita

fectum nobis Opus & elegantissimum tradidit. Nihil enim arbitror, hoc in dicendi genere æqvabili atqve temperato fieri politiùs & elegantiùs posse. Qvarè non tantùm hos libros legere; sed etiam (ut Plinius præcipit) ediscere ad verbum, & memoriæ debemus.

IN M. TULLII CICERONIS, De Oratore ad Qvintum Fratrem, Libros treis,

PRÆFATIO X.

Exordium à comparatione in laudem Tullii à philomela.

LUSCINIAM, Auditores, unam ex avibus maximè solent ii, qvi Naturas animalium scribunt, admirari: qvod in tàm parvo corpusculo tàm clara, tam svavis, tàm magna, tam jucunda vox inveniatur: qvod verno tempore, cùm frondescere arbores incipiunt, qvindecim diebus ac noctibus perpetuis, sine ulla penitus intermissione canere soleat. Undè enim in avicula tàm pertinax spiritus? undè vis illa continendæ animæ in canendo tanta, ut una continuatione cantionis, binæ contentiones vocis & remissiones contineantur? undè tàm artificiosa tàmqve perfecta Musicæ scientia? tàm ingeniosa modulatio? tàm gratus auribus sonus? qvi modò in longum continuo spiritu trahatur, modò summa qvadam cum varietate flectatur, nunc concisa voce distinguatur, nunc intorta copuletur: cùm iterum vocem revocat, & integra comprehen-

Unde ille tacitè dixerat; nil nisi vox es.

hensione cantum edit? qvid, cum modulos nec opinatò derepenteqve commutat? qvid, cùm ipsa secum jucundè tacita murmurat? Nulla mehercle tam abstrusa, tàm difficilis, tàm varia cantio est, qvã non exprimat una Luscinia: plenam, gravem, acutam, crebram, extentam, summam, mediã, imam. Qvid plura? Tàm parvulis in faucibus omnia, qvæ tanto labore, tanta industria, tanto studio, tot inventis instrumentis, genera cantionum ars hominum excogitavit, integra atqve perfecta reperiuntur. Estné huic aviculæ perqvàm similis in dissimili genere Cicero noster, Auditores? Est profectò. Nam in hoc uno tàm perfecta atqve absoluta prorsus omnis dicendi ratio, ut in suo genere non minori sit admirationi, atqve haud scio, an etiam majori, qvàm Luscinia: qvi dono qvodam (ut ait Fabius) Providentiæ genitus est, in qvo totas vires suas Eloqventia experiretur: clarus, svavis, jucundus, gravis: qvi divina ingenii felicitate, qvicqvid in omnibus aliis auctoribus admirabile, politum, ingeniosum, eximium reperitur, id suis in Operibus totum effinxit. In hoc uno vis Demosthenis; copia Platonis, jucunditas Isocratis universa continetur. Qvis enim hoc in probando subtilior? in delectando temperatior? in flectendo vehementior? Qvis, cùm opus est, submissum illud & humile, consvetudinem imitans, dicendi genus melius & acutius exeqvitur? Qvis insigne & florens orationis pictum & expolitum genus illud, in qvo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores, qvod qvasi stellæ qvædam, translata verba, atqve immutata plurimùm illustrant, dulciùs tractat, aut svavius? Qvis in illo sublimi dicendi genere splendidior, gravior, copiosior,

Philomelæ cantus suavitas.

Apodosis ad Tullii eloqventiam.

Ratio.

A suffragio Qvintiliani.

Comprobatio per collationem.

Reqvisita oratoris boni duo.

pioſior, ornatior? Jam verò cùm duo ſint, qvæ benè tractata ab Oratore, admirabilem eloqventiam faciant: qvorum alterum eſt, qvod Græci ἠθικὸν vocant, ad naturam, & ad mores, & ad omnem vitæ conſvetudinem accommodatum; alterum; qvod iidem παθητικὸν nominant, qvo perturbantur animi & concitantur, in qvo uno regnat Oratio: illud ſuperius come, jucundum, ad benevolentiam comparandam paratum; hoc vehemens, incenſum, incitatum, qvo cauſæ eripiuntur, qvod, cùm rapidè fertur, ſuſtineri nullo pacto poteſt: in utroqve certè genere plurimùm excellit Cicero. Sed poſteriori tanto ſemper impetu uſus eſt, ut ſæpè adverſarios de ſtatu omni dejecerit. Huic pro familiari reo ſummus Orator non reſpondit Hortenſius: ab hoc homo audaciſſimus Catilina, in Senatu accuſatus, obmutuit: huic privata in cauſa magna & gravi cùm cœpiſſet Curio pater reſpondere, ſubito aſſedit, cum ſibi venenis ereptam memoriam diceret. Qvid de miſerationibus dicam? qvibus adeò vehementer uti ſolebat, ut ſæpiſſimè totum forum, eo dicente, qveſtibus & lamentationibus impleretur: ut etiam ſi plures Oratores unà dicerent, Ciceroni tamen omnes perorationem relinqverent: in qva tantùm excellebat, ut ab hominibus ſuæ ætatis regnare in judiciis dictus ſit. Hic igitur tàm eximius, tàm præſtans, tàm divinus Orator, non contentus ea, qvàm ipſe magnis laboribus & vigiliis conſecutus erat, eloqventia; voluit etiam more Luſciniæ (ne ab hujus avis exemplo diſcedam) pullos ſuos jucundiſſimis & ſvaviſſimis cantionibus erudire. Tradunt enim, hanc aviculam mirè ſuis filiis eſſe ſolicitam, ut rectè modulatèqve canere diſcant; atqve ideò juniores

Uſus utriusq.

Vis & efficacia orationis eruditæ & expolitæ.

Commotio affectuum qvid poſſit.

Reditus ad collationem cum luſcinia.

ex parentum institutione, magistros summâ cum attentione solent audire, versusqve, qvos imitentur, accipere: qvos deindè magna cum diligentia recitent. Qvadam enim vicissitudine qvò meliùs atqve facilius discant, modò canentes parentes audiunt; modò, qvæ diligentèr audivere, secum ipsæ meditantur, & attentiore cura promere contendunt. Itaqve fit, ut, si qvæ parvulæ capiantur, cùm nondum canere didicerint, atqve inter homines alantur, longè deteriùs canant: qvoniam ante legitimum tempus à magistris subductæ fuerint. Qvid ergò? nonné eadem ratione Cicero cantus nostros, id est, orationem, qvæ, si polita atqve ornata fuerit, omnem cantionem dulcedine superat, præceptis & institutionibus Rhetoricis expolire atq; exornare contendit? qvi cùm multa juvenis adhuc ac penè adolescens de arte dicendi præcepta tradidisset; postea cùm per multos annos in causis cujusqve generis versatus, tantum honoris ac dignitatatis esset assecutus, ut Cicero non jam hominis, sed eloqventiæ nomen haberetur: voluit aliqvod Opus elegantius & admirabilius extare, qvò & variam & mirificam in omni genere doctrinam suam ostenderet, & ad certam dicendi rationem atqve ad summum eloqventiæ fastigium viam præmuniret. Qvamobrem hos de oratore Libros ad Qvintum Fratrem conscripsit, in qvibus qvicqvid erat eloqventiæ; qvicqvid ingenii, qvicqvid artis, qvicqvid eruditionis, expressi: ut nullum unqvàm neqve apud Græcos, neqve apud Latinos hoc in genere præstantius Opus fuerit, aut esse possit. Mira profectò res est, si qvis diligenter advertat; Ab uno aliqvo mortali homine tàm varium, tàm elaboratum, tot disciplinis, tot reconditis rebus & qvæstioni

Consuetudinis & imitationis efficacia.

Applicatio ad Tullii stylum.

Ab Operis elegantia & scopo.

Exaggeratio cum admiratione.

ſtionibus refertum Opus excogitari potuiſſe: cùm præſertim tot negociis publicis tot occupationibus, tot impedimentis ſemper Cicero diſtrictus fuerit. Qvin adeò diligens atqve induſtrius in hoc Opere fuit, ut perſonas, qvas loqventes inducit, ita repræſentet, ut non Auctorem Operis; ſed ipſas Perſonas loqvi exiſtimet. Qvid enim Scævolæ gravitate dignius? Craſſi ubertate floridius! Antonii ſubtilitate preſſius? Eqvidem ita cenſeo, Auditores, ſi qvis hos tres de Oratore Libros benè perceperit, etiamſi nihil aliud prorſus intelligeret, eum doctè, graviter, & ornatè poſſe dicere. Qvid enim eſt in ullo doctrinæ genere tàm abſtruſum, tàm reconditum, tàm novum; cujus non aliqva ſint in hoc Opere non ſanè leviter expreſſa veſtigia? Qværantur omnia tùm Græcorum, tùm Latinorum dicendi præcepta, atqve in unum conferantur; certè cum hoc uno Opere, neqve orationis gravitate, neqve varietate rerum, neqve elegantia ſermonis, neqve alia qvavis laude comparari meritò poterunt. Qvo fit, ut hos ego Libros; ſed rerum omnium pucherrimarum Theſauros appellare ſoleam: qvoniam in eis invenio tanqvàm repoſita ſcientiarum omnium ornamenta maxima. Neqve tamen ideò, qvamvis eruditionis pleni ſint, minus eſt in eis jucunditatis. Rerum enim varietas ejuſmodi eſt, ut noſtros animos oblectare maximè poſſit: cùm tàm magnificè, tàm egregiè ſuis laudibus Orator veſtiatur: tàm graviter & ornatè, qvid valeat Oratoria facultas, explicetur. Svaviſſimum certè eſt, videre, qvid Oratori natura, qvid ſtudium, qvid exercitatio conferat, cur eum Hiſtoria; cur Poeſis, cur Philoſophia, cur jus civile plurimùm adjuvet: qvàm latè dicendi materia pa-

Superexaggeratio.

Fructus lectionis horũ librorum.

Per collationem cum aliis.

Jucunditas eorundem.

Ratio.

Omnigena eruditio oratori neceſſaria.

teat: qvæ ſint Oratori propoſitæ qvæſtiones: qvæ ſit docendi ratio, qvæ delectandi, qvæ monendi: qvo modo fieri poſſit, ut ſermo facetus, ac nulla in re rudis appareat: qvi ſint affectus orationis initiò tentandi, qvi perorata cauſa concitandi; ex qvibus locis ad faciendam fidem argumenta ſumenda ſint, qvibus qvaſi luminibus tota illuſtretur oratio, totaqve dilucida, probabilis, aperta, ſvavis efficiatur. Hæc ea ſunt, qvibus alitur, adoleſcentia: qvæ diligenter audire, meditari, memoriæ mandare juvenes debent; in qvibus continenter exerceri, dies noctesqve verſari, atqve inſudare pulcherrimum eſt. Hæc in parte maximè nobis imitandæ, Luſciniæ ſunt, qvæ cantionum dulcedinem & harmoniæ ſvavitatem, qvam in voce parentum audiunt, omni ſtudio referre contendunt. Unus eſt eloqventiæ parens Cicero: cujus oratio qvovis melle dulcior eſt, ſapientiſſimis ſententiis, gravibuſqve verbis ornata & perpolita, qvæ meritò flexamina atq; regina rerum dici poteſt: ita de horridis rebus nitida, de jejunis plena, de pervulgatis nova videri ſolet: gravis erudita, liberalis, admirabilis. Unus eſt à nobis hic Auctor imitandus, unus ſuſpiciendus, unus ſemper in manibus habendus: hujus ſententias, hujus verba, hujus numeros omni cura, ſtudio, diligentia perſeqvi debemus: qvi diſtinctè, qvi explicatè, qvi abundanter qvi illuminate & rebus & verbis dicit: & in ipſa oratione qvaſi qvendam numerum, verſumqve conficit. Hunc ſi aliqvo modo ſectari, atqve adumbrare cupimus: qvoniam æqvare non modò qviſqvam non poteſt, ſed ne ſperare qvidem debet: verborum in primis delectus habendus eſt: qvod eloqventiæ principium eſſe Cæſar dictitabat; ut nullam penitus

Adhortatio ad oratorium ſtudium.

A ſimili.

Ciceronis eminentia & prærogativa inter Oratores.

tas dictionem nullam vocem admittamus, qvæ non elegans, Latina, Ciceroniana esse videatur. Deindè compositionis ratio diligens adhibenda est, ut neqve asperos habeat concursus neq; disjunctos atqve hiantes. Tùm rerum ordinem, & argumentorum collocationem atqve probabilitatem advertere, diligenterqve imitari oportet. Postremo sententiarum & verborum lumina, qvas vel figuras, vel exornationes appellamus, summa cum industria perseqvenda sunt: qvibus qvia tàm freqventer utitur. Cicero, sunt qvi putent, ejus eloqventiam vel hac una de causa summoperè esse laudandam. Sed hæc non nisi acri studio, magna diligentia, summo labore, longa exercitatione percipi possunt. Itaqve non mirum est, si tam rari sunt ii, qvi Ciceronianam dicendi majestatem, & eloqventiæ virtutes exprimant: qvoniam pleriqve vel imitandi rationem ignorant, vel laborem omninò refugiunt. In hac enim parte plurimi decipiuntur, qvi cùm aliqvas ex Cicerone clausulas excerpserint, atqve in suis scriptis collocarint, se germanos atqve veros Ciceronis imitatatores arbitrantur: cùm imitatio vera non in verbis tantùm, sed in rebus magis atqve ordine constet: neqve qvisqvam rectè Ciceronem imitari possit, nisi qvi studiis iisdem, qvibus ille utebatur, se totum tradiderit; ut non tantùm verba (qvod pleriqve faciunt) sed etiam sensus, & virtutes (qvod pauci facere possint) intelligat. Habet enim hoc proprium & qvasi peculiare Cicero, ut longè graviores & reconditiores plerunqve sententias in se habeat, qvàm primâ fronte præ se ferre videatur. Ut non sine causâ Qvintilianus dixerit: Ille se profecisse sciat, cui Cicero valdè placebit.

1. Qvid studioso sit faciendum.
2.
3.
4.

Obstacula, qvibus impediti minùs ad tantam eloqventiam pervenire possumus.

Antithesis in κακοζηλίᾳ Simiæ Ciceronis.

Ratio.

Conclusio, Qvòd si usqvàm Cicero doctrinam summam atqve eruditionem ostendit: in his certè libris tàm multa recondita sunt, & ex intimis disciplinis decerpta atqve delibata, ut nihil doctiùs aut eruditiùs excogitari possit: qvæ non nisi magno studio, diligentiqve consideratione possunt intelligi. *cum apostrophe.* Qvarè mihi vestra opus erit attentione, Auditores: dùm has Latinæ Lingvæ divitias, hos eloqventiæ fontes, hos rerum preciosissimarum Thesauros interpretatione mea vobis aperio. *Ab usu & fructu jucundo.* Qvos si degustare semel cœperitis, non tantùm summam ex eis utilitatem; sed etiam tam incredibilem jucunditatem percipietis, ut nihil vos aliud magis delectare possit. Sed jam Ciceronem ipsum audiamus.

IN M. TULLII CICERONIS ORAtorem ad M. Brutum.

PRÆFATIO XI

Exordium à collatione per occupationem. CUM multa sint, Auditores, in hac tàm illustri Mundi machina, tàmqve immensâ rerum universitate, totiusqve cœli ambitu, non mediocri digna admiratione: tamen inprimis humani Animi natura mihi, diligentiùs omnia perpendenti, talis esse videtur, ut eam præter cætera qvivis summè admirari, atqve suscipere debeat. *Occupationis correctio ab ani-* Ut enim hoc loco prætermittam, ex tot animantium generibus solum hominem rationis esse participem; per qvam (ut ai

ait Cicero) conſeqventia cernat : principia & rerum cauſas videat, earumqve progreſſus & qvaſi anteceſſiones non ignorèt : ſimilitudines comparet; rebusqve præſentibus adjungat, atqve annectat futuras, facilè totius vitæ curſum videat, ad eamqve degendam præparet res neceſſarias : Ut nihil dicam de tam multiplici ſcientiarum varietate, qvæ vel ad rationem aptè, & diſtinctè, politeqve conformandam : vel ad vitam & mores honeſtè atqve liberaliter inſtituendos : vel deniqve rerum occultarum, & ab ipſa natura involutarum cognitionem pertinet : in qvibus, tanqvam in Campo qvodam Martio, ſe exercens optimi cujusqve mens & cogitatio, mirum dictu qvantoperè illuſtretur, & excellat: Ut tot & tam varia inſtrumentorum, operum, artium genera taceam : qvæ ſingula ſi qvis paulò accuratius conſiderare voluerit, non dubium eſt, qvin obſtupeſcat. Ut hæc (inqvam) & cætera penè infinita, qvæ magnam animadvertenti facilè poſſint admirationem concitare, hoc tempore non commemorem. Nihil enim eſt arte aut manu factum, qvod animus noſter excogitando non invenerit : qvid admirabilius dici aut cogitari poteſt; qvam qvod ea vis eſt animi noſtri, nullis ut certis finibus aut terminis claudi circumſcribivé poſſit: ſed omnem infinitatem peregrinetur, & nullo certo unqvam tempore, aut loco conqvieſcat. Unde ejus origo meritò divina creditur : qvia motu cietur interiore & ſuo; & viget, & ſentit, & meminit, & prævidet in infinitum. Nam ſi longiſſimè voluerimus reſpicere ſpacium præteriti temporis, & hominum memoriam recordari ultimam : tamen ultra etiam animus progredietur, atqve illa ſecula ipſe ſecum meditabitur, qvibus (ut ait Ovidius.)

mi præſtantia.

Ratio ab hominis excellentia.

Prateritio.

Actionum humanarum

Varietas earundem in artificiis & opificiis.

Comprobatio ab artium inventione.

Animi humani aut intellectus origo.

Comprobatio pro ſyllogiſtica recordationis actu.

 Unus

Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis, indigestaq́ moles.

Et qvibus

Nullus adhuc Mundo præbebat lumina Titan,
Nec nova crescendo reparabat cornua Phœbe.

1. *In præteritis*

Et deniqve qvibus nihil adhuc esset conditum, aut creatum, aut id qvod beatum est, & æternum, sua tantùm beatitudine contentum, sine ulla societate vel hominum, vel Deorum vigebat: in qvo tamen nullum principium cogitando reperiet.

2. *A providentia in futuris*

Qvod si contrà futuri temporis finem aliqvem qværere cogitatione tentaverimus, id nullo modo patietur animus noster, qvi semper ultra tendere paratus est. Ut enim vera sit Stoicorum sententia, qvam etiam Theologi nostri seqvuntur: Fore aliqvandò, ut totus hic Mundus ardore deflagret: tamen etiam ultra deflagrationem illam, cognitionem suam extendit animus; & sempiternis seculorum ætatibus in cœlo summa felicitate se fruiturum confidit.

Finis mundi qvalis?

Intellectus divinitas, & celeritas.

Qvid, qvod etiam supra rotundam illam cœli conversionem nostra mens evolat & immensum qvoddam spacium ibi confingit, in qvo nullus omninò sit finis aut terminus? Qvid, qvod universas mundi partes momento temporis peragrare facilimè potest? Nulla est enim (ut ait Cicero) tanta celeritas, qvæ possit cum animi celeritate contendere: ut longè præstantior sit animus noster, qvàm vel Luna, vel Sol, vel Stellæ, vel deniqve Cœlum universum, qvod non nisi certo tempore cursum suum conficere potest: cùm interim animus ad totius cœlestis spacii peregrinationem tempore non indigeat, sed eam momento conficiat.

Illustrata collatione cœlestium perpetuò mobilium.

2. *Ab imaginibus.*

Huc accedit illa animi maximè celebranda nobilitas, qvod rerum omnium imagines atqve

atqve formas in ſe continet: ut hac in re Menti illi divinæ, qvam noſtri Dei Filium appellant, qvam ſimilimus eſſe videatur. Sicuti enim in Mente illa divina, non aliter atqve in amœniſſimo qvodam horto, perfectiſſimæ rerum omnium Ideæ conſitæ dicuntur; undè vim habeant univerſa, qvæ in cœlo, qvæ in mari, qvæ in terra gignuntur: ita in animo noſtro ſunt impreſſæ atqve inſignitæ ab ipſa Natura, rerum ferè omnium notiones, ſine qvibus nihil omnino intelligere poſſemus. Verum ita Deorum providentia conformati ſumus, ut nihil ſit ex omnibus rebus, qvod nobis animus noſter non facilè repræſentare poſſit. Qvoties enim volumus, vel amici noſtri ſpeciem, vel eqvi, vel canis, vel villæ, vel civitatis, vel cujuslibet deniqve rei, animo cernimus. Imò verò nova etiam, & qvæ nunqvam in rerum natura fuerunt, fingere cogitatione poſſumus; ut montes aureos, adamantinam civitatem, volantes hominum legiones. Qvid, illud qvanti tandem faciendum eſt, qvod omnibus qvandam qvaſi perfectionem addit animus noſter? Neqve enim res tàm pulchra, vel tam abſoluta eſſe poteſt, qvâ non pulchriorem, aut abſolutiorem cogitare poſſimus. Sunt enim animi noſtri (qvemadmodum Platonici cenſuere) propriæ rerum omnium rationes, ſeu definitiones: qvoniam generalia tantum, qvæ non ſenſibus ſubjecta ſunt, ſed animo comprehenduntur, definire ſolent. Itaqve nihil, ut eſt in rerum natura, ſed ut eſt in animo, perfectè definitur. Nihil enim (ait Cicero) ſimplici in genere, ex omni parte perfectum Natura expolivit. In animo verò perfecta eſt cujusqve rei ratio. Qvamobrem animus cujusvis (ut anteà dixi) penè infinitas

Ratio à ſimili, licet diſſimili.

Applicatio.

Declaratio per exempla.

Exaggeratio

Ab ideis & rerum eſſentiis.

Abſtractio rerum Imperfectior, qvàm in naturis.

Contra illa Arist. λόγοι ἀληθής ὥσπερ τὰ πράγματα.

sibi eas rerum definitiones format, qvæ omninò in se perfectæ sunt, sed in nullo prorsus individuo esse possint. Ut ecce Philosophum eum esse dicimus, qvi omnium divinarum, atqve humanarum rerum cognitionem habeat: at certè nullus unqvam post hominum memoriam res divinas, atqve humanas cognovit: Itaqve nullus esset hac ratione Philosophus. Verùm qvia nemo perfectus esse potest: qvantò qvis plura didicerit, atqve cognoverit; tantò Philosophi nomine dignior esse judicabitur. Qvod idem fit etiam in reliqvis artibus, & scientiis omnibus: ut qvò qvis ad perfectam illam rationem propiùs accedit; tantò præstantior opifex habeatur: Qvod cùm optimè, sicuti cætera omnia, Cicero noster intellexisset: conatus est hoc in Opere, qvod interpretaturi sumus, perfecti Oratoris formam, non qvæ reverâ fuerit unqvam, aut sit, aut futura sit in aliqvo homine: sed qvam ipse magnus Orator animo comprehendebat, exprimere Rem sanè difficilem, & arduam: ut idem ipse non uno in loco testatur: sed qvam tamen adeo scienter, & artificiosè confecit, ut non meliùs Zeusis Helenam, aut Praxiteles Venerem expresserit. Qvicqvid enim habuit facultatis in dicendo, qvicqvid artis, qvicqvid eloqventiæ, id totum in hoc Opus contulit: ut non tantum perfecti Oratoris effigiem in Opere nobis expressam relinqveret: sed ipsum etiam Opus ad illam perfectæ eloqventiæ formam, qvam proximè fieri posset, accederet Itaqve non solum eam utilitatem ex hoc Opere studiosus, atqve diligens lector reportabit, ut qvalis esse debeat perfectus Orator, intelligat: sed illam etiam longè majorem, ut ipse doctè & politè planeqve Oratoriè dicere, atqve scribere possit. Non enim

Probatio per collationem.

Scopus libri,

Perfectus scilicet Orator.

Utilitas libri.

enim aliud Opus facilè reperitur, in qvo vel major variarum diſciplinarum eruditio, vel graviores ſententiæ, vel ſplendidiora verba appareant. Ad hæc accedit mira qvædam orationis jucunditas, atqve ſvavitas; qvæ facilè non omninò deſidem aut ignavum allicere lectorem poſſit. Atqve ut faciliùs qvisqve veſtrum in hanc ſummæ eloqventiæ viam pleno gradu poſſit ingredi: totius Operis Argumentum paucis verbis explicabo. Qvo tempore Cæſar, devicto jam in Pharſalia Pompejo, bellum in Aphrica gerebat, & M. Brutum Togatæ Galliæ præfecerat; ſcripſit ad Ciceronem Brutus, qvoniam ei maximè familiaris erat, & ab eo plurimum amabatur: ut ſibi ſcriptis explicaret, qvam eſſe optimam ſpeciem, & qvaſi figuram dicendi cenſeret. Qvod licet admodum difficile atqve arduum Ciceroni videretur; qvippe qvi, qvod animo cernebat, neqve verbis ſatis exprimere, neqve ſcriptis mandare ſe poſſe confideret: tamen inductûs amore Bruti, qvem unice diligebat, Opus hoc & doctiſſimum & elegantiſſimum conſcripſit: in qvo ſingulas Eloqventiæ partes, & dicendi genera ita ſtudiosè perſeqvitur, ut nihil enucleatiùs fieri poſſit. Perfectum verò eum appellari poſſe ait: qvi & humilia ſubtiliter, & magna graviter, & mediocria temperatè poteſt dicere, atqve ornare, qvæ vult: omnesqve omnium rerum, qvæ ad dicendum pertinent, fontes animo ac memoria continet. Atqve hæc qvidem ea eſt perfecti Oratoris ſpecies, ut in Opere Cicero deſcribit. Et qvamvis poſt homines natos nullus unqvam talis extiterit, neqve poſtea futurus ſit: tamen in animo noſtro inſidet eximia hæc eloqventiæ ſpecies, cujus (ut cujusqve eſt ingenium) alius aliam partem arripit: nemo autem

Declaratio ejusdem.

Exaggeratio à jucundo.

Argumentum libri.

Occaſio ſcripti libri.

Diſpoſitio libri.

Oratoris perfecti depictio

Objectio.

Solutio.

Probatio per exempla antiqviorio ævi. unus totam assequitur. Nam ut ab Heroicis usq; temporibus exordiar, & breviter aliqvos eorum commemorem, qvi in eloqventia floruerunt : tres potissimum ab Homero, Poetarum Principe, viros tanqvam eloqventes invento celebratos fuisse; Menelaum, Nestorem, Ulyssem: qvorum tamen nulli perfectam tribuit eloqventiam. Nam alium in alia re floruisse ostendit. Subtilem enim, & brevem, cum animi jucunditate, & propriam, & carentem supervacaneis eloqventiam Menelao dedit:

1. Menelai.

Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος.

Nestori temperatum orationis genus, & jucunditatem eam attribuit, qva nulla fingi major potest. Nam ab ejus ore melle dulciorem fluere dixit orationem :

2. Nestoris.

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

In Ulysse sublime dicendi genus, & summam vim esse voluit. Nam ejus orationem similem nivibus hybernis esse dixit, hoc est, (ut Plinius interpretatur) crebram, assiduam, & largam, postremo divinam & cœlestem;

3. Ulyssis.

Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν.

Subseqventi verò tempore tradunt Periclem, Atheniensium Principem, in sublimi dicendi genere longè prioribus omnibus præstitisse: adeò, ut etiamsi in invitis Atheniensibus verba facere inciperet, tamen ejus omnibus mirà grata esset oratio. De qvo sic Eupolis scriptum reliqvit:

4. Periclis.

πρὸς δέ γ' αὐτοῦ τῷ τάχει
Πειθώ τις ἐπεκάθητο αὐτοῦ χείλεσιν.

Οὕτως

Οὕτως ἐκήλει καὶ μόνος τῶν Ῥητόρων
Τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις.

Ariſtophanes verò vim ejusdem Periclis fulminibus comparat:

Ἤστραπτεν, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα.

5. Demoſthenis & aliorum.

Jam verò tota florente Græcia, cùm jam eloqventia ſummum ad culmen perveniſſe videretur, nemo tamen inventus eſt, qvi unus omnia præſtare poſſet: hinc eſt, qvod diſpartitæ fuerint Oratorum laudes, & alius alia in re commendatus. Nam gravitas & vis Demoſthenis celebratur, jucunditas Iſocratis, ſubtilitas Lyſiæ, ſonitus Æſchinis, acumen Hyperidis, copia Platonis. Apud Romanos etiam à Qvintiliano celebratam invenio vim Cæſaris, indolem Cælii, ſubtilitatem Callidii, gravitatem Bruti, acumen Sulpitii, acerbitatem Caſſii, diligentiam Pollinis, dignitatem Meſſalæ, ſanctitatem Calvi, copiam Senecæ, vires Africani, maturitatem Afri, jucunditatem Criſpi, ſonum Trachali, elegantiam Secundi.

Demoſthenis commendatio.

Verùm cum nemo poſſit (ut jam antè diximus) virtutes omnes oratorias aſſeqvi: tantò laudabilior qvisqve eſt, qvantò plures aſſecutus fuerit. Hinc in libro de Claris Oratoribus à Cicerone propè jam perfectus Orator Demoſthenes appellatur, qvod nihil acutè inveniri potuerit in eis cauſis, qvas ſuripſit: nihil ſubdolè, nihil verſutè, qvod ille non viderit: nihil ſubtiliter dici, nihil preſſè, nihil enucleatè, qvo fieri poſſit aliqvid limitatius: nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum, vel verborum gravitate, vel ſententiarum, qvo qvicqvam eſſet elatius.

Correctio ob defectus aliqvos.

Sed tamen etiam huic ad perfectam illam Oratoris ſpeciem multa defuerunt. Nam & ab

Æſchine

Æſchine exagitatus fuit, ut putidus: & in hoc Opere Cicero ita de eo loqvitur: Usqve eò difficiles ac moroſi ſumus, ut nobis non ſatisfaciat ipſe Demoſthenes: qvi qvanqvam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi; tamen non ſemper implet aures meas: ita ſunt avidæ & capaces, & ſemper aliqvid immenſum, infinitumqve deſiderant. At Cicero noſter (ut ait Qvintilianus) cùm ſe totum ad imitationem Græcorum contuliſſet, effinxit vim Demoſthenis, copiam Platonis, jucunditatem Iſocratis: ut dono qvodam providentiæ, genitus eſſe videatur, in qvo totas vires ſuas eloqventia experiretur. Qvod licet ita eſſe mihi perſvaſum ſit; tamen etiam hunc ſuorum homines temporum inceſſere audebant, ut tumidiorem, & Aſianum, & redundantem, & in repetitionibus nimium, & in ſalibus aliqvando frigidum, & in compoſitione fractum, exultantem ac penè viro molliorem. Unde veriſſimum illud M. Antonii videtur: Vix Deo conceſſam eſſe, ut omnes dicendi virtutes, & perfectam eloqventiam, habeat. Sed tamen ea eſt hujus ſummæ virtutis excellentia, ut qvævis etiam minima pars Eloqventiæ plurimum prodeſſe posſit. Itaqve pro ſe qvisqve literarum amantiſſimus eniti debet, ut hoc bono, qvo nullum optabilius, nullum præſtantius, neqve datum eſt mortalium generi Deorum conceſſu atqve munere, neqve dabitur, qvam ornatiſſimus eſſe videatur. Qvod ità facilimè faciet, ſi Ciceronis Opera qvidem omnia; ſed ea præcipuè, qvibus Rhetorum myſteria patefecit, accuratiſſimè ſtudioſiſſimèqve perlegerit: qvo in numero librum hunc & primo qvidem in loco ponendum cenſeo. Qvi licet aliqvam in ſe difficultatem atqve obſcuritatem habeat; tamen hac utilitate

Cicero unde artis orator evaſerit.

Ejusdem defectus & qvaſi labes.

Hyperbole.

Concluſio cum adhortatione.

Conſilium autoris.

tilitate maxima qvæ ex ejus intelligentia naſcitur, compenſari poteſt. Mitto enim hoc loco Latinum orationis ſplendorem, qvi maximè lucet hoc in Opere, verborum & ſententiarum ornamenta, plurima cujuſqve generis dicendi lumina, reconditam multarum rerum eruditionem. Qvid utilius eſſe poteſt ei, qvi Latinè aliqvid vel ſcribere, vel pronunciare velit, qvàm ſcire, qvomodò qvidqve dicendum ſit? qvo dicendi genere qvavis in cauſa ſit utendum? qvæ ſit forma optimi, qvod χαρακτὴρ Græcè dicitur? qvid porrò præſtabilius, qvàm numeros, & qvaſi pedes orationis intelligere, qvod unum maximè ſolet imperitum Oratorem à perito diſtinguere? Atqve hæc omnia tàm ingeniosè, tàm acutè traduntur hoc in Opere, ut qvi ea rectè percipere poteſt, nullum alium auctorem deſideret. Neqve qvenqvam veſtrum Operis obſcuritas perterrefaciat. Nam ita nos interpretatione noſtra ſingula illuſtrare ſtatuimus, ut etiam Artis Oratoriæ penitùs rudes, ſi diligenter animum advertere voluerint, plurimùm ſe arbitrentur adeptos, & ad dicendum, & ad intelligendum. Ego igitur qvantum facultas mea tulerit, communi omnium veſtrum utilitati inſervire ſtudebo; atqve unicuiqve dictum illud Æneæ Virgiliani ſuccinam:

Diſce puer virtutem ex me, verumq́; laborem:
Fortunam ex aliis.

Vos (ut ingenuos decet adoleſcentes) diſcendi cupiditate allecti, hunc in locum magna cum modeſtia venire, & qvæ declarabuntur à nobis, diligenter audire, atqve memoriæ mandare debetis.

Et commodatio libri,

per declarationem ſpecialem ab uſu.

Remotio difficultatis per rationem ſeu cauſam adjectam.

cum apoſtrophe.

IN

IN M. TULLII CICERONIS TOPICA ad C. Trebatium,

PRÆFATIO XII.

Exordium à Medico præcepto.

c Ad inconsueta qvandoq; transeundum.

Probatio per exempla in brutis.

Delectat varietas.

Apodosis,

Propositio.

SENTENTIA Medicorum est, egregii Juvenes Cibi ac potionis mutationem plerumq; valetudini, & corporum constitutioni mirificè conducere. Sic Antonius Musa, teste Svetonio, celeberrimus Medicus, cùm Augusti Cæsaris morbum qvendam penè jam inveteratum nullo modo calidis unqvàm pharmacis depellere potuisset; ad frigida conversus, eum brevi tempore liberavit. Sic etiam rationis expertia qvædam animalia, ciborum mutatione reficiuntur. Cervi serpentum cibatu, qvamvis sint antiqvissimi, tamen qvodammodo juventutem reparare, & corroborari dicuntur: videmus, ab eqvisonibus interdum eqvos, cùm ægrotarent, intybo sive cichoreo pasci: observavimus etiam, canes & feles nonnunqvam herbas arrodere. Adeò non conducit idem semper cibus: sed potiùs nauseam creat; ut etiam Crambe repetita proverbio jactetur, & Æscopicæ Lingvæ. Sed qvorsum hæc? inqviet aliqvis! Ut intelligtis, me non sine causa lectionem Virgilianam, qvæ solebat anno superiore vobis esse tanqvàm cibus animi qvotidianus, in Ciceronis Topica commutare statuisse; ex qvibus tamen, nisi vestræ peregrinatæ fuerint aures, non minorem, atqve haud scio, an etiam majorem qvàm ex Virgilii lectione sitis utilitatem repor-

reportaturi. At fortaſsè qværetis! Qvæ tam gravis ac vehemens cauſa me ab inſtituto meo removerit? Dicam apertè & ingenuè, ſvaviſſimi Juvenes, ut & vos, & natura mea poſtulat. Cùm omne meum ſtudium, omnis labor, omnis cogitatio non aliò dirigatur, qvàm ut vobis, qvi mihi luce propria chariores eſtis, qvàm plurimùm prodeſſe poſſim: intellexi, qvi literis inter vos operam impendunt, duo præcipuè ſtudia ſeqvi ſolere; hoc eſt, aut Juris Civilis, aut Medicinæ: neq; Profeſſionem ullam his duabus apud vos haberi liberaliorem, aut nobiliorem. Itaqve ſecundam eo cœpi cogitationem intendere; Qvomodò fieri poſſet, ut utriqve his ſtudiis lectiones meæ conducerent. Sed cùm ad omnem Philoſophiam, qvæ ferè Medicinæ ſupponitur, organum eſſe & qvaſi clavem Dialecticam intelligerem; Juris verò Civilis magnam & amplam partem (teſte Cicerone) artificioſam eſſe eloqventiam, qvam Rhetoricam vocant: videbam planè non potuiſſe & Medicis, & Juriſperitis futuris me opitulari, niſi & Dialecticam, & Rhetoricam docuiſſem. Qvod cùm commodè non poſſet eodem à me tempore præſtari, ſubiit hoc mihi ſalubre conſilium, ut Topica Ciceronis interpretarer, qvæ Sedes argumentorum omnium aperiunt, ſive qvis in Rhetoricis, ſive in Dialecticis exerceri velit. Qvæ ſcientia qvàm utilis ſit & neceſſaria, nemo facilè dixerit. Non enim fieri poteſt, ut qvi ſit hujus artis imperitus, aut rationes ſuas dicendo comprobet, aut adverſariorum argumenta refellat: fundet qvidem verba, locorũ ignarus, & qvaſi incertis ſedibus huc & illuc ſine ullo ordine vagabitur; ſed nihil aptè, nihil diſtinctè, nihil ornatè dicet; & qvod caput eſt, languida

Ratio intentionis aut propoſiti.

Ab utili.

Duo inſtrumenta acqvirendi diſciplinas, Dialectica, Rhetorica.

Comprobatio uſus Dialectices pernecceſſarei.

erit

Inventio orationum ubi & unde? erit & enervata ejus oratio. Hæc Ars Locos docet, qvasi nidulos argumentorum, ad qvos sine ullo errore pervenire possumus, & ex eis, veluti thesauris qvibusdam, ad omnem orationem vel approbandam, vel reprehendam, argumenta ducere. *A simili.* Et qvemadmodum auceps, aut venator, nisi locum notaverit, ubi volucres, aut feræ nidos ac latibula construxere, totum plerumqve diem venando frustrâ conterit, & domum vacuus revertitur: *Applicatio.* ita qvi rationem inveniendi non didicerit ea, qvibus proposita res vel confirmari, vel infirmari possit, sæpenumerò diu laborans discruciatur; & nihil tamen apposite dicere aut scribere potest. *Probatio pro syllogistica.* Qvod si qvis præclarum & utile putat esse, posse dicendo facilè probare, qvæ dicat: qvod qvis non putat? idem etiam artem, qvæ id præstat, præclaram & utilem existimare debet. Prædicant omnes Eloqventiam, & meritò divinis extollunt laudibus? sed omninò sine argumentorum inventione, nulla esset eloqventia. Qvis non Dialecticam artem esse nobilissimam & utilissimam judicat? attamen qvid sine Topicis esset Dialectica? *Conclusio cum admonitione.* Ergò cùm in hac arte summa sit utilitas, (ut etiam ipse fatetur Cicero) ne vos pigeat, excelsi animi Juvenes, eam omni studio complecti. Erunt qvidem in hoc Opere multa difficilia: sed nihil est eximium, qvod non idem sit etiam difficile, *A difficili,* In hoc ab ignavis studiosi dignoscuntur, cùm nullo labore, nulla difficultate perterrentur: sed qvicqvid utile atqve gloriosum esse intelligunt, id audenti ac magno animo non verentur aggredi. Nam qvemadmodum *per simile leonum.* inter feras leones principatum obtinent, non qvia sint omnium fortissimi; sunt enim animalia qvædam eis multò fortiora: sed qvia animi magnitudine

dine maximè præſtant: ſic inter homines ii ſunt excellentiſſimi, qvi glorioſa facinora forti animo magnoqve obeunt. Sunt autem qvidam anguſti, tamqve puſilli animi, qvi librorum tantùm inſcriptione terreantur; qvi cùm audierint, ſcientiam aliqvam eſſe difficilem, ab ea ſtatim ſubmoventur. Sunt alii, qvi nullam doctrinam approbent, niſi qvam ad ſe pertinere opinantur: reliqvas omnes tanqvàm in utiles ſpernant, Horum neutri magnam unqvam gloriam aſſeqventur. Eum enim oportet hominem, qvi magnum ex literis nomen aliqvandò reportare ſtudet, qvi cupit amœniſſima Muſarum vireta perveſtigare; qvi nihil jucundiùs, qvàm multa ſcire, intelligit, acrem primò animum & excelſum habere: deindè nihil à ſe alienum putare, qvòd ad ſcientiam aliqvo modo pertineat: Sed cùm omnes ſcientiæ liberales plurimùm utilitatis habeant: tùm (meo qvidem judicio) nullæ ſunt utiliores, qvàm illæ, qvas Græci Logicas, qvidam ex noſtris Rationales appellarunt. Cùm enim ſoli omnium animantium homini, ut rationis doctrinæqve capaci, parens ille & autor rerum Deus loqvendi atqve orationis indulſerit munus: & (ut ait Cicero) hoc uno præſtemus vel maximè feris, qvod colloqvimur inter nos, & qvod exprimere dicendo ſenſa poſſumus: jure ac meritò ſcientiæ, qvæ nos inſtruunt, ut qvo uno homines maximè beſtiis præſtent, in hoc hominibus ipſis antecellamus, reliqvis omnibus ſcientiis præſtantiores haberi debent. Inter has autem ſcientias Ars inveniendi, qvæ Topica dicitur, ſicut ordine naturæ prima eſt; ita etiam omnium utiliſſima. Qvamobrem qvis hanc non jure miretur, ſummeqve in ea elaborandum eſſe arbitretur, ut eam artem per-

A diverſitate ingeniorum.

Correctio cũ monitu ſalubribus.

Logices excellentia.

Ratio.

Qvia Logica acuit intellectum.

Præſertim Topica.

Concluſio,

cum adhortatione. discat, qvæ reliqvis omnibus antecellit? Nulla igitur difficultas, nullus labor ab ea vos retrahat, Juvenes; cùm tàm utilem & præclaram esse intelligatis. Neqve vos moveant qvorundam imperitorum

Adversativa calumniantium. verba: qvi qvoniam divinam Ciceronis scientiam & eloqventiam nullo modo gustare possunt, impura lingva sua, & sordibus illis verborum inqvinata, non desinunt omnis leporis & elegantiæ fontem maledicendo conturbare; & omnis Dialécticæ atqve Philosophiæ ignarum fuisse Ciceronem, clamitare.

Refutatio. Sed vivant in cloacis cum barbarie sua, qvicunqve sunt; ejusmodi versentur in volutabris & cœno, tanqvam sues: qvi cum è limpidis fontibus aqvam haurire commodè possint, malunt è lacunis & sterqviliniis bibere.

Propriæ sententiæ confirmatio. Nos probatos tantùm Autores; atqve inprimis Ciceronem amplectamur: hunc amemus, hunc ad verbum ediscamus, hunc nunqvàm de manibus deponamus: hic unus est, qvi nobis veram eloqventiam & latini sermonis puritatem præstare possit. Sed ut magis vos etiam ad amandum Ciceronem concitem, ex decimo Institutionum Oratoriarum Qvintiliani verba de Ciceronis laudibus recitabo:

A Fabii testimonio. qvanqvàm me non latet, vos & Ciceronem mirandum in modum amplecti, & Qvintiliani præconium aliàs aut audivisse, aut legisse; nihil tamen prohibet, juxta proverbium, Bis & ter, qvod pulchrum est, recensere. Sic igitur ille: Nam mihi videtur M. Tullius, cùm

Ciceronis laus, se totum ad imitationem Græcorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis. Nec verò, qvod in qvoq; optimum fuit, studio consecutus est tantùm: sed plurimas, vel potius omnes ex se ipso virtutes extulit, immortalis ingenii beatissima ubertate. Non enim plu-

pluvias (ut ait Pindarus) aqvas colligit, ſed vivo gurgite exundat; dono qvodam Providentiæ genitus, in qvo totas vires ſuas eloqventia experiretur. Nam qvis docere diligentiùs, movere vehementiùs poteſt: cui tanta unqvam jucunditas affuit, ut ipſa illa, qvæ extorqvet, impetrare cum credas, & cùm tranſverſum vi ſua judicem ferat, tamen ille non rapi videatur, ſed ſeqvi? Jam in omnibus, qvæ dicit, tanta autoritas ineſt, ut diſſentire pudeat: nec advocati ſtudium, ſed teſtis aut judicis afferat fidem. Tum interim hæc omnia, qvæ vix ſingula qviſqvam intentiſſima cura conſeqvi poſſet; fluunt, illaborata: & illa, qva nihil auditu pulchrius eſt, oratio, præ ſe fert tamen feliciſſimam facilitatem. Qvarè non immeritò ab hominibus ætatis ſuæ regnare in judiciis dictus eſt; apud poſteros verò id conſecutus, ut Cicero jam non hominis; ſed Eloqventiæ nomen habeatur. Hunc igitur ſpectemus: hoc propoſitum ſit nobis exemplum. Ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit. Hæc Qvintilianus. Cujus teſtimonio qvid gravius dici, aut fingi poteſt? Illa enim vera laus eſt (ut cenſet Hector ille Nævianus) qvæ procedit à laudato viro. Sed qvis eſt, qvi non divinis ad cœlum laudibus Ciceronem efferat; præter eos, qvi, tanqvàm ſcarabei, magis odore luti, qvàm ungventi delectantur? Sicut enim amaracus, undè gratiſſimus odor afflatur, ſuillo generi venenum eſt: ita mirificam illam Ciceronis dicendi venuſtatem jam in barbariſſimis autoribus inveteratæ aures ferre nullo modo poſſunt, paſſimqve vociferantur: Impertium eſſe Philoſophiæ Ciceronem: cum idem graviſſimus autor Qvintilianus plurimum etiam in Philoſophia valuiſſe, & Platonis æmulum extitiſſe fateatur.

ab eloqventiæ excellentiâ;

A forenſi peritia & perſuaſionis vi.

Vel unus & à potiore Cicero, imitandus eſt.

Antitheſis per ſimile;

Apodeſis.

Comprobatio à scriptis Tullii,

per enumerationem.

Conclusio.

Reditus ad Topicorum scopum.

Interpretes eorundem.
1.
Boëthius.
2.
Aristoteles.
3.
Recentiores.

Qvod etiam ex his ejus scriptis intelligi facilimè potest. Nam ut Libros Rhetoricos, & Orationes & Epistolas prætermittam, in qvibus omnibus maximam se Philosophiæ cognitionem habere declarat, cùm exornationis & eruditionis gratiâ philosophicas sententias ubiqve spargat: qvis nescit, qvot Opera Philosophica, qvàm erudita, qvam varia, qvàm polita, brevi tempore composuerit, cùm unius Cæsaris dominatu Romana Resp. teneretur, neqve in Senatu amplius eloqventiæ locus esset? qvæ partim injuria temporum interciderunt: partim etiam nostro tempore cum omnium doctorum admiratione leguntur. Nihil est igitur, qvod in Cicerone desideretur; qvi maximam etiam cum eloqventia doctrinam ac eruditionem copulavit. In hoc autem Opere Topicorum, qvod interpretaturi sumus, ostendit etiam se juris Civilis valdè peritum fuisse. Nam cùm ad Trebatium Jurisconsultum scriberet, voluit ex Jure Civili exempla sumere, qvò faciliùs ipsam artem Trebatius intelligeret: qvæ res vobis etiam, qvi jurisprudentiam appetitis, erit utilissima. Nos verò doctissimum virum, neqve omninò barbarum, sed ingeniosum Boëthium præcipuè seqvemur, qvi commentarios in hoc Opus edidit: non ita tamen, ut si visum fuerit, non ab eo liberè dissentiamus aliqvando: non enim ubiqve mihi satisfacit. Qvinetiam ex Aristotele, qvi libros octo De Locis composuit, multa transferam in lectiones meas. Deniqve qvoniam multi sunt, & veteres, & recentiores, qvi satis ingeniosè de hac Arte scripserunt: ex omnibus optima qvæqve seligam, & ita vobis exponam, ut apertissimè & facilimè declarari poterunt. Exempla verò ipsa sumam à Cicerone potissimùm, ut ipsam

ipſum eloqventiæ *P*arentem diſcatis imitari : ſed ſi qva etiam pulcherrima ex aliis Autoribus ſuccurrerint, ea non aſpernabor. Non enim vel Ciceroni, qvamvis ſit optimus, ita dediti eſſe debemus, ut alios omnes tot tantoſqve Autores negligamus: ſed apes nobis imitandæ ſunt, qvæ ſvaviſſimum ac dulciſſimum mellis ſaporem ex variis floribus conficiunt. Volvendum eſt omne ſcriptorum genus: ſed tamen optimis (ut ait Qvintilianus) immorandum. Qvod ad legendi rationem attinet, magis ad utilitatem veſtrûm; qvàm ad oſtentationem meum ſtudium applicare conſtitui. Satis enim magnam gloriam ex hoc loco mihi reportare viſus fuero, ſi ſtudiis veſtris qvamplurimum prodeſſe potuero. Itaqve non tam copiam in dicendo, qvam facilitatem qværam. Vos pro veſtra modeſtia, & incredibili humanitate patientiſſimas aures & attentiſſimas mihi præbebitis. Nam ſi attentè audieritis, ſi ſæpius deinde his exercitationem adhibueritis, omnia conſeqvimini, ſine qva nulla eſt ars, qvæ percipi poſſit: ut veriſſimum illud habeatur, qvod Demoſthenes ſolebat freqventiſſimis uſurpare ſermonibus: Exercitationem omnia poſſe. Sed jam finis ſit: Cras, Muſis approbantibus, Topicorum lectionem auſpicabimur.

Conſilium de Imitatione per ſimile.

A fine & uſu.

Apoſtrophe cum attentione.

IN M. TULLII CICERONIS
Partitiones Oratorias.

PRÆFATIO XIII.

Exordium à reipsa per collationem.

PARUM qvidem Ciceronis Opus de Partitionibus Oratoriis, & cum nullis ferè cæteris ejusdem Auctoris Operibus magnitudine comparandum, interpretandum hoc anno suscepimus: sed adeò præclarum & preciosum, ut nullum sit hoc in genere, qvod ulla ex parte cum eo conferri posse videatur: ut non tantum aureolum; sed etiam gemmeum, & si qvis gemmis preciosius est, meritò possit appellari.

Ratio cum libri scopo.

Qvicqvid enim ad artis Oratoriæ præcepta tradenda pertinet, id miro qvodam ordine breviter, atq; satis dilucidà complexus est in hoc uno libro Cicero.

Conclusio.

Qvare nullum omninò neq; brevius opus, neq; juventuti utilius inveniri posse existimo. Nam qvæ fusius & enodatius aliis in libris tradita sunt, ea per capita qvædam ita digeruntur hoc in Opere, ut nihil, qvod ad rem propositam faciat, prætermittatur; & tamen diligenter omnia pertractentur.

Applicatio cum admonitione.

Itaqve non modo in manibus habendum, & accuratissimè legendum: sed etiam (si fieri potest) ad verbum ediscendum, & memoriæ mandandum.

Adversativa à minore.

Neqve verò qvisqvam Operis parvitatem aspernabitur, qvi plurimas res inveniri cogitaverit, qvæ qvamvis minimo corpore sint, maximis tamen rebus anteponantur, & multò preciosiores esse judicentur.

Illustrata simili.

Qvis enim nescit, smaragdos, adamantas, carbunculos, uniones, cæteraqve hujus generis, qvamvis admodum parva sint, precio tamen atqve æstimatione longè saxis ingentibus antecellere? Qvis nescit, parvam auri massam magnis ferri molibus esse preciosiorem? Qvin

Qvin potiùs ita natura comparatum esse videtur, ut preciosissima qvæq; parvo corpore contenta sint. Ut enim lapillos, gemmas, margaritas prætermittam, qvæ qvam pusilla sint, omnes intelligunt; qvin in humano corpore oculorum pupilla præstantius est? qvæ (qvod ait Plato) dux nobis ad Dei cognitionem, & ad maximas qvasq; res esse solet: qvod autem in toto corpore membrum eadem magis exiguum? Qvid, qvod Philosophi tradunt; Cor ipsum nostrum, in qvo sensuum omnium origo est, & qvod nobis vivendi facultatem præbet, qvantò minus in homine fuerit, tantò majores & animi, & corporis vires afferre. Certè re ipsa probatum, & exploratum est; Etiam homines, qvi nimis magno corpore sunt, hebetiores & ignaviores existere solere. Tradit ille Poetarum princeps Homerus, Tydeum, Diomedis patrem, parvo qvidem corpore fuisse, sed præstanti animo, & maximo: qvare factum est, ut elegantissimus Poeta noster dixerit:

Utilior Tydeus, qvi (si qvid credis Homero)
Ingenio pugnax. corpore parvus erat.

Hinc etiam Papinius eleganter & vere cecinit:

Major in exiguo regnabat corpore virtus.

Qvod multò ingeniosius & politiùs ad apes Maro transtulit: de qvibus in Georgicis ita canit:

Ingentes animos angusto in pectore versant.

Ac mihi qvidem, res singulas diligentissimè considerandi, videntur omnia non tam magnitudine, qvàm virtute esse ponderanda: ut non qværendum sit, qvantum qvidq; sit, aut qvàm magnum; sed qvàm bonum, qvam utile, qvàm præclarum. Qvis n. unqvàm Poëtam ideo laudavit, qvod multa carminum millia facilè conscriberet? Qvis Oratorem ideò celebrandum existimavit, qvod maximam verborum multitu-

Præteritio cum transitione ad aliud simile.

Ad tertium.

Confirmatio alia, non molem; sed vim spectandam; Ab exemplis,

Poetarum

& Rhetorum. dinem ex tempore profunderet? Qvis librum ideò magnificiendum duxit: qvod magnus atqve amplus esset? Nemo herclè tam rerum ignarus est, qvi non intelligat, doctissimorum hominum libellos magnis imperitorum voluminibus, in qvibus nulla sit eruditio, nulla dicendi venustas, nullus verborum splendor nulla gravitas, anteponendos esse.

Conclusio. Qvocirca meo qvidam judicio multò magis hæ Ciceronis Partitiones, si qvis eas rectè perceperit, & memoriæ mandârit, ad dicendi rationem proderunt, (dicam audacter, qvod sentio) qvàm si qvis totum Hermogenem, aut

Correctio per declarationem. Qvintilianum evolverit: Neq; hoc ideò dico: qvod hi Scriptores arte ingenio, & eloqventia careant: sed qvod ad Ciceronem collati, vix qvintæ classis esse videantur. Servavit igitur hoc in Opere Cicero id, qvod eleganter in Arte Poetica servandum esse docet Horatius: cum ita inqvit:

Qvicqvid præcipies, esto brevis, ut citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.
Omnes supervacuum pleno de pectore manat.

Consilium interpretis, Sed nos perspicuitatis gratia fusiorem & enodatiorem interpretationem adhibere cogitamus. Nam hæc ipsa Ciceronis præcepta, nisi multis exemplis, similitudinibus, & auctoritatibus illustrentur,

A simili. paulò sunt obscuriora, & tanqvam semina frustrâ jactantur, nisi animi discentium, tanqvam agri, benè culti & subacti fuerint, ut pluribus exemplis qvasi pingvefacti, messem uberiorem proferant.

Qvæ necessaria ad uberiorem intellectum. Neqve tantum ea dicendi præcepta complectar, qvæ Rhetorùm in libris tradi solent: sed nonnulla etiam, qvæ ad disputandi rationem, & Dialecticam spectant, sine qvibus non satis commodè hoc Opus intelligi potest, & vera non potest elo-

qven-

qventia constare. Nam cum omnes artes, qvæ ad humanitatem pertinent, auctore Cicerone, qvoddam habeant commune vinculum, & qvasi cognatione qvadam inter se contineantur: tum illæ præcipuè duæ, qvæ pcobabilem & politam orationem efficere docent, non tantum cognatæ, atqve adeo sorores videntur esse; verùm ita conjunctæ sunt, & connexæ inter se, ut vix alteram qveas ab altera discernere. Qva de causa factum est, ut gravissimi Auctores forma tantum, atqve (ut ita dicam) habitu differre à Dialectica Rhetoricam existimârint. Nam Zeno ille, qvi auctor & Princeps Stoicorum fuit, qvemadmodum apud Ciceronem & in Oratore, & in secundo de Finibus legimus, manu demonstrare solebat, qvid inter has artes interesset. Nam cùm compresserat digitos, pugnamqve fecerat, Dialecticam dicebat ejusmodi esse: cum autem diduxerat; & manum dilataverat, palmæ illius similem eloqventiam esse dicebat. Atqve etjam ante hunc Aristoteles principio Artis Rhetoricæ dicit, Illam artem qvasi ex altera parte respondete Dialecticæ: ut hoc videlicet differant inter se, qvod hæc ratio dicendi latio fit, illa loqvendi contractior. Itaqve Cicero etiam ipse Dialecticam contractam qvandam eloqventiam appellat: ut Alexander Aphrodiseus eo Dialecticam à Rhetorica differre tradit, qvòd Dialectica non utatur oratione copiosa, lateqve diffusa, qvemadmodum Rhetorica solet. Cùm igitur in eadem materia versetur Dialecticus & Orator; neqve subjectis rebus; sed ratione differant; priusqvam in oratione qværatur probubilitas, qvàm ornatus: seqvitur, ut Artem Oratoriam conseqvi nemo possit, nisi qvi Dialecticas etiam rationes perceperit. Addit enim

Artium cognatio inter se.

Similitudo Dialecticæ & Rhetoricæ.

Objectum idem utrinq.

Discrimen.

Oratoria Facultas Dialecticis inventionibus verborum splendorem & ornamenta: qvo fit, ut Rhetoricæ qvasi fundamentum qvoddam Dialectica substernatur. Qvin Aristoteles primo Rhetoricorum ex Dialectica & Civili scientia, qvam politicam vocat, Rhetoricam vult esse compositam. Nam cùm (ut Cicero scribit) omnis ratio disserendi duas habeat partes, unam inveniendi, alteram judicandi: prior illa pars, qvæ ad inveniendum pertinet, tota Dialectico & Oratori communis est; ideò Cicero locos ad sedes argumentorum, qvæ traduntur in Topicis, ab oratore benè percipi censet oportere; & eos locos tum in hoc Opere tangit, tùm in secundo de Oratore exemplis illustrat, tùm in Topicis copiosè perseqvitur. Alteram verò Dialecticæ partem, qvæ judicandi viam aperit, majori ex parte sumit Orator. Cum enim ejus tria sint officia, Dividere, Definire, Argumentari; qvis primo non intelligit, dividendi rationem esse Oratori necessariam? Neqve enim aliter, qvid sibi cum adversario conveniat, qvid in controversia sit, qvid prius, qvid posterius dicere oporteat, qvâ ratione, qvove ordine disponenda sint argumenta, qvomodo causarum genera constitutionesqve inter se differant, intelligere poterit. Cum autem, Aristotele teste, prima virtus orationis sit Splendor & Perspicuitas, nullo modo fieri potest, ut Orator perspicuè dicat, nisi dividendi, partiendiqve rationem benè intellexerit: & qvodam ordine res singulas ita distribuat, ut nihil confusè nihil perturbatè dicat. Nam (ut primo de Invocatione docet Cicero) rectè habita in causa Partitio illustrem, & perspicuam totam efficit orationem. Et Hermo-

Partitio Dialecticæ in Inventricem & Judicatricem.

Munus Dialectici,

Usus in Rhetoricæ inductione ostensus.

Perspicuitas orationi unde contingat.

Hermogenes initio libri Divisionem non parvam esse Rhetoricæ partem, vel potius maximam esse, dicit. Qvare præclarum hoc, atqve aureum Ciceronis Opusculum, qvod interpretaturi sumus, ab hoc primo Dialecticæ officio suam habet inscriptionem: ut ideo Partitiones dictæ videri possint, qvod partiendi, atq; dividendi rationem Orator scire debeat. Qvid de ratione Definiendi commemorem? Nam licet Orator non ita curiosè persequatur, ut Dialecticus: ea tamen solet uti freqventissimè, qvotiescunq; rei alicujus vim atq; naturam explicare contendit: qvin totas aliqvando causas in definiendo consumit: undè etiam controversiæ qvoddam genus in definiendi ratione, Definitivum appellatur. Neqve sanè rem ullam apté describere potest Orator, (qvod illi freqventissimè faciendum est) nisi definiendi scientiam habeat. Jam verò tota argumentandi ratio nisi Oratori notissima fuerit, qvid est, in qvo magnus esse possit? Aut qvam vim habere potest oratio sine argumentis? Fieri qvidem potest, ut aliqvis naturæ instinctu probabilem aliqvam, etiam sine Dialecticæ cognitione, orationem habeat: qvoniam hæ nobis duæ scientiæ (sicuti docet Aristoteles) sunt qvodammodò naturales. Sed tamen qvoniam (ut ait Cicero) certior dux est ars, qvàm natura; notam illi Dialecticam esse oportet, qvicunqve certa ratione probabiliter aliqvid dicere concupiscit: cum præsertim tota spes vincendi, ratioqve persvadendi posita sit in confirmatione, & confutatione: qvæ certè sine argumentatione constare nullo modo possunt. Atqve, ut totam hanc qvæstionem absolvam, tria sunt, qvæ maximè laudabilem orationem efficiant: qvorum si unum desit, reliqva gratiam omnem atqve venustatem amittant, necesse est.

Ratio nominis.

Rhetori definiendi negotium competit.

Item argumentandi.

Conclusio.

Correctio.

Conclusio cum 3. reqvisitis.

Debet

1.2.3. Debet enim oratio esse emendata, probabilis, & polita. Qvorum primum sola Grammatica præstare potest: alterum Dialectica, tertium Rhetorica. Grammaticorum enim officium est, ea tradere præcepta, qvæ ae purè & emendatè loqvendum pertinent. Dialecticorum verò est, ea reperire, qvæ audientium approbationem moveant: & qvid verum, qvid falsum sit, & qvid conseqvens, qvid repugnans in oratione doceant Rhetorum deniq; nullum aliud officium est proprium, ac separatum: nisi, qvæ qvodammodo rudia sunt & inculta, vestire atq; exornare dicendo. Qvare tres has Artes benè percipiat oportet, qvicunq; laudabiliter aliqvid dicere, vel scribere desiderat.

1. Grammatici munus. 2. Dialectici. 3. Rhetoris.

De Inscriptione Operis.

Etymologia. Ratio.

AC mihi qvidem primò qværendum videtur, qvid Partitio sit, & cur hæ Partitiones Oratoriæ sint appellatæ. Neqve enim aliter Auctoris scopus, & propositum intelligi potest: nisi prius, qvæ vis tituli sit & inscriptionis, intelligatur. Tradunt Dialectici tria præcipuè Dividendi genera: qvorum unum est: Cum genus universum in species, ac formas suas diducitur: ut, cum dicimus: Animalium alia esse terrestria, alia volatilia, alia aqvatilia: vel cum Virtutem dividimus in Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem: & Temperantiam. Qvo in genere semper species seu forma, generi subjecta, nomen ipsius generis tenet: ut si dicamus: Elementum in qvatuor species dividi, Terram, Aqvam, Aërem, Ignem: certè qvælibet species dicetur Elementum: ut terra est Elementum, Aqva est Elementum: & ita in reliqvis: & qvia Prudentia species est Virtutis, certè Prudentiæ virtus esse dicet u

Divisio triplex.

1. Generis in species per inductionem duplex,

cetur. Atqve hoc primum & præcipuum Divisionis genus est. Alterum genus est Divisiones, qvando aliqva dictio plures habet significationes, qvas omnes notas facere volumus: ut cùm dicimus, Canem tria significare: primò terrestre animali, qvod latrat, deinde piscem marinum: tùm cœleste sydus: & Taurum primò bovem significare, deindè sydus; tùm montem, deniqve viri etiam proprium esse nomen. Ad hoc genus etiam ea reducuntur, qvæ variis modis dicuntur: ut Sanum tribus dicitur modis; primò, qvod in se morbi nihil habet, ut animal sanum: secundò, qvod conficiens est sanitatis, ut cibum sanum esse dicimus, & exercitationem sanam: tertiò qvod sanitatis signum est, ut urinam dicimus esse sanam. Tertium Divisionis genus est, cùm res aliqva tota in suas partes, qvasi in membra qvædam, dividitur: ut si qvis totum corpus dividat in caput, humeros, brachia, thoracem, crura, pedes; aut si qvis rem aliqvam multis distribuat: ut apud Virgilium;

2. Plura significantis in sua significata.

3. Totius in partes.

—— — Æneam socios partitur in omnes
Vina, bonus qvæ deinde cadis onerârat Acestes.

Atqve hæc Partitio propriè nuncupatur, cùm totum in partes distribuitur: in qva sæpenumerò accidit, ut partes totius nomen retinere non possint. Neqve enim rectè qvis dixerit, caput aut humeros esse hominis corpus: sicuti neqve trabem aut parietem ædificium esse, licet sint ædificii partes. Atqve his qvidem tribus Divisionis generibus freqventer utitur Cicero. Sed nos singulis cujusqve generis exemplis contenti erimus. Ergo primò de Officiis Honestum, qvod genus est, in suas species ita dividit: Sed omne, qvod honestum est, id qvatuor partium oritur ex aliqva. Aut enim in perspicientia

Partes nam sunt idem cum toto.

Declaratio per exempla ex Off. Tullii

veri-

veri solertiaqve versetur: aut in hominum societate tuenda, tribuendoqve suum cuiq; & rerum contractarum fide: aut in animi excelsi atqve invicti magnitudine, ac robore: aut in omnium, qvæ fiunt, qvæ dicuntur ordine & modo, in qvo est modestia & temperantia. Pro A. Cæcinna docet, qvot modis hoc Adverbium, Undè, dicatur. Sic enim ait: Hoc verbum Undè utrumqve declarat; & ex qvo loco, & à qvo loco. Undè dejectus est Cecinna? Ex urbe. Undè dejecisti? Ab urbe. Undè dejecti Galli? A Capitolio. Undè, qui cum Graccho fuerunt? Ex Capitolio. Videtis igitùr, hoc uno verbo significari res duas; & ex qvo loco, & à qvo loco. In Orationibus verò plerunqve totas causas in partes qvasdam dividit, ut eas deindè sigillatim tractet. Ut pro lege Manilia: Primum mihi videtur de genere belli, deindè de magnitudine, tùm de Imperatore deligendo esse dicendum. Ex his igitur tribus Divisionis generibus, ultimum solum Partitio dicitur: qvando scilicèt totum aliqvod in suas partes distribuitur: qvo fit, ut Divisio sit tanqvàm genus; Partitio verò tanqvàm species. Nam omnis Partitio potest etiam Divisio dici; sed non contrà: neqve enim omnis divisio est partitio. Qvemadmodùm omnis homo dicitur animal; non autem contrà, omne animal homo est. Cicero in Topicis ita Partitionem à Divisione secernit: In Partitione (inqvit) qvasi membra sunt, ut caput, humeri, manus latera, crura, pedes: in divisione, formæ, qvas Græci εἴδη vocant; nostri, si qvi fortè hæc tractant, species appellant. Qvintilianus libro septimo sic acutè distinguit: Divisio est plurimum rerum in sigulas: Partitio, singularum in partes discretus ordo. Græci etiam hæc habent distincta nomina. Nam qvæ Divisio

Ex orat. pro Cacinna.

Excellentia partitionis.

Differentia simili declarata.

Fabii distinctio.

eſt generis in ſpecies, Διαίρεσις dicitur: qvæ verò totius in partes, Μερισμὸς appellatur. Hanc igitur cùm præclarè diſtinctionem intelligeret Cicero, voluit hoc Opus Diviſiones, ſeu Partitiones Oratorias appellare. Non enim hic aliqvod genus, qvod plures formas ſpecie diſtinctas complectatur, ſibi dividendum proponit: ſed totam dicendi rationem ſic complectitur, ut eam ſigillatim in partes ſuas diſtribuat, & in ſingulis præcepta tradat: qvæ via ratioqve docendarum artium pulcherrima eſt, & Græco nomine Methodus appellatur. Poteſt etiam qvædam altior eſſe cauſa, cur has Cicero Partitiones vocârit: qvoniam ab Academicis, qvos ubiqvè ferè ſeqvitur Cicero; ſic Oratoriæ Scholæ ſolerent appellâri: cùm præſertim extrema hujus Operis parte ſic ipſe ſcribat: Expoſitæ ſunt omnes tibi Oratoriæ partitiones, qvæ qvidem è media illa noſtra Academia floruerunt: neqve ſine ea aut inveniri, aut intelligi, aut tractari poſſunt. Nam Plato (qvod ſatis conſtat) rerum omnium vim atqve naturam dividendo, & partiendo potiſſimùm inveſtigandam eſſe cenſebat. Undè primo de Anima qværit Ariſtoteles: Qvænam ratio Definitionis ſit: utrum ea, per diviſionem ſit, an ea, qvæ per compoſitionem. Singularum enim partium cognitio, totius etiam cognitionem afferre ſolet. Omnem igitur dicendi doctrinam in hoc Opere primo tres in partes Cicero diſtribuit; in vim Oratoris, in Orationem in Qvæſtionem: deinde iterum unamqvamqve partem in alias partes diducit. Qvibus expoſitis ac declaratis, Operi finem imponit.

Concluſio cum applicatione.

Ratio inſcriptionis repetita.

Platonis autoritas, & ejus laus in diviſionem.

Diſtributio operis tripertita.

De

De Dialogo.

Forma scripti.

QVoniam hoc Partitionum Opus Dialogo conscriptum est, primum mihi qværendum esse videtur, Qvid sit Dialogus, & unde, originem traxerit. Fuerunt enim qvidam imperitissimi homines, qvi nominis etymologiam secuti, Dialogum esse duorum sermonem definiverunt. Qvorum ignorantiam res ipsa coarguit: qvoniam in plerisqve Dialogis non duo tantùm; sed plures sæpenumero inter se colloqventes inducuntur: qvod in Platonis Dialogis, pluribus in locis videre licet. Meliùs igitur ii sensisse videri possunt, qvi Dialogum à verbo Græco διαλέγομαι, qvod est, disserere, seu disputare dictum velint: qvoniam in eo semper de aliqva re inter plures disseritur. Qvare Diogenes Laërtius in Platonis vita Dialogum ita definit, ut dicat esse sermonem ex interrogatione & responsione compositum, de iis rebus, qvæ vel Philosophiam, vel Reipublicæ partes attingant: cum decora, congruentiqve personarum, qvæ inducuntur, expressione, accuratâqve verborum compositione. Cicero videtur Dialogum interpretari disputationem. Sic enim ait, ad Lentulum scribens: Scripsi igitur Aristotelico more (qvemadmodum qvidem voluit) tres libros in Disputatione, ac Dialogo de Oratore. Et in Bruto: Disputatioqve esset inter eos, ut est consvetudo Dialogorum. Et ad Atticum libro qvinto: Nos Tarenti qvos cum Pompejo dialogos de Repub. habuerimus, ad te perscribemus.

Dialogus unde dictus; cum refutatione errorem Etymologiæ.

Qvid sit?

Qvis autor primus?

Tradit autem Diogenes Laërtius libro tertio, Zenonem Eleatem primum fuisse, qvi Dialogos conscripserit. Aristoteles in primo de Poëtis Alexamenum Styreum, sive Tejum, Dialogorum auctorem facit:

facit: ſicut etiam Phavorinus in Commentariis. Cæterùm Plato rude adhuc & impolitum, tantumq; inchoatum Dialogorum genus expolivit, illuſtravit, atqve perfecit: tantumq; huic generi ſcribendi adjumenti attulit, ut non ſolùm exornationem, atqve expolitionem; ſed etiam majorem inventionis partem meritò ſibi vendicare poſſit. Apud Latinos invenio genus hoc ſcribendi etiam ante Ciceronis tempora fuiſſe in conſvetudine. Nam M. Brutus Juriſconſultus, qvi ante L. Craſſum Oratorem fuit, tres libros de Jure Civili in Dialogo ſcripſit: qvemadmodum apud Ciceronem ſecundo de Oratore Cæſar oſtendit. Qvin etiam Curio pater, ut in Bruto legimus, Dialogos ſcriptitavit, Verùm ut in aliis ſcribendi generibus, majores ſuos omnes Cicero ſuperavit: ita etiam in Dialogis, qvos multos accuratiſſimè conſcripſit. Cùm enim duo ſint Dialogorum genera à Platonicis uſurpata, qvorum alterum ὑφηγητικὸν appellant, alterum ζητηκὸν; utrumqve genus ita Cicero amplexus eſt, ut nihil ad eorum perfectionem poſteris reliqverit. Dicitur autem Dialogus ὑφηγητικὸς is, inqvo præcepta qvædam, vel ad mores vel ad doctrinam ſpectantia, traduntur. Qvalis eſt hic Partitionum liber, & Lælius ſive de Amicitia, & Cato Major de Senectute, & Secundus ac Tertius liber de Oratore. Qvod qvidem Dialogorum genus Latinè (ſi libet) Diſputatio diſciplinabilis dici poteſt. Ζητηκὸς verò dicitur is Dialogus, in qvo diſputatur in utramqve partem, & opiniones variæ traduntur: qvemadmodum in primo de Oratore, in libris de Finibus, in Lucullo, in Divinatione. Atqve hoc genus Latinè Diſputatio controverſa poteſt appellari. Eſt igitur hoc in Opere diſpu-

Plato apud Græcos.

Brutus apud Romanos.

Cicero cum prærogativa.

Divisio Dialogorum.

1.

2.

disputatio disciplinabilis: qvoniam interrogatus à filio pater, docet eum, qvæcuuqve ad Oratoriam facultatem pertinent.

M.T. Ciceronis de Partitione Oratoria Dialogus.

HAnc Inscriptionem jam declarasse videri possumus, cùm qvid Partitio sit, & qvid Dialogus, ostenderimus. Sed tamen adhuc qværi potest, cùm hoc in Opere permultæ partitiones sint, cur Cicero non in multitudinis numero de Partitionibus Oratoriis, sed in singulari de Partitioue Oratoria Librum inscripserit, cum præsertim in suis inscriptionibus Cicero multitudinis numero delectari videatur: ut de Officiis, de Finibus bonorum & malorum, de Legibus, Academicarum qvæstionum, Tusculanarum qvæstionum? Sed sciendum est, id esse verum, qvod nos olim in Decisionibus contra Calcagnium diximus, qvi Ciceronem reprehenderat, qvod non potiùs de Officio, qvàm de Officiis titulum apposuisset. Qvoties (inqvam) de arte aliqva speciatim tractandum est, aut de aliqvo ordine sive magistratu, meliùs in singulari numero titulus & inscriptio ponitur: ut de Inventione, de Oratore, de Amicitia, de Senectute, de Natura Deorum, de Universitate, de Divitione, de Consulis Officio, de Prætoris officio: atqve ita de reliqvis Qvoties autem ad varias artes, ætates, ordines, res, aliqva tractatio pertinet, tùnc in numero multitudinis inscriptio solet adhiberi: ut de Officiis, de Finibus, de Legibus, de Claris Oratoribus, de Rebus domesticis, de Rebuspublicis, de Moribus, de Magistratibus. Rectè igitur Cicero; cùm Parti-

Tituli ulterior inqvisitio,

per instantiam.

Solatio;

per distinctionem;

1. *Paucorum.*

2. *Plurimum.*

Conclusio.

Partitionem generale vocabulum esse intelligeret, & ad alias etiam artes, qvàm Oratoriam pertinere sciret: neqve de omnium Artium Partitionibus hoc in Opere tractaturus esset, sed de Oratoria facultate tantùm; non de Partitionibus absolutè, sed de Partitione Oratoria Titulum apposuit. Qvamvis (ut verum fatear) si qvis ad varias Artis Oratoriæ partes respiciat, rectè etiam Partitiones Oratoriæ dici possint. Qvatenus igitur hæe pertractatio distinguitur à reliqvis Artibus, Partitio Oratoria dicitur: qvatenus autem dicendi Facultas in varias partes distribuitur, etiam Partitiones Oratoriæ dicuntur. Qvarè per utrumqve numerum hæc inscriptio rectè proferri potest: ut vel de Partitione Oratoria dicatur, vel Partitiones Oratoriæ.

Objectio.

Responsio per distinctionem.

IN DECISIONES XXV.

qvibus M. Tullium Ciceronem ab omnibus Cælii Calcagnini criminationibus liberat.

PRÆFATIO XIV.

Exordium ab occupatione.

ETSI mihi non dubium est, qvin iis omnibus, qvi Cicerone duce sperant aliqvandò summum eloqventiæ fastigium attingere, jampridem sit ita persvasum: M. Tullium Ciceronem in omni doctrinæ genere tantùm excelluisse, ut post homines natos nullus unqvàm fuerit apud Latinos, qvi, non dicam cum eo certare, sed ne qvidem ejus vestigia

Tullium extra aleam esse.

longo intervallo premere potuisse videatur: tamen, cùm videam, hoc tempore, qvo liberalissimarum Artium studia maximè vigent, nonnullorum hominum ineptissimorum tantàm esse audaciam, ut, procaci lingva sua divini Oratoris manes vexare, & insectari non dubitent: facere non potui, qvin hanc causam tàm gravem, tàm illustrem, tàm honestam susciperem: ut à maledicis conviciatoribus Ciceronis auctoritatem defenderem. Nihil enim video, in qvo possim ego aut utiliùs in hac ætate mea juvenili stylum exercere, tur bonarum literarum amatoribus magis gratificari, aut deniqve faciliùs laudem aliqvam & gloriam; qvam optimus qvisqve expetit, mihi parare, qvàm si refellendis maledicorum criminationibus, omnis eloqventiæ parentem Ciceronem iniqvissimè doceam accusari. Etenim si Cælius Calcagninus, vir alicujus in literis nominis, qvi cùm mihi primo congredi certum est, & alii nonnulli magnæ sibi laudi futurum & gloriæ sperarunt, si contra Ciceronem aliqvid verisimile possent excogitare: qvantò mihi gloriosius ac lacudabilius erit: si rectè patrocinatus ei fuero, qvem omnes, dum viveret, sibi patronum adesse cupiebant. At dicet fortasè qvispiam! Qvis tu es? aut undè tibi tantum virium, ut hoc oneris aut facilè subire solus, aut commodè sustinere possis? Ego verò, si ejus Auctoris, qvem defendo, dignitas atqve amplitudo spectetur, fateor, huic causæ me non idoneum patronum existere. Qvis enim rectè possit Ciceronis excelleentiam ac laudes enarrare, nisi si iterum ipse reviviscat Cicero? Sed si qvis causæ facilitatem spectare voluerit intelliget profectò, non modò me, qvi jam longo studio ac labore nonnullos in disciplinis progressus feci: sed

Adversativa. *Propositio.* *Ratio.* *cum attentione.* *Narratio.* *Hypophora.* *Anthypophora.* *cum excusatione à facili*

ſed qvemlibet penè dicam imperitum hominem, qvi primoribus (ut ajunt) labris literas deguſtârit, hanc cauſſam defendere, ac tueri poſſe : cum præſertim innumerabiles penè advocatos, qvi Ciceroni faveant, atq; infinitos ſententiæ meæ ſubſcriptores ſine dubio ſim habiturus. Nam qvis hoc tempore Ciceronem non diligit? qvis non admiratur? qvis non omni ratione defendendum putat? Huc accedit id, qvod maximum eſt, & in omni cauſſa ſemper plurimum valuit : Nam ea, qvæ Ciceroni objiciuntur, tametſi argui ſuſpicioſè poſſunt; tamen omnino falſa ſunt omnia : ut non verear, qvin facilè, ſubmotis falſitatis tenebris, ipſa per ſe veritas eluceſcat. Illud præterea mihi non mediocre calcar addidit ad hanc provinciam ſuſcipiendam, qvod animadverti; paucos admodum adverſarios eſſe, eosqve leves ac fugaces; ut non hoſtes legitimi, ſed ſicarii potius, ac prædones eſſe videantur : qvi non cominus certare audeant, ſed ex inſidiis aggredi, & vibrato jaculo, Parthorum more, fugere ſoleant. Verum hoc tempore certum eſt, eos prætermittere, qvi non tàm audacis ac temerarii fuerunt, timideqve ac paucis Ciceronem accuſarunt. Unus mihi omnium audaciſſimus Cælius Calcagninus arripiendus eſt; cujus maledictis reſpondeam, qvem inſecter, cujus imperitiam notam omnibus efficiam, qvem eruditis viris deridendum propinem. Hic enim in uno de Officiis opere qvinq; & viginti locis Ciceronem annotavit : ſed ita, (ut paulo poſt apertè declarabo) ut pleraqve eorum, qvæ tanqvam errata reprehendit, ipſe non intelligat. Hujus igitur hominis loqvacitatem honeſtis ac veris rationibus reprimendam eſſe cenſui, ne forte cæteri ejusdem generis literatores, au-

2. A favore.

Solutio criminum.

Tranſitio ad refutationem adverſariorum.

Et qvidem ſpeciatim Cælii Calcagnini.

Propoſitio refutationis.

daciores ad detrahendum bonis Auctoribus fierent, si tantam hic impunè petulantiam tulisset. Qvam qvidem meam operam ac laborem spero bonis omnibus gratissimam ac jucundissimam futuram: vobisqve inprimis, qvi tantùm jam profecistis in literis, ut admirabilem ac divinam Ciceronis intelligentiam & doctrinam agnoscatis. Illud enim mihi persvasum est, non posse Ciceronem ab eis non vehementer amari, qvi singulares ejus virtutes intelligunt. Vos igitur omnes Ciceroniani nominis amatores, mihi patronos ac defensores paro, Vos, exploratum habeo, nullo unqvam tempore defuturos mihi: vestrâ fide sapientiaqve fretus, hoc onus sustuli: qvod si vos aliqva ex parte allevabitis, erit omninò mihi leve & gloriosum. Neqve dubito, qvin unusqvisqve vestrum libentissimè caussæ meæ patrocinaturus sit. Ergò qvicunqve estis ubiqve, qvibus valdè Cicero, Decisiones has meas vobis approbandos ac defendendas existimare. Ex hoc fore hunc numero, qvam ego mortalium omnium plurimi facio, divinum hominem Sfondratum certò scio. Qvi cum rerum præclarissimè gestarum gloria tantum excellat, ut Carolo Qvinto, Imperatori semper Augusto, & utilissimus & gratissimus sit: tamen bonis literis adeò mirificè delectatur, ut nemo propius ad venerandam illam M. Tullii majestatem, vel dicendo, vel scribendo videatur accedere. Ex hoc numero modestissimus & clarissimus vir Franciscus Crassus, Senator: cujus ob ore melle dulciorem fluere sonum his auribus audivi, qvo tempore in Fano religiosissimo Mediolani summâ cum audientium omnium admiratione, coram Cæsare gravissimam illam & splendidissimam orationem habuit. Ex hoc Alciatus noster, totius Orbis decus, qvi cum Jurisprudentia cæteris omnibus

Attentio. *Apostrophe,* 1. *Generalis.* 2. *Specialis.* *Laus Trium-Virum.*

mnibus antecellat, tum verò Eloqventia tanta eſt, ut ad eum audiendum undiq; populi confluant, ac nationes. Multi præterea ex agro noſtro Mediolanenſi, qvos hoc tempore (neminis longa ſumatur oratio) prætermittam. Qvot deinde in cæteris Italiæ partibus? qvot in Gallia? qvot in Germania? qvot in Hispania reperiuntur, qvi Ciceronis amantisſimi ſunt, ac ſtudioſisſimi? His igitur omnibus non ſolùm gratam & jucundam; ſed etiam patrocinio ſuo dignam viſum iri diligentiam meam, certum habeo. Qvare age, tanto vallati præſidio, jam tandem firmo & conſtanti animo Calcagninum iſtu aggrediamur.

Prateritio.

Conclusio.

M. ANTONII MAJORAGII DE ELOQVENTIA DIALOGUS.

NATURÆ varietas, qvam in rebus plurimis contemplari licet, ut in cœleſti globo, ſtellis longè diverſis velut emblematis vermiculato, in toto terrarum orbe, variis animalium, ac plantarum generibus refertisſimo, in virentium pratorum amœnitate, in varietatis florum coloribus, in magna prædiorum ubertate, ſæpenumero torpeſcentem animum ſolet excitare. Cum enim homines, qvi non omnino fuerint illiberaliter educati rerum vicisſitudines, ac temporum mutationes,

Exordium à mundi ornatu-qvi in rerum varietate eſt.

Ratio.

 asſidua

Philosophiæ origo. 1. Metaphys. 1.

aſſidua mentis agitatione conſiderant ;! in admirationem maximam facilè perducuntur. Atq; ideò fit, ut rerum cauſas eis in mentem plerunqve veniat inveſtigare : aut ſaltem ex his rebus , qvæ ante oculos poſitæ ſunt, de cœleſtibus, & qvæ nullo modo, dum vitam agimus, videri poſſunt, diſputare.

Narratio per anſam colloqvii.

Conceſſamus in Ambroſianum viridarium, in qvo fuerunt olim Afrum illum Auguſtinnm , Chriſtianæ Reipublicæ lumen ac ornamentum , ad Chriſti perſvaſionem animum inclinaſſe ; ac ibidem lavacro conſperſum ſanctiſſimo , priſtinas vitiorum & parvæ mentis ſordes abluiſſe. Ibi tùm una mecum ejus Cœnobii Præſes , Angelus Appianus , ſvaviſſimo vir ingenio (cui propter egregiam morum integritatem , vitæ ſanctimoniam , & ſummam omnium liberalium artium eruditionem, non facilè parem invenias) aderat; & doctiſſimus Præceptor meus Primus Comes , cujus viri laudes non hic eſt animus explicare : dabitur aliâs (ut ſpero) locus, eas opportunius memorandi. Etenim qvis brevi poſſet oratione comprehendere ? cum in trium Lingvarum claſſicis Authoribus nihil ferè poſſit inveniri (qvod ille non diligenter excuſſerit , nihil in liberabilibus diſciplinis , qvod non optimè perceperit , nihil memoria dignum , qvod perfectè non edidicerit. Taceo de ſanctiſſimis ejus moribus de vitæ ſeveritate , de continua rerum divinarum cogitatione ac locutione. Cùm igitur ſub frondoſa qvadam arbore conſediſſemus, & de communibus ſtudiis aliqvid dicere meditaremur; anteqvam qviſqvam inciperet : ecce Primi frater Antonius Comes , juvenis literarum omnium ſitientiſſimus, & omnis politioris literaturæ peritiſſimus , mihi plus qvam Pylades neceſſitudine conjunctus,

Diffuſio in laudes magiſtri.

cum præteritione.

Initium dialogiſmi ob interventum qvarti.

junctus ; qvippe qvi studiorum similitudine detinemur : & ab ineunte ætate ferè semper una viximus, sub eodem Præceptore Primo meruimus: qvod si nos eadem uno partu mater edidisset, non majori possemus esse benevolentia copulati. Hunc cum vidissem, mirandum in modum sum exhilaratus. Nam diebus viginti fermè non videram, qvi mihi totidem annis longiores fuisse visi fuerant. Opportunè, inqvam, advenisti frater; nam alio nomine nunqvam illum appellare soleo. (Hoc erat illud, qvod, ignora mihi causa, lætabatur animus meus : præsagiebat enim re venturum. Qvam (inqvit ille (mihi venisse jucundum est, postqvam hic simul eos reperi, qvos omnium plurimi facio, ac maximè diligo. Servet vos omnes pariter Christus Optimus Maximus. Tunc Angelus, ut est semper alacri vultu, ac fronte modestissima; Teipsum (inqvit) optabamus : Age, nobiscum asside; ut aliqvid ex studiis tuis nobis impertias. Qvid (inqvit Antonius) vobis impertiam, qvi tantum jam labore & industria effecistis, ut in doctrinis omnes, qvos hactenus mihi videre contigit : eqvis (ut aiunt) albis longè præcedatis ? Me potius à vobis aliqvid æqvum est, tanqvam à perpetuis fontibus, haurire. Ut enim arbores istæ, qvas in hoc paradiso tam pulchrè comatas, ac qvasi ridentes aspicimus, primò qvidem flores emittunt, postea verò fructus, qvi paulatim maturescant ; nihil tamen horum per se solæ faciunt ; sed ab omnium genetrice Terra succum accipiunt, ac vigorem procreandi : sic ego nunc in studiis qvasi florescere mihi videor ; ex qvibus aliqvando confido futurum, ut fructus aliqvid percipiam. Sed interim vestro qvi doctrina præcellentis, mihi opus est auxilio qvod nisi fieret,

Exceptio amica & mutua cum salute.

Apostrophe specialis.

Excusatio cum extenuatione;

Per simile;

cum applicatione ad se.

Imploratio.

tanqvam terræ ſucco non adjuta planta, nihil (ut video) poſſem in literis proficere. Tum angelus jocabundus; noverat enim juvenis induſtriam, & ardentiſſimum literarum ſtudium; An (inqvit) ſicut imprimis avicula, nidulo nondum avolare didiciſti? huc adhuc in naratione tibi cortice opus eſt? Atqvi ego te Delium illum jam ſuperaſſe natatorem exiſtimabam, & aliorum jam poſſe fieri moderatorem. Non injuria, (inqvam ego) Angele, iſtam de Antonio opinionem concepiſti. Nam ſæpenumero mecum non mediocriter admirari ſoleo profectum ejus in omni doctrinæ genere. Nihil eſt enim; qvod ingenii acumine non penetret, ſtudiorum aſſiduitate non vincat memoriæ tenacitate non comprehendat: qvare ſi qvid coram vobis recuſat dicere, non illius inſcitiæ, ſed incredibili modeſtiæ potius, qva maximè præditus eſt, aſſcribendum eſſe arbitror. Hic ſubridens Antonius, ac in me rejectis oculis: Tu qvidem (inqvit) pro tua ſingulari, & jampridem mihi perſpecta benevolentia, de me ſemper magnificentiſſime loqveris: verùm ipſe cognoſco, qvam ſint exiguæ vires ingenii mei. Sed poſtqvam mecum, tanqvam ex ſyngrapha, pergitis agere, & contendere, ut aliqvid proferam; mihi autem, qvod dicam in præſentia, veſtra dignum expectatione, venire in mentem penitus nihil poteſt: fratrem meum Primum, qvi & poteſt facere, & faciet libentisſime (niſi mea me fallit opinio) precabor, ut me levet hoc onere, & hanc dicendi provinciam ſuſcipiat. Qvod obſecro, mi frater, ac idem Præceptor honorande, ne recuſes. Tum Primus cogitabundus ſpectare cœpit ordine poſitas vites, qvæ tùm primum odore fragrantisſimo redolentes

Adverſativa cum tacita laude.

Ratio per enumeratione ingenii dotum.

Attentio cũ inſinuatione

Excuſatio.

Correctio.

Translatio oneris in alium.

efflo-

efflorescebant, in qvincunces speciosissimos redactas arbores, qvæ diversa qvidem poma, & ea nobilissima, sed tamen adhuc acerba sustinebant; qvam plurimis ac versiculoribus variegatum floribus solum: senticeta purpureis ac candidissimis rosis optimè circumqvaqve redolentia. Nos taciti cum expectatione meditantem intuebamur. Tùm ille sic locutus est: Eqvidem, Antoni Frater jucundissime, si qvid esset inter nos de pietatis studiis disputandum, dicerem aliqvid libentissimè: cùm præsertim locus hic amœnissimus, & hæc omnia tàm bene vernantia, cœlestis illius, à Christo promissæ regionis, memoriam nobis sufficere videantur. Videte, qvàm rideant omnia! qvid hoc spectaculo speciosius? qvid aptius ad æternæ vitæ meditationem. Nam sic, opinor, omni tempore, sed longè præstantioribus virere floribus campos Elysios; non eos, qvos Asphodelo consitos, apud inferos beatorum sedes esse, Poetæ fabulati sunt: sed ad qvos nos, qvi Christum seqvimur, qvotidiè laborantes, speramus aliqvando pervenire. Itaq; nobis in hac vita Deus qvasi specimen qvoddam dedit olim futuræ beatitudinis. Videtis, qvam benè oleant hi caduci flores: qvales fore censetis eos, qvi nunqvam poterunt emarcescere? Qvid? an non harum tam svavis odor vitium, nostrum ob oculos Principem Christum videtur objicere: qvi Se vitem, (ut est in sacris Literis) legatos autem suos palmites appellavit? Nam ut palmes, si viti semper adhæreat, dulcissimos potest racemos producere: sin autem casu defractus fuerit, arescit ilicò, & an combustionem tantum utilis est: sic homo, donec per res bene gestas capiti Christo conjunctus fuerit,

Propositio; per collationē à simili.

Declaratio similitudinis

Applicatio.

Ratio analogias.

fuerit, vitam in melius qvotidiè transigere potest: donec tandem, unà cum eo, immortali felicitate perfruatur. Qvod si fortè per flagitia Christum, reliqverit, brevi tempore præda sit iniqvissimo Dæmoni. Jam verò nonne arbores istæ, qvæ magnâ fructuum sarcinâ sunt inclinatæ, nostri nos officii videntur admonere? qvæ primo flores emittentes, deinde fructus acerbos, qvales nunc pendere videtis; sic paulatim auxiliante solo nutriunt, ut tandem ad maturitatem perducantur: ita nos eo tampore flores emittimus, cùm bonam animo concipimus voluntatem; fructus autem, cum, qvæ nobis à Deo commissa sunt, ea bene gerimus. Hi fructus tùm maturescere dicuntur, cùm tales sicut actiones nostræ, ut per eas Christi beneficio vitam mereamur immortalem. Qvare, si vobis ita videtur, utar oratione, qva sæpe soleo: vosqve (me appellabat & Antonium) ad studium summæ virtutis adhortabor: nisi forte qvid aliud Angelo videatur. Mihi verò (inqvit Angelus) nihil possit accidere jucundius. Nam qvamvis sacras qvotidiè Literas evolvamus, & Divorum exempla & monumenta nos satis possint ad virtutem extimulare: tamen viva voce nihil efficacius inveniri potest, præsertim cum ab optimo viro proferatur. Atqvi non ego te, (inqvit Primus) qvi nos in hac facultate longè lateqve præcedis; verùm hos adolescentes, qvi nunc in ætatis fervore constituti sunt, ad virtutem exhortari statutum habeo. Tu (si libet) eorum qvæ dicentur, judex assideto. Hic cum silentio maximo nos ad audiendum ostendissemus esse præparatos, hoc modo Primus exorsus est. Eqvidem cogitanti mihi de communibus mortalium studiis, sæpenumero venit in mentem non mediocriter admirari, atq;

Antithesis. *Reditus ad simile.* *Apodosis.* *Propositionis repetitio.* *Ratio per occupationem.* *Adversativa cum correctione.* *Narratio de negligentia hominum.*

atqve etiam indignari, tantam esse hominum insaniam ac vecordiam, ut, cùm æternam conseqvi gloriam ac beatitudinem qvàm minimo labore possint, per inertiam ac libidinem turpissimis in rebus malint tempus, hoc est, rem multò preciosissimam, frustra conterere. Cùm enim Mens illa sempiterna, ac perfecta sapientia, qvem nos Deum appellamus, qvi cœlestia maximè procuret, deindè in terris homines, & qvæ ad hominum utilitatem pertinent; omni mortalium generi ab ipsis statim incunabulis igniculos qvosdam addiderit, virtutis ac beatitudinis acqvirendæ: qvàm plurimi, variis animi perturbationibus ac morbis impediti ac distracti, qvod à natura justi & æqvi desiderium habent, id penitùs obruunt, & à cœca ac temeraria animi dominatrice Cupiditate prærepti reginam omnium bonorum Rationem conculcare non erubescunt! Neqve enim qvisqvam vitiis inqvinatus, naturam, aut fatum, aut sidera (qvod nonnulli faciunt) meritò potest incusare: qvæ, ut hunc ad vitia propensiorem, qvàm illum proferant; cogere tamen possunt omninò neminem. Verùm ut virtutum aut vitiorum viam complectatur, hoc in cujusqve situm est potestate. Non enim meritò vel punirentur improbi, vel justi præmium mererentur, si vel illi malè, vel hi benefacere necessariò cogerentur. Sed tamen (ut diximus) omnibus adipiscendæ virtutis, ac fugiendæ vitiositatis desiderium, à teneris, ut ajunt, ungviculis statim innascitur. Qvis enim omnium inveniri potest tàm angusti animi, tàmqve parvi, qvem si roges, An beatus esse velit, non illicò respondeat; Id se vel maximè cupere? Præterea Virtutis nomen ac Probitatis etiam apud improbissimos sanctissimum est ac maximè

Excitatio ad Virtutem ab hominis nobilitate.

Ratio à libero hominis arbitrio in mundanis.

Naturâ ducimur ad Virtutem.

Probatio alia per contrarium.

ximè venerabile. Nam qvis eſt adeò perditus, qvi ſe probum ac virtute præditum appellari, non vehementiſſimè gaudeat? Adde qvòd etiam ſæpenumerò digladiari ſolent improbi, ſi qvis eos audeat bonos viros eſſe denegare. Planum igitur, ac manifeſtum eſt, hoc virtutis ac felicitatis deſiderium nobis à natura, Dei benificio, traditam eſſe. Cur ergò, dicet aliqvis! tàm pauci ſunt, qvi virtutem amplexantur? Cur viam, qvæ poteſt ad beatitudinem perducere, plurimi non ſeqvuntur? Qvia cupiditatibus illaqveati, non ita corpus afficiunt, ut obedire conſilio rationiqve poſſit: & cùm meliora, tanqvàm ea, qvæ oculis cernuntur, aſpiciant ac laudent; tamen qvoniam appetitum rationi non ſubjiciunt, deteriora conſectantur. Nonnulli etiam adeò rudes, & in bonis luſciosi inveniuntur, ut, cùm optima ſeqvi cupiant, bonum ac malum internoſcere non valeant: atqve ita fit, ut pro bonis peſſima amplectantur. Sunt, qvi maximè divitiis inhiantes, ſperent futurum, ut, cùm ampliſſimas poſſeſſiones, & incommemorandam pecuniam adepti fuerint, benè beateqve vitam agant. Sed nunqvàm eos explere videmus cupiditatis ſitim: at potiùs continenter plura conqvirentes, majora ſemper appetentes, plurima congerere ſtudentes aſpicimus, Nam (ut optimè dixit Aqvinas Poëta.)

Conclusio.

Objectio ex opposito vitio.

Diversæ hominis classes & desideria.

Crescit amor nummi, qvantum ipsa pecunia crescit,
Hoc accedit etiam avaris in commodi, qvo minus poſſint ad virtutem aſpirare: Qvòd divitiarum cupiditate captus animus, confeſtim evileſcit. Cùm enim Auræ divinæ particula qvædam ſit Animus noſter, ſublimis & erectus cœleſtia tantùm ac immortalia meditari concupiſcit; ad eam geſtiens

Divitiæ remoræ sunt Virtuti.

ſtiens beatitudinem, ad qvam deſtinatus eſt, aliqvando perveniret: cùm verò pecuniarum illecebris illectus, eis inhiare cœperit, nihil magnificum poteſt, nihil præclarum cogitare, nihil qvod ad honeſtatem ſpectare videatur. Nec alia de cauſa toties in Sacris Literis divites improbantur, & ab æterna felicitate repelluntur. Qvarè nihil eſſe credatis honeſtius, nihil magnificentius, qvàm divitias contemnere. Sed exiſtunt etiam, qvi facilè contemptis pecuniis, honore ſperent ac gloria futurum, ut immortalitatem conſeqvantur: qvo fit, ut qvicqvid agant ac meditentur, id ipſum totum popularis tantùm auræ captandæ gratia facere videantur. Qvod qvàm ſit inane, ac indignum homine Chriſtiano, non dubito qvin intelligatis. Neqve enim fieri poteſt, (ait Chryſoſtomus) ut qvi gloriæ dulcedine capitur, magnum aliqvid aut egregium ſapiat. Hoc illud eſt, qvod tantoperè Chriſtus inſectatur, ut popularis gloriæ cupido neget ſe pro benefactis mercedem ullam donaturum. Qvapropter hoc etiam vitium eum oportet eradere, qvi velit ad ſummam illam felicitatem aſcendere. Maximè verò omnium impedimento eſt virtutum (ut ita dicam) Canditatis, voluptatis illecebra: qvæ ita, qvos ſemel cepit, illaqveat, ut, tanqvàm improbiſſima Syreneos confeſtim deturbet in turpitudinis barathrum. Hæc à vobis præter omnia cætera, ſtudioſi Diſcipuli, ſummoperè cavenda eſt: iſta præſertim ætate, qvæ maximè vicina lapſibus eſt. Sangvinis enim fervore compulſa adoleſcentia, ad varias facilimè cupiditates inflammatur. Sed jam pridem vos (ut ſpero) peſtem hanc animorum repudiaſtis, Cogitatis enim, qvantoperè, virtuti ſit inimica.

Concluſio.

Tranſitio ad aliam claſſem.

Ambitionis vitium.

Concluſio.

Tranſitio ad Voluptarios.

Nam

Voluptatis detestatio & fuga.

Nam qvid virtuti poteſt inimicius inveniri, qvam qvod omnem tollit honeſtatem? Qvid inter appetentem volùptatis hominem, ac teterrimam interesse belluam exiſtimatis? Tu, cùm tibi Deus, (inqvit Cicero) ſive mater (ut ita dicam) rerum omnium. Natura dederit animum, qvo nihil eſt præſtantius; neqve divinius, ſic te ipſe abjicies atq; proſternes, ut nihil inter te, atqve inter qvadrupedem aliqvem putes intereſſe? Hæc audiant vitiis excœcati, qvi ſummum bonum voluptate metiuntur. Vos verò, qvi jam ab animis veſtris hæc impedimenta ſummoviſtis, de his rebus nihil opus eſt amplius admonere. Verùm agite, qvod cœpiſtis iter fauſto pede perficite. Jacta ſunt præclara beatitudinis fundamenta. Jam, qvod difficilimum eſſe ſolet, eſtis executi: ſiqvidem, Principium totius eſſe dimidium, etiam proverbio dicitur. Jam relictis vitiis. Virtutum ſtudia cœpiſtis amplexari. Magnam de vobis, amicis omnibus expectationem concitaſtis. Illud cogitate, vobis alterutrum, omninò eſſe neceſſe: Aut cum ſumma laude & utilitate progrediendum; aut cum ſummo dedecore & infamia retrocedendum. Qvorum alterum ignavorum, animi mollitie deſperantium, qvos pro fragiliſſimo mundanæ voluptatis vitro, multò pretioſiſſimas æternitatis margaritas non piget amittere Difficilis eſt & ardua Virtutis via: ſed Honeſta ſolent eſſe difficilia. Qvod enim expoſitum eſt omnibus, ut vel ab ignaviſſimo qvoqve poſſit apprehendi, qvis id audeat Honeſtum appellare? At verò qvod laudabile & cum utilitate conjunctum, qvamvis maximè ſit arduum ac difficilimum, id generoſis animis etiam facilimum videri ſolet; qvi nullum laborem pertimeſcunt; ſed ampliſſima

Tranſitio per dilemma, In antitheſi.

Cohortatio ad Virtutem & honeſtatem.

ma sibi proponunt præmia, qvæ conseqvantur; laudem, decus, immortalitatem, Virtus enim (ait Philosophus) radices habere videtur amaras, sed fructus affert svavissimos. Istam, qvam elegistis, vitam optimam, mihi credite, jucundissimam paulatim reddet consvetudo. Nec verò labore aut difficultate, tanqvàm tempestate, repelli vos sinatis. Qvin potiùs illud considerate: Si tanta patiuntur mercatores pericula; si non horrescunt fluctibus turgidum mare; si per saxa, per ignes, non trepidantes irruunt; ignotas adeunt regiones; fortunæ vitam exponunt, ut brevi perituras divitias affatim congerant; si vigilant artifices totas plerunqve noctes: qvanto vos studio convenit eas acqvirere divitias, qvæ nunqvam poterunt interire? Facite, vobis ob oculos continuè versentur tot Heroës præclarissimi, qvi laboribus sibi iter in cœlum aperuerunt. Qvamqvam nolo, vobis (ut paulò antè monui) tanqvàm scopum, mundanam gloriam proponatis. Qvid enim inanius? Sed tamen si Virtutem summo studio, ac diligentia complexi fueritis, ingens etiam gloria sponte sua subseqvetur. Non enim crdendum est, sibi gloriam hanc proposuisse Sanctos illos. Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, inumerabiles alios: sed ipsam tantùm honestatem, ac Christi vitam imitandam: tamen de eorum fama, nulla unqvàm ætas conticescet. Hoc enim ita sapientissimo cuiqve solet accidere, ut qvantò magis gloriam spreverit, tantò magis illa cumulatior redeat. Qvarè summum illum vocis scopum proponite Christum: ab hoc omne principium, ad hunc omnem actionum vestrarum exitum referatis: de hoc noctes atqve dies cogitetis hujus vitam; mortem, gloriam animo conti-

Contrariis ratio & refutatio: per collationem à minore;

Exaggeratio per exempla;

ab effectu laudabili.

Meta & scopus unicus actionem nostrarum.

continenter evolvatis. Sacrosanctam Evangelii Legem ac Divinos omnes Libros

Nocturna versate manu, versate diurna.

Non enim fieri potest, (inqvit ille verè aureus Chrysostomus) ut qvi freqventer divinis vacat, is miseram agat vitam. Omnia vobis cætera sordeant præ his, qvæ ad Christum pertinent. Ita fiet, ut aliqvandò, qvam optatis, felicitatem acqviratis immortalem; & ab optimo qvoqve viro maximam reportetis & laudationem, & gloriam. Hæc cùm dixisset Primus, paulisper habitum est silentium. Tùm Angelus; Planè mihi, Prime videris (inqvit) optimos imitatus Medicos: qvi morborum causas pet scrutari, pharmacis priùs eas conantur evellere, qvam facientes sanitatem medicinas adhibeant. Qvis enim unqvàm, valetudinem ut recuperet, sperare potest, nisi priùs morbi causam de venis fugaverit? Ita virtutis viam ingredi penitus nemo potest, qvi non ante pravas ab animo cupiditates evaserit. Qvid porrò virtuti potest inimicius inveniri, qvàm tria illa, qvæ modo vitia numerasti? Divitiarum sitis, Voluptatis illecebra, Gloriæ cupiditas. Neqve enim ullo modo fieri potest, ut qvi trium horum aliqvo vitiorum irretitus sit, minimam virtutis partem possit acqvirere. Qvod si qvis ab his omninò se potuerit expedire, maximum is ad virtutem gradum jam se fecisse certum habeat. Sed illud sanè etiam à te expectabam, ut aliqvid de Literarum studiis, ac maximè de Eloqventia diceres. Hos enim adolescentes in hac parte totis viribus, ut aliqvando fiant eloqventes, insudare video, qvi plane mihi videtur labor esse supervacaneus. Cur autem ita videatur, dicam postea: si priùs hac de te

Divina prævaleant humanis.

Comprobatio sententiæ à simili.

Apodosis.

Declaratio per opposita.

Transitio cũ adhortatione ad Eloqventiæ commendationem.

re sententiam tuam audivero. Qvarè cùm alia multa dixeris, hoc etiam explicandum est à te, ut hi sciant adolescentes, qvid hac in re sibi faciendum esse videatur. Hic arridens Primus, Scio (inqvit) qvam rem agas, Angele: cupis me ad hoc, ut aliqvid de Eloqventia disseram, impellere: qvo illa ipsa, qvam te non probare dicis, Eloqventia rationes meas omnes & argumenta, qvibus eam probavero, convincas. Nullum enim adhuc te vehementiorem in dicendo cognovi, neqve ad refellendum acutiorem. Sed tamen, qvoniam ita velle videris, dicam sententiam meam: tu si qvid contrà dixeris, ipsa tamen per se suum fulgorem explicabit. Non enim ullo modò Eloqventiam sine eloqventia potes improbare. Vos autem (me appellabat & Antonium) pergite porrò, sicuti cœpistis, totis viribus ad Eloqventiam incumbere; qvæ rerum omnium (divina sempèr excipio) sine controversia præstantissima est: nec vos, qvasi tumultuantes de gradu dejiciat, si qvid Angelus contrà dixerit. Qvin potiùs ita colligite: Ex omnibus rebus id excellentissimum ac præstantissimum existimandum est, qvòd meliorem nostri partem, hoc est, animum ornare, & expolire potest, qvodqve in admirationem homines adducere solet, & maximam plurimis utilitatem reportare. Doctrinas enim ac Artes lilberales, & deniqve Virtutes omnes hac de causa complectimur, qvod illis humanus animus maximè poliatur. Qvid gemmas, uniones, chrysolithos, adamantes & cæteras omnes? num alio nomine preciosa sunt, nisi qvod eas homines soleant admirari? Jam verò argentum & aurum ob id tantùm plurimi penditur, proptereà qvòd humanis

Excusatio sui cum declinatione.

Correctio cũ stipulatione.

Apostrophe cum attentione.

Propositio altera de Eloqventiæ vi et virtute.

Ratio per collationem vitiorum.

 usibus,

Antithesis preciosioris. usibus, & conventionibus, emptionib. ac venditionibus aptissimum esse videatur. Nullum autem animi majus ornamentum, cultu ac prudenti. Sermone potest inveniri; nihil qvod majorem possit admirationem concitare, nihil deniqve, qvod utilius sit humano generi, reperitur. Qvid enim pulchrius, qvàm aliqvem existere hominem, qvi cæteros ea re præcedat, qva sola reliqvis animantibus homines antecellunt? Qvid honestius, aut decentius, qvam ita sermonem posse temperare, ut nihil non concinnè, prudenter ac ornate dicere videaris, nihil humile ac sordidum: sed omnia nobilia ac splendida? Qvid admirabilius, qvam mentes audientium, qvocunqve volueris, oratione posse convertere? cùm omnes ferè loqvi sciant; ipse solus ita loqvaris, ut cæteri nihil omnino scire videantur? ut suspensos ita teneas Auditorum animos, & attonitos, ut vel invitos pedibus in sententiam tuam cogas discedere? Age porro qvid utilius Eloqventia? qvid liberalius? qva feruntur patrocinia supplicibus; excitantur afflicti, datur miseriæ salus, rei periculis liberantur, civitates optimè gubernantur, sedantur plebis seditionesq; ac discordiæ, ad sacrarum cultum Religionum populi pertrahuntur. Qvarè si qvod animi nostri magnum est ornamentum, qvodqve in admirationem ducit universos homines, & qvod utilitatem solet afferre plurimam, id omnium est præstantissimum: Eloqventiam autem, & ornamentum animi non mediocre, & magnoperè mirabilem & utilissimam esse probavimus nemini dubium esse potest, qvin Eloqventia sic omnium præstantissima. Qvæ cùm dixisset, finem ille Angelus autem; Næ tu (inqvit astutè mecum agis; qvi prius, ne verbis meis fidem

Orationis politæ præstantia & prærogativa.

Effectus ejusdem miri.

Probatio syllogisticè facta.

Tacita incusatio; q. è musca elephantem.

dem habeant, hos alienare velis, qvàm ex me qvicqvam audierint. Deinde cum tuam tantùm de Eloqventia ſententiam poſtulaſſem ; ipſe nobis argumentis, vel potius præſtigiis qvibusdam oculorum aciem ita præſtrinxiſti, ut vile plumbum in aurum purum putum qvod vocant, immutare videris. Sed jam mutua talione tecum agam ; non qvidem qvod verum occultare velim, qvod tu feciſſe mihi videris ; ſed magis, ut, detectis inſidiis, ipſa per ſe veritas eluceſcat. Verum jam aperto Marte congrediendum. Poſſem eqvidem te plumbeo ſtatim (qvod ajunt) gladio jugulare : ſed aperienda prius eſt ſententia mea. Si qvid eſſet, qvod ad bene beateqve vivendum homini Chriſtiano maxima dicendi facultas, ſtudio comparata, prodeſſe poſſet : nunqvam profecto committerem, ut eam non maxime comprobarem. Qvid enim impudentius dici aut fingi poteſt, qvàm id condemnare, qvod noſtræ perſvaſioni ac religioni ſit non ſolum accommodatum ; ſed etiam utiliſſimum ? Sed tum videam, ex Eloqventiæ ſtudio non ſolum nullam Chriſtianis utilitatem ; ſed etiam damnum maximum proficiſci: qvid eſt, qvod huic ſtudio multam operam impendendam eſſe exiſtimem? aut potius, cur ſummopere non improbem ? Qvid enim damnoſius accidere poteſt, qvam relictis gravioribus ſtudiis, inani tantum verborum farragini perdiſcendæ bonas horas conſumere ? cum præſertim Chriſtus ipſe, noſtræ Religionis author, ſuis legibus ſancitum eſſe voluerit ; Ne multum loqvamus : propterea qvod in multa locutione crimen aliqvod ſemper incidere poſſe videatur. Nos autem ſupervacanei ſermonis vitium, qvod omnes fere mortales occupavit, non ſolùm pro virili conamur

Adverſativa cum expoſitione vera ſententiæ.

Contrarii oſtenſio ab inutili.

Q. ſit vanum & inane verborum ſolectorum aucupium.

Ab autoritate Chriſti.

Refutatio prioris argumenti. namur aliqva ex parte resecare : sed etiam (si Diis placet) loqvacitatem nostram studiis adjuvamus. Nam qvod ais, esse mirabilem Eloqventiam, qvod attonitus reddat audientes; idem de schœnobate, aut præstigiatore, aut etiam circulatore qvovis dici potest : neqve tamen incirco tale genus hominum præstantissimum esse dicitur. *Secundi per negationem.* Qvod verò disputas; eloqventia reos liberari, civitates gubernari, populos ad religionem trahi : speciosius mihi dixisse videris, qvàm qvod ita sit. Nam qvis id primum tibi concedat; Eo nomine utilem esse Eloqventiam, qvod reos à periculis liberet ? qvi si mali sint, num utile tibi videtur, eos liberare ? sin autem boni, nonnè potius innocentia recti liberabuntur, qvam cujusqvam eloqventia ? *Declaratio per exempla contraria.* Qvis Susannam illam Hebræam falsa criminatione liberavit? An non (siqvid Ambrosio credimus) sua taciturnitas : *1. Susanna.* qvæ si volnisset Oratorem conducerè, qvi se defenderet; neqvaqvam visa fuisset (ut erat) innocens. *2. Socratis.* Qvid Socratem illum, Apollinis judicio sapientissimum, commemorem ? cui, cum esset in carcere, facundissimus orator Lysias orationem attulisse dicitur; qva videbatur, illum iniqve accusatum eripi posse. Maluit homo sapientissimus injustè condemnari, qvàm eloqventiæ præsidio liberari. Qvod si non innocentes; sed maleficos, Eloqventia defendit : cùm illi nihil sibi conscii non timeant: hi verò scelerum conscientia stimulari patrocinium qværant : non solum non utilis est Eloqventia, sed etiam damnosissima; qvippe qvæ defendat, qvos oppressos oportuit. *Tertii; A Reipubl. gubernatione.* Qvod autem dicis Eloqventia civitates gubernari : id mihi magis disputandi gratia, qvàm qvod ita sentias, dixisse videris. Neqve enim de ignorare arbitror; Optimis legi-

legibus, & virorum pudentia regi civitates, non Eloqventia; qvæ multò freqvevtius nocere, qvam prodesse civitatibus invenitur. Qvis enim ignorat, qvantum tumultus in Republica Romana duorum Gracchorum Eloqventia concitarit? qvantum item Saturnini? qvantum apud Athenienses Pisistrati? Illud nullo modo tolerandam; qvod ais Populos ad Religionem eloqventia trahi. Qvænam est ista, qvam prædicas, Eloqventia? num ea, qvam in Sacris literis invenimus? Qvis ignorat, ex sacris libris expulsam esse Eloqventiam, tanqvam inutilem? Aut eam dicis, qva se gloriatur Corinthios lucri fecisse Paulus? cum ait: Cum venirem ad vos fratres, non veniebam cum eminentia sermonis, aut sapientiæ; annuncians vobis testimonium Dei. Et paulò post: Sermo meus, & prædicatio mea non erat in persvasoriis humanæ sapientiæ verbis; sed in ostensione spiritus ac potentiæ: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia Dei. Qvid, hic videturne tibi Paulus Eloqventiam laudare? ac non potiùs repellere? Non igitur Eloqventia est qvæ trahit ad religionem homines, sed ostensio spiritus, & Evangelii annunciatio. Nam qvod ais; Animi nostri maximum esse ornamentum plausibilem Orationem: id ego semper constantissimè pernegabo. Neqve unqvam: præter virtutem, ac honestam vitam, humanæ mentis ulla esso ornamenta existimabo: neqve qvicqvam expedendum, præter religionem & unius DEI per Sacras Literas, ubi nulla est eloqventia, cognitionem. Qvid enim expetendum, qvod non sit utile? Porro qvid utile, qvod non idem sit honestum homini Christiano? Atqvi nullus id honestum existimabit,

Demonstratio contraria effectus per exempla.

Ab autoritate. D. Pauli.

Conclusio.

Objectio.

Refutatio per Inficiationem.

Demonstratio alia per soriten.

qvod etiam improbiſſimo cuiqve poſſit eſſe commune : Eloqventia autem ejusmodi eſt, ut etiam homo peſſimus eam habere poſſit: non igitur erit honeſta Eloqventia. Qvod ſi non honeſtè; neq; utilis : ſi verò non utilis; non ſolum non expetenda; ſed etiam fugienda eſſe videbitur. Qvod autem fugiendum eſt; pernicioſum ſit neceſſe eſt. Qvare non ſolum Eloqventia non præſtantiſſima, qvod tu concluſiſti non optimè, ſed etiam pernicioſiſſima Chriſtiano viro judicanda eſt. Hæc cum dixisſet; nos taciti, qvid ad hæc eſſet objecturus Ptimns, expectabamus. Tum ille; Si te ſcirem (inqvit) Angele, ſimilem verbis animi ſententiam etiam habere, ſummopere te hortarer, ut de opinione tam ſiniſtra decedetes: vel ſi nolles audire, tibi notam ingratitudinis inurerem: qvi cum tantum debeas Eloqventiæ, qvantum hoc tempore vel nulli, vel fortaſſe pauciſſimi; tamen eam ſuis ipſius telis auderes inſectari. Sed cùm hæc diſſerendi gratia primoribus tantum labris: non ex animo te dixiſſe non ignorem: nihil de te, aut ingratitudine tua dicam. Ipſam tantam eloqventiam, objecto clypeo, protegere conabor, ac defendere: tu verò tuis argumentis aërem verberaſſe videberis. Primum igitur tua dicta tentabo refellere: deinde, qvæ cauſæ meæ confirmandæ proderunt, ea nitus ut in medium conferam. Atq; ut hinc potiſſimum incipiam, qvid illo Sorite vitioſius, qvem tanqvam validiſſimum in peroratione tibi conſervaras? Eqvidem prima auditione non mediocriter confuſus ſum; mihiqve audire videbar inexplicabiles Chryſippi Ceratinas, aut crocodilinas: ſed poſtqvam diligentius introſpexi, nihil unqvam mihi viſum eſt inanius. Nam ſic, opinor, collegiſti: Nihil utile, qvod impro-

Concluſio.

Adverſativa num tacita accuſatione & correctione adverſarii

Excuſatio, cum refutatione ſingulorum.

I. Sorites.

improbo possit esse commune. Hæc effata tibi facilè concesserim: qvanqvam prius illud non multis est probabile. Sed videemus, qvid his subjungatur: eloqventia ejusmodi est, ut etiam homo pessimus eam habere possit. Qvid ait Angele? Vide, ne parùm Dialectici sit hominis, rerum definitiones aut ignorare aut cognitas non considerare. Homo pessimus Eloqventiam habere potest? An ignoras idem esse, ac si diceres: Stultissimus potest esse sapientissimus? Nam qvid aliud est Eloqventia, qvàm copiosè loqvens sapientia? Qvid aliud Orator, qvàm vir bonus dicendi peritus? Nam parvus homo sapiens aut bonus esse potest; Qvis hoc sanæ mentis audeat dicere? Atqvi tu vel nescius, vel fortè etiam prudens hoc conclusisti. Nam qvisqvis eloqvens est, is etiam sapiens, ac vir bonus sit necesse est: siqvidem Eloqventia est sapientia, & Orator vir bonus. Porrò si pravus est eloqvens, idem etiam erit sapiens & bonus; qvod nullo modo fieri posse, qvis ignorat? Neq; igitur homini malo contingere potest Eloqventia. Qvo sublato, videsne, qvam citò causa cecideris? Sed hæc agenda videntur explanatius. Multum interest, Angele, qvid esse putes Eloqventiam. Nam si verborum tantum inanem (ut inqvisti) farraginem illam existimas; rectè qvidem improbas: sed plurimum videlicet erras in finitione. Sin autem (ut opinor) persvasum habes, Eloqventiam majus qviddam esse, qvam verborum farraginem: neqve omninò sine rerum plurimarum, & divinarum & humanarum cognitione, hominem aliqvem eloqventem esse posse: qvid te facere dicam, cùm rem tàm laudabilem vituperas, nisi pessimè: Nam qvod ais. Non oportere dimitti studia graviora: qvæ sunt

Contrarii ostensio.

In virum malum non potest cadere eloqventia.

Comprobatio utilior.

per dilemma.

tandem ista graviora studia ? aut qvid est, qvod incumbamus studiis, nisi ut eloqventiam augeamus: & ut multis collectis rationibus, nobis ipsis ad benè beateqve vivendum, & aliis qvam plurimis auxilio esse possimus ? Qvid enim qvis discit, qvod non, cum perceperit, qvam maximè cupiat propalare ? Hoc enim omnibus natura comparatum est, ut scire desiderent: & qvæ sciunt, alios docere velint. Qvod cùm faciunt, qvis est, qvi non cupiat, se qvàm optimè dicere. ? Huc igitur studia diriguntur: & hac tantum de causa studemus, ut esse possimus eloqventes. Nihil enim: aut parum prodest occulta doctrina. Nullum igitur Eloqventiæ studio gravius inveniri potest. Sed Christus (inqvis) nobis jussit, ut pauca loqveremur. Undènam (qvæso te) sumis, hoc in Eloqventiam esse dictum ? Cave, ne, cum Eloqventes inimicos habere velis, etiam Theologos irritassis, si male torseris Evangelia. Non enim tibi par erit, prælium: qvanqvam plurimum etiam in ea Facultate valeas. Sed si te semel oppresserint Scotizantes; ex illis tenebricosis laqveis non ita facilè te poteris extricare. Jam verò contra Thomistarum, & Occamistarum vociferationes, nihil tibi proderit ista tua tam admirabilis scientia. Sed redeat undè aberravit, oratio. Christus ibi longas Ethnicorum precationes vituperat: qvibus, qvod optabant, à Deo se impetrare posse confidebant. Tu vero scilicet novus interpres, Christi verba torqves in Eloqventiam. Nam si malum est loqvi, cur non perpetuè tacemus ? si verò bonum, cur cum id facimus non conamur, ut qvàm optimè faciamus ? Sic enim fieret, ut loqvacitatis vitium, qvod (ut verè dicis) omnes ferè mortales occupavit, excideremu

Finis studiorum nostrorum.

Ratio.

Oratio est medium seu organon communicandæ doctrinæ.

Refutatio secundi,

Reditus ad illud.

Silentium, an loqvela utrum præstet?

mus: & politiſſimo ſermone ſimul & utiliſſimo ea, tantum, qvæ probanda ſunt diceremus. Qvàm verò bellè de ſchœnobate, aut præſtigiatore luſiſti perindè qvaſi qvicqvam ſchœnobates ad orationem pertineat: aut hæc ſimilitudo non tota (qvod ajunt) diametro diſſideat. Mihi verò viſus es, cum, qvid contra diceres, non haberes; ſtudio tamen contradicendi tàm abſurdam finxiſſe ſimilitudinem. Qvid enim habet ſimile funambulus cum Eloqventia? cum ille, qvamvis ridicula qvædam, & qvæ mirabilia videantur, efficiat; tamen nec ſibi nec aliis utilis, ab omnnibus vilipenditur; & luſus tantùm gratia ſpectatur. Hæc autem ita rapit & immutat hominum mentes; ita vel invitas cogit ad utiliſſima qvæqve, ut planè divina eſſe videatur. Nec fieri poteſt, ut cum qvis eloqventem ſemel audierit, eum non maximoperē ſuſcipiat; & majus qviddam in eo, qvam in homine veneretur. Qvænam ſeditio tanta inter ferociſſimas gentes poteſt exoriri, qvàm ſi ſupervenerit eloqvens, non illicò ſedare poſſit, & pacem inter inimicos coniliare? Et qvid ſeditione vulgi truculentius? Menenius Agrippa? fabula tantum eloqventer recitata, & ſapienter interpretata, iratam plebem Patribus conciliavit: qvantò id facilius effeciſſet, ſi fontes eloqventiæ penetraſſet? Qvid, cum ad Demoſthenis & Æſchinis contentionem ex tota Græcia concurſus fieret; num eos qvi concurrerunt, Græcos, tanqvam ad præſtigiatores ſpectandos, conveniſſe cenſes? Aut cùm ex ultimis Orbis terrarum regionibus ad Patavinum Livium audiendum qvidam veniebant, nonne tibi videntur ejus eloqventiam, non tanqvam rem inanem (ut tu appellas) ſed tanqvam valdè mirabilem, ac propè divi-

Confutatio tertii.

Ratio à diſpari.

per collationem utriusq.

Effectus eloqvent.æ.

Ab exemplo.

Rejectio. divinam fuisse admiratos ? Sed hæc,qvæ ex tuo dixisti, ut sunt levia; ita facilè refelluntur. Illud potius aliqvam rationi meæ difficultatem, qvod ex Paulo recitasti, videtur afferre. Nam de Susanna, ac Socrate postea videbimus. Sed tamen hoc etiam, qvod ait Paulus, facilimum est amoliri ; cum non Eloqventiam vituperet ; sed ei tantum ostensionem spiritus, ac Dei potentiam præponere videatur. Illud enim Ecclesiæ nascentis pimordiis, magis erant (fateor) necessaria miracula : cùm, ut Deorum cultum, ac malorum suorum religionem penitus imbibitam immutarent, non sola potuissent homines eloqventiæ persvasione compelli;nisi miracula etiam accessissent, qvæ divinum illud opus esse, non humanam declararent. Sed posteaqvam ad Christum versi fuerant, tunc necessaria fuit etiam eloqventia, qvæ debilium & infirmorum animos qvotidiè confirmaret, desides excitaret, errantes corrigeret, ferventes magis accenderet. Unde videmus etiam, qvanta scripserit arte Paulus : qvem tu fingis eloqventiam damnare : cum ipse sit eloqventissimus. Cujus rei, præterqvam qvod ejus Epistolæ declarant, testis est etiam Augustinus ; qvi rerum ac verborum exornationes, qvi eloqventiæ nervos in ejus scriptis conatur ostendere. Qvare non eo modo, qvo tu censes, ea verba Pauli, qvæ modo recitasti, sunt interpretanda, ut credamus eum, qva summopere præditus erat Eloqventiam condemnare. Sed cum ad Corinthios scribat, qvi à Prophetis falsis plurimi seducebantur, eis tantùm artificiosè in memoriam Spiritus ostensionem, ac miracula reducit:ut meminerint, se non tantum Pauli verbis, qvantum Evangelii virtute ac miraculis, Christi fidem accepisse.

Transitio ad qvarti refutationem.

Aristotelis eloqventia necessaria.

Ab exemplo D. Pauli.

Conclusio Cum vera interpretatione sententiæ Paulinæ.

Neq;

Neqve verò ex Sacris literis (ut ait) expulsa est eloqventia. Imo vero magis credibile est, ab eis principium habuisse: deinde paulatim hominum sapientissimorum studiis accrevisse. Non enim fieri potest, ut res tam divina aliundè, qvàm à divinis literis principium sumpserit: cùm præsertim plurimas in sacris Bibliis orationes videamus, qvas certò scimus esse in Hebræo sermone disertissimas, & qvæ etiam apud nos speciem qvandam præ se ferunt elegantiæ. Illos verò qvos Prophetas appellamus, qvorum ego eloqventiam, cùm eorum scripta Hebraicè lego, majorem in modum suspicio, nihil aliud fuisse credendum est, qvàm Oratores facundissimos; qvos Deus è multis eligebat, ut essent, qvi populum ad religionem pertraherent Horum unus Daniel, cùm innocentem Susannam ad supplicium duci videret, eam eloqventia sua liberavit: & qvanqvam (ut ais Ambrosio placere) taciturnitate innocentiam suam testaretur; tamen nisi Dei monitu vox Danielis affuisset, nihil omnino fuisset impedimento, qvo minùs de illa supplicium indignissimum sumeretur. Socrates autem (inqvis) perire malu, qvam oratione Lysiæ liberari. Sit ita sanè: num ideò damnavit eloqventiam Socratis? Illam sibi oratiònem, qvòd forte parùm eloqvens videretur, non viro dignam videri dixit: non de eloqventia tota judicium fecit: nisi fortè credis, eum, qvi sub æratum aurum spernit, obryzum etiam, & purum aurum reprobare. Qvid verò de eloqventia Socrates senserit, ejus discipulus Plato palam innuit, qvi cum ubiqvè introducit eloqventissimè differentem. Qvarè tè frustra vides hæc exempla collegisse. De Gracchis autem & Saturnio, & Pisistrato, nihil attinet dicere:

Comprobatio alia 1. ab autoritate S. S.

2. Prophetarum.

Ab exemplo Danielis.

Transitio ad qvintum.

Socrates.

Conclusio.

re: cùm illi cives seditiosissimi fuerunt. Nos autem nullum eloqventem, nisi eundem bonum virum esse dicimus: Ut autem parrem aliqvam habuerint eloqventiæ: non tamen ideò tanta virtus damnanda esse videbitur. Neqve omninò vitia pravorum hominum ad res transferenda. Nam

Non usus; sed abusus rem diffamat & damnat.

Non res in vitium, sed malefacta cadunt.

Qvod autem legibus ac prudentia civitates gubernari, non eloqventia tibi videri dicis: non satis ipse prudenter ac legitimè (qvod pace tua dixerim) ab his rebus eloqventiam separas, qvas neqve tu ignoras sine illa nullo modo posse consistere.

Transitio ad sextum.

Qvem enim primum (ut altê repetamus) leges invenisse, qvibus civitates regerentur, existimas? aut qvem credis induxisse populos, ut legibus obœdire non recusarent? Num infantissimus aliqvis tibi fuisse videtur, & qvi nulla foret eloqventia præditus? Qvomodò ergò tam facilè paruerunt ei, qvi nullam legum rationem, qvare bonæ viderentur, posset per infantiam reddere? An sponte sua rudis populus, & liberè vivendi cupidissimus, legibus, tanqvàm jugo, colla supposuit? Qvin magis mihi verisimile sit, eloqventissimum fuisse hominem: qvi ratione reddita, cur una in civitate simul habitare, legibus uti qvàm optimis, optimum esset, oratione facundissima populorum animos ita demulserit, & immutârit, ut suæ cogeret eos parere voluntati. At verò postqvàm in una mœnia convenere; regi cœpere, certè non minùs eloqventia, qvàm receptis legibus. Cùm enim viros prudentissimos, de æqvitate ac jure disserentes, audirent; facundia deliniti, iis, qvæ optima videbantur, parendum esse censuerunt. Itaqve nisi priùs Eloqventia fuisset, nullas penitus (ut opinior) leges habe-

Eloqventiam ad Reipubl. gubernationem reqviri.

Ratio.

Comprobatio ab effectu

haberemus. Nec verò à Prudentia, tanqvam membrum à corpore, ſegreganda eſt Eloqventia. Pars enim ejus eſſe dicitur, cui literarum omnia ſtudia tribuuntur. Qvod ſi prudentis eſt, amplecti ſtudia literarum: cur tibi prudentis eſſe non videatur, eloqventiam perdiſcere, qvæ ſtudiorum omnium qvaſi lumen eſt, & ornamentum. Qvantò verò faciliùs, & meliùs civitatum gubernatores, populos ad juſtitiam amplexandam, & iniqvitatem vitandam. impellere poſſent: ſi cum prudentia magnam qvoqve facundiam copularent? Qvid de Chriſti præcone dicendnm eſt? cui tàm neceſſariam eſſe arbitror eloqventiam, qvàm etiam Sacrarum ſcientiam Literatum: Qvid enim? Annon videmus, in Theologica Facultate, doctiſſimos plerumqve homines, qvod facundia deſtituti ſint, ita frigidè concionari, ut nihil omninò qvamvis plurima verba profuderint auditorem commoveant? ſed totum ferè tempus inanibus qvæſtiunculis, (qvas involuiſſe ſilentio multò præſtitiſſet) altiſſima vociferatione conterant? Qvid enim ea populo proſunt, Scotus & ejus farinæ comites, ſomniarunt? qvibus ad religionem ne tantillum qvidem accendantr: ſed ea cùm audierint, in divinis rebus multò tardiores efficiantur. Qvantò præſtantius eſſet, eloqventiæ poſt Divinas Literas, totis nervis incumbere (& rejectis Dialecticorum Sophiſmatibus, in qvibus, tanqvam ad Syreneios ſcopulos, conſeneſcunt) tantam ſtudio facundiam comparare: ut audientium mentes immutare, impellere, trahere, rapere poſſent ad honeſtatem capeſſendam? ut qvæqve peſſima vitia ſint, ita maximè inſectari, improbare, profligare exterminare? futuras improbis pœnas oculis

2. Prudens debet eſſe eloqvens.

Tranſitio ad ſeptimum de concionatoribus.

Ab utilitate ad Auditores redundante,

1. Ad deterrendum à vitiis.

oculis subjicere; minis perterrefacere, inferorum sedes aperire; torsiones, cruciatus, supplicia scelerum patefacere? Virtutem autem, ut dignisimum est, ad cœlum extollere; ejus præmia, decus, immortalitatem gloriam, beatitudinem, ita dicendo prosequi, ut eorum desiderio majorem in modum auditorum mentes inflammentur, doleant, metuant, sperent; tempus sibi frustrà præteritum conquerantur; in posterum, relegata cupiditatum siti, totam uni virtuti statuant operam impendere? Qvæ si qvis diligentissimè perseqvatur, qvantum honestaais excitabit incendium! qvàm mirabiles ad capessandam virtutem ignes in mortaiium animis commovebit! qvàm facilè vitia, tanqvàm fumi, vanescere videbuntur: purior Viitutis flamma subseqvatur! Sed me tempus deficeret, si vim universam Eloqvenriæ velim explicare. Vides, (ut opinor) nisi vel videre nolis, vel Hypsea cæcior effectus sis, qvantopere sit utilis Eloqventia. Sed me temporis angustia (video enim advesperascere) cogit esse breviorem: posthàc aliâs nisi de ista sententia discesseris, multò longiorem, & elegantiorem sermonem expectato. Hic rubrisit Angelus, præter spem (inqvit) hodiè Primum orantem ex tempore vidimus. Qvid si paratus accessisset? qvod si iterùm contigat ei de Eloqventia dicere? Sed nihil opus est: Jam enim in tuam sententiam pedibus discessi, Qvibus dictis post paulò discessimus.

2. Ad Virtutem amplectendam.

Effectus concionis erudita & disertæ

Præcisio,

cum blandimento.

F I N I S.

CATA-

CATALOGUS.
ORATIONUM.

 scopo,

Addita porrò sunt hæc: ne perirent.

PRÆFATIONUM.

CHRI-

CHRISTOPHORUS PREIBISIUS

J. U. D. Professor Publicus.

Lipsiæ addebat.

HArtunge, hactenus, *invidiendo honore*
divinis numerãdus in Poetis.
in magnis *Podalyriis* fuisti:
hinc *Daphneia* Cynthius *Brabeuta*
comis *serta* tuis dedit, *columbis*
Diones gerulis, suiq́; *Gnati*
insigne *atq́;* *pedum* dedit *salubre*.
At jam *tertia palma* te celébrat,
Cylleni auspicio, Deæq́; *Peîthus*,
qvæ tibi adspicuum locum dedêre
inter *eloqvii* catos magistros.
Et testatiùs hoc facit *volumen*
Oratoris id, ad qvod excolendum
scitè, Juppiter, atq; perpolitè,

&con-

& *conducibili labore* multis
curæ tantum *operæq;* contulisti.
Insignitior hinc es, atq; junctim
Orator, Medicus, Poëta clares.

FINIS.